

H A Pottinger

VIRO CELEBERRIMO

AUGUSTO BOECKHIO

DEDICAT

G. F. SCHÖMANN.

DE COMITIIS ATHENIENSIUM LIBRI TRES.

SCRIPSIT

GEORG. FRIDER. SCHÖMANN.

GRYPHISWALDIAE
SUMTIBUS ERNESTI MAURITII.
MDCCCXIX.

Verissime illud nuper abs Te dictum est, Boeckhi, vir celeberrime, Graecarum antiquitatum doctrinam vixdum supra prima initia evectam esse. Plurimae enim earum partes gravissimae et cognitu dignissimae aut parum adhuc explicatae sunt, aut plane neglectae et praetermissae jacent. Imprimis autem de jure Atheniensium publico privatoque tam multa vulgo perperam traduntur, tam multa omnino ignorantur, ut ne ad oratores quidem Atticos intelligendos satis instructi simus, atque in quavis fere pagina iis difficultatibus impediamur, ex quibus neque interpretes neque antiquitatum scriptores nos exsolvant. Atque hae difficultates deterruisse plerosque videntur a tractandis horum oratorum reliquiis, eoque factum est, ut, cum alii libri, etiam futilissimi, a summis saepe viris magno studio perpurgati atque illustrati sint, ex tam

multis tamque egregiis orationibus vix una atque altera talem, qualem desiderabat, editorem invenerit. Ego autem, ex quo me studiorum meorum cursus ad Demosthenem ceterosque oratores cognoscendos deduxit, ita eorum virtutibus captus sum, ut divelli ab iis nulla re possem, nihilque magis optarem, quam ut aliquando bene de iis mereri mihi contingeret. Duas autem esse vias intellexi, quibus eo pervenire conarer: nam et corrupta in iis plurima esse, quae emendari, et supposititia nonnulla, quae indagari atque detegi critica ratione deberent, et interpreti in nullo fere scriptorum genere plura esse illustranda. Sed illam viam, criticam dico, ne nunc jam affectarem, multae me rationes dehortatae sunt: adolescentia, virium tenuitas, subsidiorum summa inopia, ipsa denique horum scriptorum praestantia, quae eos vindicare debet ab immaturis criticorum conatubus. Neque enim tam praeclaris operibus manum a quoquam admoveri fas est, nisi ab eo, qui dignum aliquid eorum praestantia, hoc est perfectum atque absolutum a se afferri posse confidat. Interim igitur, dum talem de me spem capere liceret, alteram mihi viam ingrediendam esse statui, ut eam Atticae rei-

publicae, magistratuum, judiciorum, comitiorum, legum institutorumque civilium cognitionem mihi compararem, sine qua illi oratores recte intelligi nequeunt, viderémque, si quid ex harum rerum scientia in medium proferre possem, quod ad eorum interpretationem pertineret, facilioremque lectionem aliis redderet. Hoc igitur consilio veteres scriptores, quoscunque utiles mihi ad hanc rem fore sperabam, studiose pervolvere, et, quae opus erant, enotare coepi. Inde quae ego inveneram aut invenisse mihi visus eram, comparavi cum iis, quae in hoc genere prius erant ab aliis vulgata; neque meorum me piguit. Quamvis enim multa illi effecerint, quorum merita nemo lubentius agnoscere potest, quam ego, multo tamen plura aliis facienda reliquerunt. Atque hic imprimis de comitiis locus ita adhuc ab omnibus tractatus est, ut, si quis vel paullulum modo ad ejus accuratiorem cognitionem attulerit, aliquam tamen se apud antiquarios gratiam initurum sperare possit. Itaque hunc mihi primum pertractandum elegi, et quamquam rem pluribus sane, quam cogitaveram, difficultatibus impediri videbam, amor tamen semel suscepti negotii his ipsis magis accensus est, quam

restinctus, neque me opus meum deponere passus est, nisi ad finem perductum.

Habes, Boeckhi, quomodo nata sit haec de comitiis Atheniensium commentatio, quam Tibi oblatam Tuoque nomine ornatam ut ne graveris accipere vehementer Te oro, Mihi quidem, neminis neque patrocinium magis optandum neque judicium pluris faciendum videtur, quam Tuum, qui cum universo nostrarum litterarum genere, tum praecipue in reipublicae Atticae cognitione nemini cedas, plurimis longe antecellas. Tu igitur judicabis, fecerimne operae pretium an aliud potius mihi agendum fuerit. Tua me sententia aut ab instituto cursu revocabit, aut ad pergendum alacriorem reddet. Sed Te non id unum spectaturum confido, quid debuerim assequi, sed illud quoque reputaturum, quid potuerim, homo adolescens, viribus inexercitatis, occupationibus autem muneris scholastici multis ac variis ita districtus, ut paucula tantum horulas subsecivas in hoc opus impendere ac saepissime non nisi post longas intermissiones rem inchoatam absolvere licuerit. — Reliqua, ne Te diutius detineam, paucis eloquar.

Primum igitur illud Tu ipse optime nosti, qui

sint et quales illi scriptores, quibus potissimum in tali quaestione uti quis debeat, et quae sint illa tempora, quorum instituta ex iis, paullo accuratius quidem, cognosci possint. Non igitur opus est, Te admoneri, cur neque de comitiorum ante Solonem et Clisthenem ratione exposuerim, neque eam, quae post amissam libertatem exstiterit, attigerim, nisi obiter, ubi res ita ferebat. Sed in iis, quae medio tempore, stante ac libera republica obtinuerunt, investigandis atque illustrandis haud indiligenter me versatum esse arbitror. Utinam autem omnibus, quibus indigebam subsidiis instructus fuissem. Sed defuerunt mihi non pauca. Photio v. c. et Zonara carui et adhuc careo. Nondum enim illi in has terras pervenerunt, neque ego, quippe scholasticus magister, tantum nummorum comparcere potui, quo mihi eos pararem. Etiam Harpocrationem diu desideravi, nec nisi post absolutum primum librum nactus sum; tantisper iis, quae apud Petitum, apud Pollucis, Hesychii et Suidae interpretes aliosque scriptores passim ex eo afferuntur, contentum esse oportuit. Aliis libris non nisi per intervalla et rarius uti licuit, velut Reiskiana oratorum editione; quamobrem,

ubi hi testes adhibendi erant, citavi eos ex editione Henrici Stephani. Sed in Demosthene tamen semper e Reiskiana paginarum numeros indicavi; hos enim meo Tauchnitzianae editionis exemplo adscripseram. In Scholiis autem, quae Ulpiani feruntur, usus sum editione Lutetiana, a Morelio inchoata, a Benenato autem, Lambini auxilio, absoluta. Isocratis non aliam editionem habui, quam Wolfianam illam, quae Basileae prodiit anno 1571. Aristophanem denique modo e Kuesteriana, modo e Brunckiana citavi, prout alterutra ad manum erat.

De recentioribus scriptoribus, qui ante me de iisdem rebus tractarunt, non attinet nunc multa dicere. Sunt autem ex his quoque nonnulla, quibus me vellem diutius minusque festinanter uti potuisse. Nam Corsinii Fasti Attici in quam breve tempus mihi concessi fuerint, Tu ipse non nescis. Ex Heraldi autem animadversionibus in Salmasii defensiones miscellas, itemque e Biagii tractatu de Decretis Atheniensium intra quinque aut sex dierum spatium excerpenda fuerunt ea loca, quibus mihi opus fore putabam. Quodsi in tanta festinatione aut praetermisi nonnulla aut minus

recte accepi, paratam mihi apud aequos judices veniam fore spero. Saepius autem me ab illorum scriptorum placitis recessisse et contra eos disputasse videbis. Id Tu, si me veritatis tantum studio fecisse intellexeris, laude potius quam reprehensione dignum judicabis, etiamsi fortasse non semper illam, quam quaesivi, veritatem invenisse Tibi visus fuero. Quod autem nonnullis de rebus etiam contra Tuam sententiam statuendum putavi, parum Te norim, si Te id aegre laturum, veniamque mihi propterea a Te petendam esse arbitrer. Illud potius rogo, ut, si quid aut in his aut in aliis Tibi non probavero, veriora Tu me doceas, persuasumque habeas, nulla re magis me Tibi obligari posse.

Restat, ut mendorum, quae passim deprehendes, excusationem Tibi proponam. Plura sane sunt, quam vellem, praesertim in libro Tibi pro specimine oblato; neque, quod multi solent, omnem hanc culpam in typothetam aut correctorem transferre possum. Nam cum initio fore sperarem, ut liber meus hic Gryphiswaldiae typis describeretur, minorem in scribendo curam adhibui, quoniam facile me, quae peccata essent, corrigere posse pu-

tabam, si descripta a typographo folia mihi perlustranda traderentur. Sed haec me spes post frustrata est, et quae scripseram, Lipsiam mittenda fuerunt citius, quam emaculari a me possent. Ita factum est, ut multa relinquerentur, quae, si licuisset, correcturus fuissem. Sed ea, quae graviora videbantur, in fine libri emendata invenies; leviora, quae nullo negotio quilibet lector ipse corrigere poterit, omnia commemorare non necesse habui. Tu autem his non recusabis ignoscere, si in ipsa rerum tractatione Tibi aliquatenus satisfecero. Quod ut mihi contingat, vehementer exopto.

Vale, vir celeberrime, mihique fave.

Scribebam Gryphiswaldiae, d. XXIX Martii MDCCCXIX.

INDEX CAPITUM.

*) Cum typothetae incuria duarum plagularum F et G paginae iisdem numeris 81 - 96 notatae sint, in utroque indice harum paginarum numeris, quo discerni possent, plagularum notas apposui.

PROOEMIUM.

Omnis reipublicae administratio constat tribus partibus, consilio, magistratubus et judiciis, quorum varia atque diversa conditio et descriptio varia efficit atque diversa rerumpublicarum genera.*) Nulla autem re magis continetur respublica, quam illo, quod diximus, consilio, quippe cujus non ea solum sit vis, ut de summis rebus deliberet atque decernat, veluti de bello et pace, de foederibus et pactionibus et quae sunt id genus alia, sed ut leges quoque sciscat, quarum magistratus ministri, judices interpretes, omnes autem cives servi sunt, ut magistratus, si minus omnes, at multos tamen creet, denique ut judicia quoque nonnunquam exerceat, de gravioribus quidem causis, quae ad summam rempublicam pertinent, et mortis, exilii, bonorum publicationis poenas decernat. Quarum rerum potestas in libera civitate aut penes universum est populum, aut penes aliquam ejus partem, ut penes divites aut nobiles: illud populari sive democraticae, hoc aristocraticae civitati proprium est. Sed ipsius popularis civitatis variae sunt formae. Nam aut omnes quidem deliberant atque decernunt, non tamen in unum coacti, sed vicissim et ordinibus partibusque descripti, κατὰ μέρος, ἀλλὰ μὴ πάντες ἀθρόοι; aut collegia magistratuum, ad quos tamen aditus omnibus, sed quodam ordine, patet; aut alia sunt negotia, quae ad universi populi

*) cf. Aristotel. Polit. IV. 14.

a

conventus, alia, quae ad singulos magistratus referantur. Sed ut quisque est maxime popularis rerum status, ita, imminuta magistratuum auctoritate, latissime patet universorum potestas. Atque hoc evenisse videmus in Atheniensium republica, ubi populare imperium, ex regio ac dein optimatium paullatim exortum, tantum procedente tempore crevit, ut omni optimorum auctoritate ordinumque discrimine sublato, immoderata illa plebis dominatio, tyrannidi quam libertati similior, sua se ipsa vehementia suisque vitiis labefactaret et subrueret, atque postremo una clade perculsam rempublicam hostium jugum subire cogeret. Sed pleraque talis imperii vis versatur et exseritur in comitiis, vel illis populi conventubus, ubi de maximis rebus publicis consultari et decerni solet; quorum accuratior cognitio necessaria est omnibus, qui vel historiam Atheniensium probe perspicere, vel scriptores, qui hunc locum attingunt, recte intelligere volunt.

Primum fuit Athenis, ut in ceteris omnibus Graeciae civitatibus, regium imperium; cujus quae fuerit forma ex Homericis maxime carminibus disci potest. Etenim, ut morum vitaeque privatae illis temporibus major fuit apud omnes Graecos aequalitas, ita in publicis quoque rebus et institutis minus inter se diversi fuisse videntur. Erat autem ubique regium jus non absolutum et extremum, sed populi potestate coercitum et temperatum. Plura enim sunt regni genera, cum aut perpetuo exercituum imperio et sacrorum quorundam procuratione omnis eorum definiatur auctoritas, qui reges vocentur, aut summo sint omnium rerum arbitrio, sed legitimo illo, et populis haud invitis, a patribus accepto, aut potestate quidem summa, sed ad tempus tantum creati, quales fuerunt, qui apud Graecos antiquioribus temporibus dicebantur

αἰσυμνῆται*), aut tales denique, quales ab Homero describuntur heroicae aetatis reges, foris imperatores, domi judices et rerum omnium publice gerendarum principes**). Hi igitur reges, si quid universi populi consensu et viribus agendum erat, concionem (ἀγοράν) convocabant, et quid fieri aut a populo sibi praestari vellent, indicabant. Populus autem semper ferme illorum auctoritatem sequutus, et obsequium suum acclamationibus testatus esse videtur***). Attamen jam his temporibus sat magnum fuit in civitatibus ordinum discrimen, et distinguuntur ab Homero haud obscure principes et nobiles a plebejis. Illi, fortitudine, opibus et armorum genere eximii, regiis nonnunquam gentibus cognatione aut affinitate conjuncti, aut fabulosa stirpe divina clari, αἵματος ἀγαθοῖο, ἔξοχοι ἄνδρες, ἥρωες vocari solent****), et magna sunt in republica, regiaeque proxima auctoritate, quare et ipsi βασιλῆες dicuntur, aut ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες†). Horum igitur voluntatem ut sibi conciliarent reges in consilium adhibere solebant clarissimos et natu maximos, quibuscum de rebus publicis deliberarent: dein, quod illis visum erat, si opus esse videretur, pro concione renuntiabant††). Plebejorum autem etiam in concionibus exigua aut nulla fuit auctoritas, id quod vel ex eo patet, quod non appellantur nisi ἥρωες aut ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες, neque ad verba facienda surgit quisquam

*) v. Dionys. Halic. V. c. 73. cf. Alberti ad Hesych. s. v. Tom. I. p. 175.

**) cf. Aristot. Polit. III. c. 14.

***) Il. II. 143. 334. 395. Odyss. III. 150.

****) Odyss. IV. 611. Il. II. 188. Od. IV. 268. cf. Od. XVIII. 125. sq.

†) Od. I. 394. VIII. 390. XVIII. 63.

††) Iliad. II. 53. X. 414. cf. Feith. Antiq. Homer. lib. II. c. 6.

plebejus, sed heroes tantum*). Atque ab Ulysse plebeji illi, *δήμου ἄνδρες*, dicuntur *οὔτ' ἐν πολέμῳ ἐναρίθμιοι οὔτ' ἐνὶ βουλῇ***).

Sed qui apud Homerum heroes, apud Athenienses fuerunt Eupatridae sive patricii et generosi. Antiquissimum autem hoc fuit institutum, ut in tres ordines populus distribueretur, *εὐπατρίδας, γεωμόρους, δημιουργούς****). Atque Eupatridas quidem eos fuisse, qui aut regio generi cognati, aut stirpis vetustate et nobilitate clari essent, et ratio vincit, et veterum scriptorum testimonia docent, qui eos fuisse dicunt *μετέχοντας βασιλικοῦ γένους* aut *τοὺς ἐκ τῶν ἐπιφανῶν οἴκων καὶ χρήμασι δυνατούς*. His autem solis permissa erat sacrarum publicarumque rerum tractatio, magistratuum judiciorumque administratio, juris ac legum interpretatio et custodia, nulla harum rerum parte cum reliquis ordinibus communicata****). Rustici enim, *γεωμόροι*, i. e. fundorum possessores ab aliis *γεωργοὶ, ἀγροιῶται, ἀγροῖκοι* dicti, agris colendis intenti, publicis negotiis non vacarunt†); operarii autem, *δημιουργοί*, infimae sortis homines, non artifices, quorum exiguus fuit antiquis temporibus numerus et haud abjecta conditio, sed mercenarii, pretio conducti, ser-

---

*) Od. VIII. 26. Il. II. 110. Od. II. 15, 157.

**) Il. II. 202.

***) Jul. Pollux. VIII. 111. Errant, qui classes has dicunt, ut Petitus, Legg. Att. II. 3. p. 201. Classes enim apud Romanos censum, ordines autem, ut patriciorum et plebejorum, stirpem sequuntur. Itaque rectius Eupatridarum etc. ordinem dicemus, quam classem. Classes enim e censu a Solone demum institutae sunt.

****) Plutarch. Thes. c. 25. Dionys. Halicarn. II. c. 8.

†) Aliis autem in civitatibus posteriore tempore *γεωμόροι* fuerunt maximi census cives, et reipublicae principes; ut Sami et Syracusis. v. Thucyd. VIII. 21. ibiq. Duker. Herodot. V. 77. VI. 22. ibiq. Valckenar.

vilem operam opulentioribus praebebant; cujus generis homines apud Homerum et Hesiodum vocantur θῆτες, et conjunguntur cum servis; a Dionysio vero comparantur cum Thessalorum Penestis*), ut videatur innuere, fuisse eorum plerosque, media inter libertatem et servitutem conditione, opulentioribus quasi addictos et in clientelam dicatos. Auctorem hujus descriptionis fuisse perhibent Theseum, qui omnibus Atticae incolis unius urbis civitatisque vinculo conjunctis, rempublicam ab ipso quasi denuo conditam, legibus plurimis et institutis salubriter fundasse et ornasse dicitur. Ante illum enim in duodecim oppidis, quorum nomina traduntur a Strabone**) dispersi habitabant Athenienses, singulaeque erant respublicae, quarum principes omnia suo arbitratu administrabant, neque Athenas ad regem conveniebant, nisi cum propter magnum aliquod et difficile negotium communi consilio et sociatis omnium viribus opus esse videretur***). Theseus autem parvas illas et separatas respublicas in unam majorem omnes contraxit, unamque omnis imperii, magistratuum judiciorumque sedem Athenis collocavit, ut etiam reliquae regionis incolae non suorum quique oppidorum, sed hujus unius urbis, quae ἄστυ κατ᾽ ἐξοχὴν vocabatur, cives essent et haberentur. Atque hinc explicandum est, quod apud Atticos scriptores saepissime ἀστὸς dicitur pro πολίτης, quoniam pleno civitatis jure non nisi in urbe Athenis, uti poterant; et illud quoque, quod Eupatridae dicuntur ab Etymologo οἱ αὐτὸ τὸ ἄστυ οἰκοῦντες, non quasi omnes urbem perpetuo incoluissent, sed quoniam nobilitatis suae jure perfrui non poterant,

*) Homer. Od. IV. 644. Hesiod. Op. et D. v. 563. Brunck. Dionys. II. c. 9. Plura vid. ap. Ruhnk. ad Timaeum. p. 212 sq.

**) Strab. IX. p. 587.

***) Thucyd. II. c. 15. Plutarch. Thes. c. 24.

nisi in urbem se contulissent, atque idcirco multum temporis non ruri sed Athenis versabantur, reliqui autem ordines operibus suis intenti ruri plerumque degebant, neque ad munera reipublicae obeunda urbem frequentare necesse habebant. Quis enim audiet illos scriptores, qui ita popularem sibi fingunt Theseum, ut eum democratiae auctorem fuisse tradant, et vel Homeri testimonium afferant, qui in navium catalogo solos Athenienses δῆμον dicat*). Verum haec et ejusmodi alia in historiis debentur poëtarum studiis, qui suorum temporum quasi quoddam exemplar, institutorumque omnium, quae praeclara et laudabilia putantur, originem ab ultima antiquitate et uno quodam magni nominis viro repetenda ducunt, ut et illa vetustate augustiora, et hic prudentia et virtute illustrior videatur **). Historici autem quantum absint plerique a vera et sana ratione critica in antiquitate tractanda, cuivis, credo, satis perspectum est; et Plutarchus imprimis id sequitur, non ut ex

---

*) Plutarch. Thes. c. 25. c. 3.

**) Sufficiet unum Euripidem nominare, qui Suppl. v. 353. Theseum ita loquentem facit:

καὶ γὰρ κατέστησ' αὐτὸν [τὸν δῆμον] εἰς μοναρχίαν,
ἐλευθερώσας τήνδ' ἰσόψηφον πόλιν.

v. 405. οὐ γὰρ ἄρχεται
ἑνὸς πρὸς ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐλευθέρα πόλις.
δῆμος δ' ἀνάσσει διαδοχαῖσιν ἐν μέρει
ἐνιαυσίαισιν, οὐχὶ τῷ πλούτῳ διδοὺς
τὸ πλεῖστον, ἀλλὰ χὡ πένης ἔχων ἴσον.

v. 440. τοὐλεύθερον δ' ἐκεῖνο, τίς θέλει πόλει
χρηστόν τι βούλευμ' εἰς μέσον φέρειν ἔχων;
καὶ ταῦθ' ὁ χρῄζων λαμπρός ἐσθ', ὁ μὴ θέλων
σιγᾷ· τί τούτων ἐστ' ἰσαίτερον πόλει;

Haud aliter profecto Pericles aut Cimon loqui potuisset. Ceterum vid. Pausaniae de istis fabulis judicium, Attic. cap. 3. §. 2.

fabulis verum eruat, sed ut fabulis veri quandam speciem induat, et Thesei Romulive res gestas haud aliter ac Periclis aut Ciceronis referat.

Permansit autem Athenis ille rerum status etiam post Codri regis mortem voluntariam, cujus honori datum est ab Atheniensibus, ut nemo in posterum regio nomine imperaret. Inde summam rerum administrabant singuli Archontes ex una Codridarum gente, perpetuo, quoad viverent, et haereditario magistratu functi; dum, annorum CCCXVI intervallo decennale ex perpetuo factum est imperium, ita tamen, ut apud Codridarum gentem remaneret. Sed postea propter Hippomenis crudelitatem illi genti ademtum et in ceteros Eupatridas translatum est *). Erant autem Archontes potestate paene regia **), sed rationi reddendae adstricti ***), quae tamen quomodo repetita sit, non magis scimus, quam quomodo ipsi, postquam magistratus eorum hereditarius esse desierat, creati sint; nisi id quidem affirmari posse videtur, non populi universi, sed patriciorum tantum suffragiis creatos esse. — Postremo autem, Ol. XXIV. 4. iterum immutata est hujus magistratus ratio, et annui Archontes noveni e patriciis creati ****). Ita et tempore contractiore et numero multiplicato imminuta quidem est Archontum potestas et in omnes

---

*) v. Suid. s. v. *Ἱππομένης* et *παρ' ἵππον καὶ κόρην.* Taylor. ad Aeschin. in Timarch. p. 176. Heraclid. Pontic. 1.

**) Unde et ipsi *βασιλεύειν* dicuntur. v. Perizon ad Aelian. V. H. V. 13.

***) Pausan. Messen. c. 5. §. 4. *τοὺς Μεδοντίδας ἀφείλοντο τῆς ἐξουσίας τὸ πολὺ καὶ ἀντὶ βασιλείας μετέστησαν εἰς ἀρχὴν ὑπεύθυνον.* Medontidas autem et Codridas eosdem esse, notum est.

****) *Ἄρχοντες ἐνιαυσιαῖοι ᾑρέθησαν ἐξ εὐπατριδῶν.* Euseb. Chron. p. 155.

patricios aequabilius distributa; pluribus enim aditus ad illum honorem patere coepit, quam antea; sed plebis tamen conditio nequaquam in melius mutata. Nam cum publica hujus ordinis jura erant nulla, tum gravis erat et molesta magistratuum dominatio, quippe qui scriptarum legum defectu, suo, et eorum, qui ipsis in consilio aderant, patriciorum arbitratu et judicia exercebant, et summam rempublicam administrabant. Ad hoc plurimi e plebejis, aeris alieni magnitudine oppressi, creditoribus patriciis addicti et in miserrimam servitutem detrusi erant*). Itaque, sicut Romae factum est postea, cum patriciorum iniquitas, nullo fraeno coercita, plebem opprimeret, ut legum scriptarum desiderio omnes accenderentur, ita Athenis quoque eadem de causa excitata est seditio, quae ut leniatur, leges mandantur Draconi perscribendae. Fuerunt autem Draconis leges et parum illis turbis sedandis idoneae, cum privatum jus, non, quo maxime opus erat, publicum quoque complecterentur **), et nimia atrocitate et crudelitate invisae.

Itaque, cum major indies fieret patriciorum insolentia, plebis dolor et ira, turbataque essent omnia, occasionem arripuerunt ambitiosi e patriciis homines, Cylon cum sua factione, et regni potiundi consilium ceperunt. Sed horum conatus, cupidius, ut videtur, quam cautius suscepti, ceterorum patriciorum, Alcmaeonidarum maxime opera repressi sunt, majore populi invidia quam gratia. Atque illa invi-

*) Plutarch. Solon. c. 13.

**) Aristot. Polit. II. c. 12. *Δράκοντος δὲ νόμοι μὲν εἰσι, πολιτείᾳ δ' ὑπαρχούσῃ τοὺς νόμους ἔθηκεν. ἴδιον δ' ἐν τοῖς νόμοις οὐδέν ἐστιν ὅ,τι καὶ μνείας ἄξιον, πλὴν ἡ χαλεπότης, διὰ τὸ τῆς ζημίας μέγεθος.* cf. Plutarch. Sol. c. 17. Suid. s. v. Gellius. N. A. XI. c. 18.

dia, non sola, credo, religione excitata, paullo post tempore Alcmaeonidas judicio damnatos in exsilium egit*). — Dein vehementior mota est seditio, et in tres factiones tota civitas divisa. Tenuis enim et egena multitudo, cujus durissima erat conditio, potentium odio et dolore injuriarum commota, omnem patriciorum auctoritatem sublatam et juris inter omnes ordines aequabilitatem institutam flagitabat. Horum hominum quoniam plerique montana loca, a Braurone ad Parnethem incolebant, nomen factioni inditum est Diacriorum. His adversi erant locupletiores, qui paucorum imperio favebant; qui, quoniam campestrem plerique regionem tenebant, quae ab Eleusine maxime ad Oropum porrigitur, Pediaei sunt appellati. Mediam inter utrosque partem amplectebantur Parhalii, maris accolae. Horum certamina cum diu sine eventu perturbassent rempublicam, et jam eo deventum esset, ut e plebejis permulti tabulas novas, leges agrarias et omnis reipublicae status conversionem aperte minarentur, ducemque sibi et vindicem libertatis, etiam per vim quaerendae, circumspicerent, tandem bonorum omnium consensu Soloni summa rerum permissa, legesque novae mandatae sunt describendae**).

Solon itaque, archon constitutus, cum praecipuum turbarum fontem intelligeret aeris alieni esse magnitudinem, nihil antiquius habuit, quam ut obaeratorum saluti consuleret, omnis, ut plurimis placet, debiti remissione, vel, ut alii tradunt, foenoris diminutione et aucto nummorum pretio. Dein, ut novarum in posterum seditionum causas praecideret, invisam patriciorum dominationem sustulit, plebi libertatem adseruit, et aequa, quoad fieri potuit, omnibus jura

*) Herodot. V. c. 71. Thucyd. I. c. 126. Plutarch. Solon. c. 12.

**) Plut. Solon c. 13. et c. 29. cf. Meurs. Sol. c. 10. Pisistrat. c. 3.

constituit. Primum enim, ne nimis confusa essent omnia, et par summorum infimorumque auctoritas, classes quatuor ex censu ita descripsit, ut primae classi accenserentur, quibus tantum esset fundorum, unde quingenti medimni, aut supra, redirent; secundae, quibus tercenti, tertiae, quibus ducenti*), quartae denique, quibus minor esset agrorum reditus. Nomina classibus fuerunt, Pentacosiomedimnis, Equitibus, Zeugitis et Thetibus**). Ac ne tenuiores unquam a ditioribus fundorum possessione plane excludi possent, neve omnes agri paucorum fierent proprii, certum modum definivit, supra quem possidere nemini liceret***). Jam judicia, quae olim patriciorum propria fuerant, omnibus fecit promiscua, instituitque, ut ex universo civium numero qui judicarent, sorte caperentur, neque quisquam propter census tenuitatem rejiceretur; id quod specie quidem haud ita magnum, reapse autem multo maximum esse postea compertum est****). Factum enim est ita,

---

*) Ita Pollux. VIII. s. 130. Plutarch Solon. c. 18. Aristoteles autem Polit. II. 12. Zeugitas secundo, equites tertio loco numerat, unde colligit Heraldus, Animadv. in Salmas. I, III. c. 15. p. 15. quod ex aliis quoque rationibus colligi potest, totam rem illius aevo jam desuetam et abolitam fuisse. Plura vid ap. Meurs. Solon. c. 14.

**) De Zeugitarum nomine vid. Corsin. Fast. Attic. P. III. p. 77.

***) Aristot. Pol. II. 7. *διότι μὲν οὖν ἔχει τινα δύναμιν εἰς τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν ἡ τῆς οὐσίας ὁμαλότης, καὶ τῶν πάλαι τινὲς φαίνονται διεγνωκότες, οἷον καὶ Σόλων ἐνομοθέτησε, καὶ παρ' ἄλλοις ἐστὶ νόμος, ὅς κωλύει κτᾶσθαι γῆν ὁπόσην ἂν βούληταί τις.* Integrum Aristotelis locum adscripsi, quoniam ab hoc uno, quod equidem sciam, Solonis illud institutum, a Meursio ceterisque praetermissum, memoratur.

****) Plutarch. Solon. c. 18. Aristot. Pol. II. 12.

ut gravissimam reipublicae partem infimi pariter ac summi administrarent, quoniam de omnibus rebus, Senatus populique decretis, privatorum magistratuumque factis decernendi potestas judiciis erat permissa *). Quamquam Solonis quidem aetate, et proximis post illum temporibus vix erat periculum, ne tot tantarumque rerum arbitrium ad levem et imperitam egentium civium multitudinem deveniret. Gratis enim et sine mercede tunc iudicabant; quae res ipsa eos, qui manu quaestum faciebant, absterrere debuit, quo minus cum rei familiaris detrimento, publicorum negotiorum molestiam, nullis praemiis compensatam, susciperent. Quare ad sortitionem non fere profitebantur, sed totam hanc partem locupletioribus relinquere solebant.

Dein universi populi conventus, *ἐκκλησίας*, Solon instituit, iisque publicorum negotiorum, quae ad magistratus non pertinerent, curationem, magistratuum ipsorum creationem, denique summam omnis reipublicae administrationem permisit; de quibus quoniam in sequentibus libris singulatim et accurate scriptum est, nunc plura addere non necesse habemus. Sed his conventubus rectorem et moderatorem praefecit Senatum, vetuitque, ne quid ad populum ferretur, nisi Senatu ante consulto, neve quid populus juberet, nisi a Senatoribus in suffragium missus. Ipsum autem Senatum ex quadringentis civibus ita composuit, ut ex singulis tribubus, quae quatuor erant illo tempore, centeni quotannis viri, sed priorum trium classium, et triginta annis non minores, sorte caperentur, qui, ubi in examine instituto, se non indignos tali loco probassent, munere suo per

---

*) Vide quae infra, Lib. II. de *γραφῇ παρανόμων* et de *εἰσαγγελίᾳ* dicentur, cap. 2. et 3.

unius anni spatium fungerentur*). Ceterum qualis ante Solonem Senatus fuerit, vel potius, quodnam collegium publici consilii locum obtinuerit, id, in testimoniorum defectu, conjecturis tantum assequi licet. Certe non ejusmodi fuisse collegium, qualem Solon Senatum instituit, quod ex omnibus civibus, non ordinum, sed census tantum discrimine observato, annuis vicibus sortito componeretur, res ipsa docere videtur. Democratiae enim, non Aristocratiae, qualis ante Solonem Athenis fuit, ejusmodi senatus proprius est**). Forsitan autem partium, in quas populus distributus erat antiquitus, praesides et praefecti, etiam senatorio munere fungebantur. Apud Epidamnios certe Aristoteles prodit tribuum praefectos, *φυλάρχους*, fuisse, quorum loco postea senatus, *βουλὴ*, institutus sit***); atque Athenis, Cylonis tempore, eos qui praeerant Naucrariis, summam in republica potestatem habuisse, Herodotus innuit****); unde non temere conjiciat aliquis, eos de publicis negotiis consuluisse ac decrevisse. Sed in re tam obscura affirmari nil potest.

*) Haec omnia e Sigon. de Rep. Ath. II. c. 3. Petit. L. L. A. A. III. 1. aliisque notissima sunt. In illo examine s. *δοκιμασίᾳ* quilibet candidatum indignum accusare poterat, cujus generis accusationem habemus, Lysiae orat. in Philon. p. 186. et defensionem, or. pro Mantitheo, p. 145. ed. Steph.

**) Vid. Aristot. Polit. IV. 15. *Βουλὴ δημοτικόν.* cf. VI. 2. *δημοτικώτατον βουλή.* et ib. 8. cf. Heeren. Ideen. III. 1. p. 253.

***) Arist. Polit. V. c. 1. *καὶ ἐν Ἐπιδάμνῳ δὲ μετέβαλεν ἡ πολιτεία κατὰ μόριον· ἀντὶ γὰρ τῶν φυλάρχων βουλὴν ἐποίησαν.*

****) Herodot. V. c. 71. *οἱ πρυτάνις τῶν Ναυκράρων, οἵπερ ἔνεμον τότε τὰς Ἀθήνας.* Fuerunt autem Naucrariae quadraginta octo, duodenae ex unaquaque tribu. Plura de iis dicentur infra, lib. III. cap. 1.

Magistratus capere omnes praeter postremae classis cives poterant, ita tamen, ut Archontum dignitas, cum aliis quibusdam, quae majorem fidem et prudentiam requirebant, Pentacosiomedimnis relinqueretur*). Archontum vero potestatem Solon imminuit; nam cum antea omnem fere rempublicam administrassent**), litesque suo arbitratu dijudicassent, ille, praeter sacrorum quorundam curationem, nil fere aliud iis reliquit, nisi ut causas, a se prius examinatas, ad judices remitterent, judiciisque praeessent***).

Ita sapientissime a Solone temperata reipublicae forma, et neque imminuta nimis optimatium auctoritate, et plebejis ad eam conditionem evectis, ut ab injuriis et servitio tuti neque ad corrumpendas turbandasque res satis validi essent, medius quidam

---

*) Ita e. g. ταμίαι τῆς Θεοῦ ex Pentacosiomedimnis erant. Pollux. VIII. 97. De archontibus vid. Perizon. ad Aelian. V. H. VIII. 10.

**) Thucyd. I. c. 126. τότε τὰ πολλὰ τῶν πολιτικῶν οἱ ἐννέα Ἄρχοντες ἔπρασσον. Sunt haec verba ex eo loco, ubi de Cylonis rebus narrat, aliter paulo atque Herodotus I. l. Nam quae hic Prytanes Naucrarorum, ea Thucydides novem Archontes fecisse dicit; quae res Harpocrationem in ναυκραρικὰ et Suidam Tom. II. p. 599. Kust. induxit, ut Archontes illo tempore prytanes naucrarorum dictos esse putarent. Sed neque verisimile est, illud nomen, si vere Archontibus inditum fuisset, tanta oblivione obscurari potuisse, ut a nemine unquam diserte memoratum sit, neque opus est hac conjectura ad conciliandum cum Herodoto Thucydidem. Potest Cylonis obsidio Naucraris, eorumque principibus s. Prytanibus mandata esse, sed ita, ut Archontum imperio tota res administraretur, horumque jussis illi parerent.

***) Vid. Perizon. ad Aelian. V. H. V. 13. Omnia Archontum munera recensentur a Polluce, VIII. 86 — 91. quae hic repetere non opus est.

inter Aristocratiam Democratiamque status effectus est, quem ipse ille laudat his versibus *).

Δήμῳ μὲν γὰρ ἔδωκα τόσον κράτος, ὅσσον ἐπαρκεῖ,
Τιμῆς οὔτ' ἀφελὼν, οὔτ' ἐπορεξάμενος.
Οἳ δ' εἶχον δύναμιν, καὶ χρήμασιν ἦσαν ἀγητοὶ,
Καὶ τοῖς ἐφρασάμην μηδὲν ἀεικὲς ἔχειν.
Ἔστην δ' ἀμφιβαλὼν κρατερὸν σάκος ἀμφοτέροισι·
Νικᾶν δ' οὐκ εἴασ' οὐδετέρους ἀδίκως.

Sed ne hic quidem status vel optimatibus, quamlibet potentiae suae imminutionem aegre ferentibus, vel plebejis, novae libertatis insolentia exsultantibus et majorum commodorum cupidis, gratus probatusque fuit, atque haud multis post Solonem Archontem annis, redintegratis seditionibus, cum inter illos, qui paucorum imperium volebant, illosque qui justam et temperatam juris aequabilitatem tuebantur, aliquamdiu certatum esset, tertiae factioni, e tenuioribus conflatae, ducem se addidit Pisistratus, superatisque adversariis, et populo callide decepto, rerum potitus est, imperiumque, per varios eventus et amissum et recuperatum, filiis quoque hereditarium reliquit. Ita XXXVI circiter annorum tempore Athenienses ipsi filiisque paruerunt, qui quamquam plerasque Solonis leges servabant, neque impotenter dominationem exercebant, majestatem tamen omnem et summae reipublicae administrationem, populo ereptam, sibi suisque assumebant. Itaque neque conciones ordinariae videntur convocatae, neque ad causas publicas secundum Solonis institutum judicandas omnes promiscue admissi; quamquam quid de his rebus Pisistratidae statuerint, diserte a nemine traditur, nisi quod apud quosdam auctores legimus, Pisistratum, quantum fieri posset, cives urbe cedere et ruri habitare coe-

*) Plutarch. Sol. c. 18. cf. Aristot. Polit. II. 12.

gisse, ne videlicet urbano otio lascivirent et libertatis recuperandae consilia agitarent*).

Sed expulsis denique tyrannis simul cum restituta libertate factiones quoque ambitiosorum civium, Isagorae et Clisthenis, Alcmaeonidarum principis, rempublicam turbare coeperunt. Clisthenes autem, cum factionis suae vires adversario impares esse videret, plebis patrocinium suscepit, hujusque auxilio, post multa variaque certamina, Isagoram Attica cedere coegit. Hunc restitutorem et perfectorem reipublicae a Solone institutae multi celebrant**) Maxime autem fregit patriciorum opes recipiendis in civitatem peregrinis servisque multis***), mutandaque vetere populi in quatuor tribus distributione. Decem enim tribus, denorum singulas populorum, (sive graecum vocabulum, cui latinum non satis accurate respondet, retinere quis malit, demorum), descripsit, ut permixti cum plebejis ignotis sibi antea, et cum adscripticiis civibus patricii, dissolutis pristinae consuetudinis et conjunctionis vinculis, minus auctoritate et necessitudinibus apud

*) Auctores omnis de Pisistrato filiisque historiae vid. ap. Meurs. Pisistr., cujus libri maxime huc pertinent capp. 5 — 7. — Ceterum illud civium urbe arcendorum consilium alii quoque tyranni secuti sunt, ut Periander Corinthius, v. Periz. ad. Aelian. IX. 25. et trigintaviri Athen. v. Xenoph. Hellen. II. 4. 1.

**) Isocrat. Areopag. p. 338. ed. Hier. Wolf. a. 1571. — Id. de Bigis. p. 858. Herodot. VI. 131. Plutarch. Aristid. c. 2.

***) Aristot. Polit. III. c. 2. *Κλεισθένης — πολλοὺς ἐφυλέτευσε ξένους καὶ δούλους καὶ μετοίκους.* Ita scribendum pro vulgato *δούλους μετ.* cum Wolfio, Proll. ad. Demosth. Leptin. p. LXIX. *δοῦλοι* enim *μέτοικοι* esse non possunt, nisi eos h. l. libertinos esse dicas, quam significationem illi vocabulo Chrysippus quidem tribuit apud Athenaeum, VI. c. 93. p. 267. b. at non vulgaris usus loquendi.

ceteros valerent *). Senatum autem multiplicavit, quinquagenis e singulis tribubus Senatoribus sortitis, ut universorum numerus efficeretur quingentorum. Quinquageni autem illi uniuscujusque tribus Senatores decimam anni partem Senatui comitiisque praesidebant, Prytanum per id tempus nomine insigniti; tempus autem illud, tricenorum quinorum aut senorum, pro lunaris anni modo, dierum, Prytania dicebatur **). Praesidebant autem singulae Senatorum tribus non certo quodam et definito ordine, sed eo, qui sorte evenisset. Sed Prytanes ipsi munera sua non simul omnes, sed per vices obibant, in quinas decurias sorte distributi, quarum singulae septenos dies reliquis omnibus praesidebant, et praesides v. *πρόεδροι* ab re appellabantur. His autem praesidibus ad singulos e septenis dies singuli praeerant Epistatae item sorte ducti, penes quos arcis et aerarii claves erant. — Jam vero praesides illi cum Epistata in Senatu et comitiis res consultandas proponebant, et ubi satis erat disceptatum, Senatus populumve in suffragium mittebant. Sed adjuncti iis erant ex reliquis novem tribubus, quarum non erat eo tempore Prytania, singuli viri, ab Epistata sorte ducti, qui et ipsi Proedri appellabantur, suumque habebant Epistatam ***) et quorum officium erat, videre ut in

*) Aristot. Polit. VI. c. 4. Plura vid. infr. lib. III. — Ceterum tribuum nomina et ordo haec sunt: *Ἐρεχθηΐς, Αἰγηΐς, Πανδιονίς, Λεοντίς, Ἀκαμαντίς, Οἰνηΐς, Κεκροπίς, Ἱπποθοωντίς, Αἰαντίς, Ἀντιοχίς.* v. Corsin. F. A. Diss. III. n. 6. et IV. n. 2. sq. Biagi, de Decret. Ath. c. XII. §. 3.

**) Vid. argum. 2. Dem. or. adv. Androl. p. 590. Reisk. Suid. s. v. *πρυτανεία.* Quamquam, quod a Suida traditur, priores quatuor prytanias 36, reliquas 35 dierum fuisse (cf. Corsin. F. A. Diss. III. n. 28.) non minus falsum est, quam quod de *ἀνάρχοις ἡμέραις* et *ἀρχαιρεσίαις* ab istius argumenti auctore adseritur. vid. lib. 2.

***) Harpocrat. s. v. *ἐπιστάτης* et Vales. p. 72. Pollux. VIII. 96.

ipsa consultatione rite omnia et legitimo ordine fierent. — Atque haec de Prytanum Proedrorumque muneribus hoc quidem loco sufficiant, mox libr. I. uberius exponenda et probanda.

Plurimum autem incrementi cepit populi potestas post bellum Persicum secundum; neque ejus rei causae difficiles sunt intellectu. Primum enim, cum ex ipsius belli genere maritimo consecuta esset maxima totius rei militaris commutatio, ac minus jam in pedestribus et gravis armaturae militibus, quod antiquitus omne robur civitatis fuerat, quam in classiariis remigibusque, ex infima plebe maximam partem conscriptis, proeliorum eventus et reipublicae salus sita esse coepissent, factum est necessario, ut ab opulentioribus, ex quibus constare solebat gravis armatura, ad tenuiores quoque deveniret potestas*). Nam quantum quisque bello et armis valet, tantum sibi auctoritatis domi quoque et in pace deposcit. Ad hoc devastatis a Persarum exercitu omnibus Atticae partibus, fractae et attritae erant plurimorum opes, qui antehac latifundiorum possessionibus floruerant**); alii, tenues antea, cum nullos aut exiguos fundos possiderent, bellica praeda erant locupletati; universa autem plebs, superbia recentis victoriae viriumque fiducia ferox, ampliores in republica partes flagitabat.

*) Hanc auctae popularis potestatis causam plurimi e veteribus tradunt. Legatur modo unus Isocrates, Panathen. p. 608. ᾔδεσαν (οἱ πρόγονοι) τὴν κατὰ θάλατταν δύναμιν — αὐξανομένην — ἐκ τῶν τεχνῶν τῶν περὶ τὰς ναῦς καὶ τῶν ἐλαύνειν αὐτὰς δυναμένων, καὶ τῶν τὰ σφέτερα μὲν αὐτῶν ἀπολωλεκότων, ἐκ δὲ τῶν ἀλλοτρίων πορίζεσθαι τὸν βίον εἰθισμένων· ὧν εἰσπεσόντων εἰς τὴν πόλιν οὐκ ἄδηλος ἦν ὁ κόσμος ὁ τῆς πρότερον ὑπαρχούσης πολιτείας λυθησόμενος κ. τ. λ. cf. Plutarch. Themistocl. c. 19. Xenoph. de Rep. Ath. I. §. 2. Aristot. Polit. V. 4.

**) v. Plutarch. Aristid. c. 13.

Itaque, brevi post Salaminiam victoriam tempore, Aristides, haud mediocris antea optimatium propugnator, tempori cedendum ratus, legem tulit, ut cuilibet civi, nullo classium discrimine, etiam ad summos honores aditus pateret*). — Jam vero, parto Aristidis Cimonisque virtute maris imperio, ditatoque subjectarum civitatum tributis aerario, ambitiosi homines perniciosissimum publicarum largitionum morem in civitatem invehere coeperunt. Primus Pericles, plebis potestatem augens, ut ipse, ejus studio et favore adjutus, clarior potentiorque fieret, mercedem causarum judicatarum judicibus constituit, τὸ δικαστικόν**). Ejus exemplum secutus, Agyrrhius Collyttensis comitia quoque mercenaria fecit, induxitque τὸ ἐκκλησιαστικόν***). Itaque, cum ante hoc tempus tenuissimus quisque, operi ad victum quaerendum intentus, procul a republica vitam habuisset, jam praemiis istis propositis, ingrato labori facilem judiciorum comitiorumque quaestum omnes praeferebant, et, ut Aristophaneo lepore utar, Colacretarum lacte sine sudore et molestiis alebantur****). Ita et in judiciis et in comitiis omnique republica

*) Plutarch. Aristid. c. 22. cf. Petit. L. L. A. A. II. 3. p. 203. — Ceterum ex hoc tempore paullatim obliterata esse videtur vetus illa classium descriptio, ad fundorum modum accomodata. Quanquam aliquem certe censum requisitum esse in iis, qui ad archontum honorem admitti vellent, patet ex eorum ἀνακρίσει, in qua hoc quoque quaeritur: εἰ τὸ τίμημά ἐστιν αὐτοῖς; Pollux. VIII. 86.

**) Aristot. Polit. II. c. 12. Plut. Pericl. c. 9. cf. Platon. Gorg. p. 515. e. ibiq. Heindorf.

***) v. Vales. ad Harpocr. p. 3. et ad Maussac. p. 209.

****) Aristoph. Vesp. v. 724. Κωλακρέτου γάλα πίνειν, ad similitudinem proverbii: ὀρνίθων γάλα. Apud eundem Vesp. v. 210. fatetur aliquis, si mercede ista carendum sit, nescire se, unde coenam sumat.

plebs dominabatur; seditiosi homines rudis imperitaeque multitudinis favore florebant; optimus quisque minimum valebat. Atque hoc modo respublica, sapientissime a Solone ordinata, in pessimam Democratiam evasit, non legum imperio sed vulgi temeritate administratam*). — Ipsius autem plebis urbanae numerus mirum in modum crevit, cum, aucta indies commerciorum maritimorum frequentia, maxima hominum multitudo, nautarum, mercatorum, cauponum, opificum aliorumque, qui in portubus et foris quaestum facere solent, Athenis exsisteret. Id autem genus hominum, mobile, seditiosum, circum forum assidue versans, facillime ad conciones concurrens, maximum plerumque est momentum popularis status in deterius mutandi**).

His igitur de causis supra modum aucta plebis potestas, corruptaque vetera saluberrimaque instituta, eo facilius, quia gravissimus Senatus Areopagiticus, quem quasi quandam habenam coercendis pravis in

---

*) Digna sunt multa Aristotelis loca, quae hic conferantur, ut Polit. IV. c. 6. *κοινωνοῦσι καὶ πολιτεύονται (πάντες) διὰ τὸ δύνασθαι σχολάζειν καὶ τοὺς ἀπόρους, λαμβάνοντας μισθόν. καὶ μάλιστα δὲ σχολάζει τὸ τοιοῦτον πλῆθος· οὐ γὰρ ἐμποδίζει αὐτοὺς οὐδὲν ἡ τῶν ἰδίων ἐπιμέλεια, τοὺς δὲ πλουσίους ἐμποδίζει. ὥστε πολλάκις οὐ κοινωνοῦσι τῆς ἐκκλησίας οὔτε τοῦ δικάζειν. διὸ γίνεται τὸ τῶν ἀπόρων πλῆθος κύριον τῆς πολιτείας, ἀλλ' οὐχ οἱ νόμοι.* cf. ib. c. 15. extr. et VI. c. 2.

**) Aristot. Polit. VI. c. 4. Rusticam plebem et pastoralem optimam esse in civitate docet; *τὰ δ' ἄλλα πλήθη πάντα σχεδὸν, ἐξ ὧν αἱ λοιπαὶ δημοκρατίαι συνεστᾶσι, πόλλῳ φαυλότερα τούτων. ὁ γὰρ βίος φαῦλος, καὶ οὐθὲν ἔργον μετ' ἀρετῆς, ὧν μεταχειρίζεται τὸ πλῆθος, τό τε τῶν βαναύσων καὶ τῶν ἀγοραίων ἀνθρώπων καὶ τὸ θητικόν. ἔτι δὲ διὰ τὸ περὶ τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ ἄστυ κυλίεσθαι, πᾶν τὸ τοιοῦτον γένος, ὡς εἰπεῖν, ῥαδίως ἐκκλησιάζει.*

republica conatibus, reprimendaeque temerariae rerum novandarum cupidini, custodemque legum et veteris disciplinae majores esse voluerant, a Pericle aut Periclis consilio ab Ephialte maxima auctoritatis suae parte privatus et in ordinem coactus erat*). Itaque nulla magis re, quam libertate immodica, simul cum antiqua disciplina, gloria, imperium, ipsa denique libertas amissa: neque valebant, quae ad sanandum malum subinde tentabantur: adeo medicinae impatiens erat respublica, neque erant, qui salubriter adhibere scirent. Nam cum, bello Peloponnesiaco, expeditio Syracusana, insatiabili dominandi cupidine suscepta, asperum foedumque eventum habuisset, fractae et attritae belli diuturnitate et defectionibus sociorum opes essent civitatis, ut vix sisti diutius posset, spem et consilium rerum novandarum quidam ceperunt. Optimates enim, continuis liturgiarum sumtibus exhausti, praeterea calumniatorum injuriis vexati**), cum plebs interim innoxia commodis suis nihilo secius frueretur, indignum rati, sibi solis omnia belli mala perferenda esse, conati sunt paucorum imperium restituere***). Simul fore sperabant, ut Persae Laconesque libentius cum paucis pacem facerent, quam cum mobili et infida multitudine, pactorum saepe immemori et ad rebellandum promta****). Igitur Pisander, Antiphon cete-

*) Plutarch. Pericl. c. 7. cf. Meursii. Areopag. c. 9.

**) Lysias: *Δήμου καταλύσεως ἀπολογία*. p. 174. ed. Stephan.

***) Thucyd. VIII. c. 63.

****) Thucyd. VIII. 47. 53. 70. cf. Xenoph. de Rep. Athen. c. 2. §. 17. — Ceterum omnem harum rerum historiam accurate et singulatim persequi, non hujus est loci. Satis est, lectorem amandare ad Thucydidem, aut e recentioribus ad Taylor. Vit. Lys. p. 115. seq. Petr. van Spaan (sive Ruhnkenii) Diss. de Antiphonte, p. 815., Sluiteri. Lectt. Andocidd. init.

rique ejus factionis rem aggressi sunt. Plebs, cum alia nulla salutis spes ostenderetur, simul non diuturnam fore mutationem confisa, quamvis invita, tandem consensit, creatique sunt decemviri, qui novam reipublicae formam describerent. Hi igitur primum creandos curarunt quinque viros, a quibus rursum centum alii crearentur, quorum singuli ternos sibi cooptarent. Ita confecti quadringenti, quorum arbitrio universae reipublicae administratio permittitur. Mutatur omnium magistratuum ratio, dissolvitur quingentorum senatus, constituitur, ut ad comitia, si qua haberi opus sit, non omnes cives, sed quinquies mille, et censu haud exiguo, et cetera quoque huic rerum statui idonei, convocentur: mercedem neque magistratus, neque judices, neque alius quisquam, praeter milites accipiat. — Haec prudenter sane et commode excogitata; sed brevissimum tempus durarunt. Vix enim quatuor menses abierant, cum populus, quoniam neque pacem fieri, et quadringentos dominationem acerbius exercere videbat, imminutae diutius libertatis impatiens et paucorum imperii pertaesus, illos abdicare coegit, quinque millibus autem, eorum qui suis se sumtibus armare possent, rempublicam commiserunt; nam priores illi quinquies mille non re, sed nomine tantum fuerant. Plura praeterea constituerunt ad firmandum civitatis statum; itaque egregio inter paucos plebemque temperamento saluberiter aliquamdiu respublica administrata*) Sed post proelium ad Aegos flumen captasque a Lysandro Athenas, rursum mutata respublica, Lacedaemoniorum jussu, populari imperio semper infestorum**).

*) Thucyd. VIII. c. 97.

**) Etiam ante captam a Lacedaemoniis urbem quaedam novata sunt. Narrat enim Lysias, in Eratosthen. p. 412

Creati igitur sunt triginta viri legibus novis conscribendis, qui, Lacedaemoniorum praesidio et ter mille civium, quibus solis arma habere permissum, auxilio freti, impotenter et crudeliter grassari coeperunt. Senatum enim magistratusque omnes ad suum arbitrium constituerunt, omnesque, qui aut virtute et auctoritate, aut opibus divitiisque excellebant, quosque novandis rebus idoneos putabant, indicta maximam partem causa de medio sustulerunt; ne videlicet ulla recuperandae libertatis spes afflictae civitati relinqueretur*). Sed exsulum manus, Thrasybulo duce, Phylen, Atticae castellum, occupavit, inde, auctis copiis, in Piraeeum transiit, Munychiamque munivit, tyrannorum copias fudit, eosque, qui urbem tenebant, in eas angustias adduxit, ut triginta tyranni abdicare cogerentur, atque respublica Decemviris, singulis ex quaque tribu electis, committeretur. Qui cum nihilo moderatius se gerere coepissent, tandem, omnium animis ad reconciliationem concordiae propensis, pax convenit his legibus, ne qui praeter xxx tyrannos et decemviros adficerentur exsilio, neve bona publicarentur: reipublicae procuratio populo redderetur**). — Ita pace repara-

---

R. post proelium ad Aegos flumen creatos esse quinque Ephoros, qui cum συναγωγεῖς τῶν πολιτῶν ab eo dicantur, patet, eorum munus hoc fuisse, ut comitia haberent. Ab aliis haec non memorantur.

*) Eo spectabat haec quoque lex, qua vetarunt, ne quis oratoriam doceret: λόγων τέχνην μὴ διδάσκειν. Xen. Mem. I. 2. 31. Rhetores enim illis temporibus non verborum solum artificia, sed πολιτικὴν ἐπιστήμην tradebant, quam, ut libertatis instrumentum, metuere solent tyranni.

**) Omnem hanc historiam v. ap. Xenoph. Hellen. II. c. 3 — 4. Diodor. XIV. c. 33, cum Wesselingii notis. Corn. Nep. Thrasybul. c. 2.

ta ad leges, quarum omnis ratio eversa a tyrannis et corrupta erat, instaurandas reficiendasque civitas conversa. Decretum igitur fit, ut legum tabulae recenserentur, novaeque, si quibus opus esse videretur, adderentur. Interim viginti viris reipublicae cura committitur*). Ita brevi in pristinum statum civitas rediit, populique libertas ex hisce mutationibus nihil imminuta, major in posterum et effrenatior evasit; cujus rei causas si quaerimus, hasce potissimum deprehendimus. Primum diminuto belli cladibus optimatium numero, exhaustisque liturgiarum magnitudine facultatibus, vix supererant in civitate, quorum opes libertati periculum creare, aut iis ad audendum aliquid contra plebem animos addere possent. Neque ullo tempore opulentiores isto liturgiarum onere carebant; obeunda erant in bello trierarchiae, in pace ludorum, gymnasiorum epularumque publicarum munera sumtuosissima, quae etiam non mediocres facultates attererent; eoque cupidius a plebe flagitabantur, quo facilius istorum opes diminuerentur**). Ad hoc calumniatores, quorum vix ulla civitas feracior fuit Athenis, tanquam canes reipublicae***), minis et judiciis terrebant et deprime-

*) Andocid. de Myster. p. 11. ed. Stephan. Tulit eo tempore Phormisius quidam, ut iis tantum ad rempubl. accedere liceret, qui agros possiderent; sed non pertulit. vid. Dionys. Halic. in Lysia, p. 92, 41. Sylburg.

**) Xenoph. de Rep. Ath. I. 13. *Ἐν ταῖς χορηγίαις αὖ καὶ γυμνασιαρχίαις καὶ τριηραρχίαις γιγνώσκουσιν, ὅτι χορηγοῦσι μὲν οἱ πλούσιοι, χορηγεῖται δὲ ὁ δῆμος· καὶ γυμνασιαρχοῦσιν οἱ πλούσιοι, ὁ δὲ δῆμος γυμνασιαρχεῖται καὶ τριηραρχεῖται· Ἀξιοῖ οὖν ἀργύριον λαμβάνειν ὁ δῆμος καὶ ᾄδων καὶ τρέχων καὶ ὀρχούμενος καὶ πλέων ἐν ταῖς ναυσὶν, ἵνα αὐτός τε ἔχῃ καὶ οἱ πλούσιοι πενέστεροι γίγνωνται.*

***) Ita accusatores vocantur ab auctore orat. 1. in Aristogiton. p. 782, quem locum ante oculos habuisse videtur Cicero, pr. Rosc. Amerin. cap. 20.

bant omnes, qui vel levissimam suspicionis speciem praeberent; populus autem acer, suspicax, invidus nullos reos factos videbat libentius aut puniebat severius, quam eos, qui contra statum popularem aliquid conati esse arguerentur*).

Deinde, postremis belli Peloponnesiaci annis, auctus erat plebis numerus, receptis in civitatem inquilinis aliisque peregrinis et servis etiam permultis**), quod hominum genus, optimatibus plerumque infestissimum, haud exiguum populari potestati afferre solet incrementum. Nihil autem his hominibus a caritate patria, quam ne agnoscere quidem possunt suam, alienius, nihil largitionum avidius, ad quidvis conandum promtius, ad seditiosorum hominum prava consilia accommodatius. Inde in comitiis temeritas, in judiciis injustitia dominari coeperunt. Perditissimi homines, infimo loco nati, vix liberaliter educati, rerum gerendarum ignari et imperiti, nullis meritis, nulla virtute ornati, una eloquentia, vel potius fallendi, adulandi, tumultuandi arte pollentes, florere in concionibus, plebem exagitare, blandiendo et assentando favorem captare, omni modo plebis jura augere, quo ipsi clariores potentioresque fierent***). Itaque neque magistratuum po-

*) Ridicule, ut solet, hanc civium suorum pravitatem carpit Aristophan. Vesp. v. 482 — 496.

**) Aristoph. Ran. v. 693. cum Schol. cf. Diodor. XIII. c. 97.

***) Cf. Heynii libell: Libertatis et aequalitatis civilis in Athen. rep. ex Aristoph. delineatio, in Opuscc. Acadd. Vol. IV. p. 392 — 415. Valckenar. Dissert. de abusu eloquentiae in Attica republ. (in Diatrib. de Eurip. fragmentt. c. 23.) Ipsum verbum *δημηγορεῖν* cum assentandi et ineptiendi notione nonnunquam dicitur, pro *κεχαρισμένα λέγειν καὶ ἀπαίδευτα*. Vid. Heindorf. ad Platon. Gorg. §. 85.

testas neque Senatus auctoritas in republica valebant; omnia concionum imperitia et temeritate administrabantur. Ibi de bello et pace decernebatur; ibi judicia exercebantur, ibi leges ferebantur innumerae, aliae aliis contrariae, inutiles, mox abrogandae et cum aliis permutandae; neque audiebantur prudentium virorum consilia; levissimus quisque et impudentissimus in suggestu liberrime clamabat et vulgo maxime probabatur; vociferationibus, conviciis, jurgiis, ira, risu, tumultu omnia agebantur.

Atque hoc modo Atheniensium respublica emensa est istum cursum, quem Polybius, gravissimus auctor, et prudentia civili et omnis antiquitatis memoria instructissimus, quasi fatorum lege rebus humanis praescriptum et definitum, complexus est his verbis: digna enim sunt, quae ipsa adscribantur:

Πρώτη μὲν οὖν, inquit, *ἀκατασκεύως καὶ φυσικῶς συνίσταται Μοναρχία· ταύτῃ δ' ἕπεται καὶ ἐκ ταύτης γεννᾶται μετὰ κατασκευῆς καὶ διορθώσεως Βασιλεία. μεταβαλλούσης δὲ ταύτης εἰς τὰ συμφυῆ κακά, λέγω δὲ εἰς Τυραννίδα, αὖθις ἐκ τῆς τούτων καταλύσεως Ἀριστοκρατία φύεται. καὶ μὴν ταύτης εἰς Ὀλιγαρχίαν ἐκτραπείσης κατὰ φύσιν, τοῦ δὲ πλήθους ὀργῇ μετελθόντος τὰς τῶν προεστώτων ἀδικίας, γεννᾶται Δῆμος· ἐκ δὲ τούτου πάλιν ὕβρεως καὶ παρανομίας ἀποπληροῦται σὺν χρόνοις Ὀχλοκρατία* *).

Sed nobis hic subsistendum: persecuti sumus, quae nobis persequenda sumseramus. Consilium enim erat, ostendere, quo modo quibusve causis populi libertas, cujus praecipuum instrumentum sunt comitia, orta sit in Attica republica et confirmata, ac postremo supra modum aucta et in effrenatam licentiam conversa. Itaque nunc jam ad ipsam de comitiis tractationem progrediemur, in qua quidem ita

*) Polybius, lib. VI. cap. 4.

versabimur, ut primo libro disseramus de comitiorum generibus, de eorum temporibus ac locis, quo modo convocata, a quibus magistratubus habita sint, qui suffragium habuerint, quibus ritubus inita sint, quomodo res ad disceptandum propositae, verba facta, suffragia lata, scita conscripta, denique populus dimissus sit; secundo autem libro dicamus de rerum generibus, quae in comitiis tractari solebant, de judiciis, de legibus ferendis abrogandisque, de sacris, de re pecuniaria, de magistratubus creandis, et quae sunt alia; tertio denique libro breviter agamus de tribuum demorumque seu curiarum conventubus.

DE

COMITIIS ATHENIENSIUM.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Comitiorum generibus.

Duplex statui debet genus comitiorum [1]) vel eorum conventuum, in quibus de publicis negotiis a civibus consultatur ac decernitur; nam aut universa civitas convenit propter negotia, ad summam rempublicam pertinentia omnibusque communia, aut singulae civitatis partes, veluti tribus et populi s. *demi*, publicorum quidem negotiorum causa, sed quae tamen istis partibus magis sint propria. Illud genus peculiari *ecclesiae* nomine appellatur; hoc alterum *ἀγορὰν* dictum conjicio ex Aeschinis oratoris loco, ubi ait: *ἔγραψε ψήφισμα Δημοσθένης, ἀγορὰν ποιῆσαι τῶν φυλῶν* [2]). Quamquam antiquitus latius patebat

1) Graecum *ἐκκλησίας* vocabulum non uno semper modo a me expressum est; cujus rei hic mihi reddenda est ratio. Comitiorum et concionis nomina graeco non omnino respondent; utrumque aliquam significationis illius partem, neutrum omnem exprimit. Itaque latini scriptores Graecorum concilia modo comitia dicunt, modo conciones. vid Cic. Verr. II. 52 et alibi; cf. pro Flacco, cap. 7. Liv. XXXIII. 28. Nonnunquam etiam graecum vocabulum *ecclesiam* retinent, ut Plinius Ep. X. 111. aliique multi. Ex his vocabulis, quod ubique maximo convenire videbatur, eo usus sum.

2) Aeschin. advers. Ctesiphont. p. 421. ed Reisk.

hujus vocabuli significatio, et apud Homerum omnes populi conventus ἀγοραὶ dicuntur, quod apud Cretenses etiam posteris temporibus factum esse videtur[3]). Inde ipse conventuum locus, forum quoque rerum venalium, ἀγορᾶς nomen accepit; sicuti ἐκκλησία quoque, ut de Christiano verbi usu taceam, apud Suidam aliosque sequioris aetatis Grammaticos comitiorum locum designat[4]). Sed illi universi populi conventus, quibus proprium est ecclesiae nomen, haud raro etiam ipso *populi* nomine appellantur, frequentissimaeque sunt locutiones hujuscemodi: πλήρης ὁ δῆμος, προσιέναι τῷ δήμῳ, λέγειν ἐν τῷ δήμῳ, συγγράφειν ἐν τῷ δήμῳ, aliaeque multae[5]).

Jam ecclesiae aut ordinariae sunt, quaternae singulis Prytaniis, aut extraordinariae, cum propter subita quaepiam negotia populus convocatur. Atque hae quidem ἐκκλησίαι σύγκλητοι dicuntur. Quodsi in gravioribus rebus, de quibus quam plurimos certiores fieri et in commune statuere oporteret, etiam rustica plebs, missis per agros nuntiis, in urbem evocabatur, id quod alioquin fieri non solebat; hi con-

---

3) Lexic. Rhetor. in Bekkeri Anecdot. I. p. 210. Ἀγορὰν καλοῦσι Κρῆτες τὴν ἐκκλησίαν. Inde ἀγοράζειν, ἀγορᾶσθαι pro δημηγορεῖν apud Homerum, non autem pro ἐκκλησιάζειν, ut explicat Hesychius; quandoquidem hoc verbum apud bonos auctores non est concionari, sed comitiis interesse. v. Xen. Rep. Ath. I. 9.

4) Suidas in Μέτων: Πρὸ Πυθοδώρου δὲ ἡλιοτρόπιον ἦν ἐν τῇ νῦν οὔσῃ ἐκκλησίᾳ πρὸς τῷ τείχει τῷ ἐν Πνυκί. Schol. Cod. Bavar. ad Demosth. or. de coron. p. 59. R. Πνὺξ, ἐκκλησία. Schol. ad Lucian. Iov. Tragoed. c. 12. p. 256. Bip. Πνὺξ λέγεται ἡ ἐκκλησία τῶν Ἀθηναίων, παρὰ τὸ πεπυκνῶσθαι τοὺς συνερχομένους ἐν αὐτῇ. Cf. Schol. ad Bis accus. c. 9. p. 59. Schol. ad Aristoph. Acharn. v. 20. Etym. M. s. v.

5) Aristoph. Ecclesiaz. v. 95. Xenoph. Mem. III. 7. 1. Plat. Gorg. p. 451, b,

ventus *κατακλησίαι*, ipsa autem convocatio *κατάκλησις* dicebatur[6]).

Ordinaria autem comitia *ἐκκλησίας νομίμους* vel *κυρίας* appellatas esse e veteribus Grammaticis nonnulli, recentiores autem antiquitatum Atticarum scriptores fere omnes perhibent[7]). Quamquam equidem de *κυρίαις* magnopere dubitandum arbitror. Auctorem hujus sententiae habent Aristophanis Scholiasten, quem Suidas pro more suo exscripsit[8]). Is enim, ad illos ex Acharnensibus versiculos:

— — *οὔσης κυρίας ἐκκλησίας*
ἑωθινῆς, ἔρημος ἡ Πνὺξ αὐτηΐ.

κυρίας, ait *ἐκκλησίας, ἐν ᾗ ἐκυροῦν τὰ ψηφίσματα. εἰσὶ δὲ νόμιμοι ἐκκλησίαι αἱ λεγόμεναι τρεῖς τοῦ μηνὸς Ἀθήνησιν.--- αἱ μὲν οὖν νόμιμοι καὶ ὡρισμέναι ἐκκλησίαι κυρίαι λέγονται, ὡς ἔφαμεν. κ. τ. λ.* At longe aliter Pollux, Hesychius, Harpocration. *Τῶν ἐκκλησιῶν*, inquit Pollux[9]), *ἡ μὲν κυρία, ἐν ᾗ τὰς ἀρχὰς ἐπιχειροτονοῦσιν, εἴπερ καλῶς ἄρχουσιν, ἢ ἀποχειροτονοῦσιν. ἐν ᾗ καὶ τὰς εἰςαγγελίας ὁ βουλόμενος εἰσαγγέλλει, καὶ τὰς ἀπογραφὰς τῶν δημευομένων ἀναγινώσκουσιν οἱ πρὸς ταῖς δίκαις, καὶ τὰς λήξεις τῶν κλήρων. Ἡ δὲ δευτέρα ἐκκλησία ἀνεῖται τοῖς βουλομένοις ἱκετηρίαν θεμένοις λέγειν ἀδεῶς περί τε τῶν ἰδίων καὶ τῶν δημοσίων. Ἡ δὲ τρίτη κήρυξι καὶ πρεςβείαις ἀξιοῖ χρηματίζειν -- ἡ δὲ τετάρτη περὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων.* Apparet Pollucem primam modo ex quatuor ecclesiam *κυρίαν* dicere, eamque a reliquis tribus hoc

---

6) Pollux VIII. 116. cf. Valckenar. ad Ammon. Animadvers. I. c. 17. p. 71. Verbum autem *κατακαλεῖν* proprie est, ex agris in urbem evocare; veluti *καταβαίνειν εἰς ἄστυ* dicitur is, qui rure in urbem proficiscitur. Isocrat. Areopagit. p. 556.

7) Praeter Sigonium, de Rep. Ath. II. 4. qui Pollucem sequitur unum, et Pfeiferum, Antiq. Graec. II. 55. p. 293.

8) Schol. ad Acharn. vs. 19. Suid. in *ἐκκλησία κυρία*.

9) Pollux. VIII. 95.

nomine distinguere; neque hoc Petitum fefellit, sed, qua est in numerorum notis inserendis, mutandis, delendis temeritate, hoc quoque loco rescribendum esse contendit: *ἡ μὲν κυρία α΄*, i. e. *πρώτη*: ne videlicet Pollux ab Aristophanis Scholiasta dissentire videatur[10]). At Hesychius quoque unam tantummodo *κυρίαν ἐκκλησίαν* agnoscit: *μία*, inquit, *κυρία ἐκκλησία ἤγετο Ἀθήνησιν, ἐν ᾗ τὰς ἀρχὰς ἐπιχειροτονεῖν ἔδει*[11]). Atqui hoc de magistratibus ferendum a populo suffragium Pollux primae ecclesiae assignat, quam et ipse *κυρίαν* dicit: itaque Hesychius cum Polluce consentit, non cum illo Scholiasta. Porro Harpocration quoque, unus inter omnes Grammaticos antiquitatum Atticarum longe peritissimus, ut explicet, quid sit *κυρία ἐκκλησία*, haec affert ex Aristotele: *προγράφουσι δὲ (οἱ πρυτάνεις) καὶ κυρίαν ἐκκλησίαν, ἐν ᾗ δεῖ τὰς ἀρχὰς ἀποχειροτονεῖν, οἳ δοκοῦσι μὴ καλῶς ἄρχειν· καὶ περὶ φυλακῆς τῆς χώρας· καὶ τὰς εἰσαγγελίας ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ τοὺς βουλομένους ποιεῖσθαί φησι, καὶ τὰ ἑξῆς*[12]). Unam igitur ecclesiam *κυρίαν* dicit fuisse, in qua de magistratubus tractatum sit, delationesque ad populum latae; quae, Polluce auctore, in primam ecclesiam cadunt. Denique Etymologus quoque: *Κυρία*, inquit, *σημαίνει τὴν προθεσμίαν* (in judicio) *καὶ τὴν ἐκκλησίαν, ἐν ᾗ τὰς ἀρχὰς ἐχειροτονοῦν* (scr. *ἐπεχειροτονοῦν*). — Videmus itaque quatuor hosce Grammaticos summo consensu unam *κυρίαν* agnoscere ecclesiam, non plures, ut Aristophanis interpres: quodsi auctoritates valere debent, dubium esse non potest, utra sit po-

---

10) Petit. L. L. A. A. III. 1. p. 277.

11) Hesych. s. v. *κυρία ἐκκλησία*. Immerito ibi Valesius *ἀποχειροτονεῖν* rescribi voluit.

12) Harpocr. s. v. *κυρία ἐκκλησία*. *προγράφουσι* pro vulgato *προσγρ.* rescribendum esse Valesius et Iungermann (ad Polluc. l. l.) viderunt.

tior sententia. Jam quid rei ipsi ac rationi consentaneum sit, videndum. Nemo autem non intelligit, quam parum veri simile sit, fuisse a legislatore singulis prytaniis singulas ecclesias supplicibus, singulas legatis caduceatoribusque audiendis constitutas; quid enim minus expectari poterat, quam toties futuros esse, qui supplices populum adire, aut legatos caduceatoresque, qui cum populo agere vellent? Id ne Cimonis quidem aut Periclis aetate, cum mirum in modum opes atque imperium Atheniensium crevissent, tam saepe evenire potuisse videtur; nedum ante illud tempus, rarioribus cum aliis civitatibus commerciis, necdum parto maris imperio. Quamobrem hoc probabilius videtur, fuisse initio singulas ecclesias, certis singularum prytaniarum diebus habendas, a Solone constitutas, easque propter id ipsum *κυρίας* dictas esse [13]). Et sane, quae Pollux in *κυρίᾳ ἐκκλησίᾳ* tractata esse dicit, ea omnia sunt ejusmodi, quae singulis prytaniis deficere non possent. Sed si quae res praeterea accidissent, de quibus populum consuli oporteret, quaeque differri non possent, concionem extra ordinem convocatam esse. Aucta autem republica multiplicatisque negotiis, harum quoque concionum, quae praeter *κυρίαν* illam convocarentur, ordinem ac modum legibus definitum esse, quem Pollucis verbis supra adscripsi, ita tamen, ut *κυρίας* nomen illi uni proprium relinqueretur. Quamquam illud quidem non temere quisquam affirmare ausit, et quaternas haud minus ecclesias necessario semper habendas, et illum rerum tractandarum ordinem ita fixum et immutabilem fuisse, ut eum

13) Falsam enim esse illam nominis derivationem, quam Aristophanis interpres aliique nonnulli proponunt, *παρὰ τὸ κυροῦν τὰ ψηφίσματα*, vix opus est adnotari. cf. Biagi, de Decretis Atheniensium. c. III. §. 14.

nefas esset migrari. Aristophanes certe in Acharnensium fabula legatos a Persarum Thracumque regibus reversos, in κυρίᾳ ecclesia legationem populo renuntiantes facit[14]; quod ne poëtae quidem fingere licuit, si legibus institutisque reipublicae plane contrarium erat. Itaque Pollux generatim tradit, quod plerumque observari solebat.

Sed ut ad Aristophanis Scholiasten revertar, potest is quoque haud prorsus falsa fictaque promsisse videri, cum ternas κυρίας ecclesias singulis *mensibus* fuisse dicat. Etenim Pollux et Harpocration Aristotelem auctorem sequuntur, eamque reipublicae formam, eas leges ea instituta describunt, quae Aristoteles viderat memoriaeque mandaverat. Sed haud multis post Aristotelem annis cum alia novata sint in Attica republica, tum fortassis haec quoque ecclesiarum ratio mutata est, et κυριῶν nomen ad omnes ordinarias translatum. Atque ne nulla ratione commotus hoc sumsisse videar, exstat apud Diogenem Laertium[15]) Psephisma, ab Atheniensibus in Zenonis honorem factum, quamvis suspectum, non tamen manifesto ementitum[16]), in quo commemoratur κυρία ἐκκλησία, τρίτῃ καὶ εἰκοστῇ τῆς πρυτανείας, quae certe illius prytaniae prima ecclesia esse non potuit. Itaque, si quid huic psephismati auctoritatis tribuendum est, apparet, ceteras quoque ecclesias κυρίας dictas esse. Scholiasten autem illum ad haec tempora post Ol. CXVIII. 6, respexisse, et quae tunc obtinebant, ad superiora quoque tempora retulisse, id, spero, paullo infra probabitur.

---

14) cf. Kühn. ad Polluc. VIII. 96.

15) Diogen. Laert. Vit. Zenon. s. 10. p. 371. ed. Meibom.

16) cf. Bruckeri Histor. Philos. II. 10.

CAPUT II.

De statis comitiorum diebus.

Pervulgata est inter omnes opinio, a Petito maxime propagata, quaterna ista singularum prytaniarum comitia ordinaria certis statisque diebus assignata fuisse, undecimo, vigesimo, trigesimo ac trigesimo tertio prytaniae diei; descriptumque est a Petito Calendarium Atticum, notatis prytaniarum initiis et statis comitiorum diebus[1]). Hanc opinionem dum ego refellere aggredior, deprecatione mihi utendum esse puto, ne quis me, nova quaedam et incognita proferendi studio commotum, doctissimorum virorum placitis contradicere suspicetur; qua arrogantia nihil est ab ingenio meo alienius. Sed hac mihi via ingrediendum esse statui, ut omnia ipse examinarem diligenter, neque pro vero quicquam amplecterer, nisi quod certis veterum scriptorum testimoniis aut probabilibus rationibus confirmari posse viderem. Hac igitur disserendi lege proposita, primum Calendarii istius rationes excutiemus.

Prytaniam in vulgari anno lunari, qui CCCLIV diebus constat, XXXV aut XXXVI dierum tempus complecti, notum est in vulgus, neque incertum[2]). Distributis enim CCCLIV diebus in X prytanias, obveniunt singulis dies quini et triceni, residuis diebus quatuor: quorum singuli aut primis quatuor prytaniis aut postremis attribui solebant, ut quaternae essent XXXVI dierum prytaniae. Illam sententiam Sigonius,

1) Petit. L. L. A. A. III. 1. p. 278 — 283.

2) v. Argum. 2. orat. Demosth. adversus Androtion. p. 590. R. cf. Petav. Doctr. temp. II. 1. qui corrupta quaedam illius argumenti loca tacite emendat.

Dodwellus et Corsinius amplectuntur, Suidae auctoritatem secuti[3]); haec tamen ex vetere quadam inscriptione probari posse videtur, quae, cum pecunias, populi jussu, Archonte Glaucippo (Ol. XCII. 3) ex aerario erogatas recenseat, simulque prytaniarum dies, quibus quaeque summa numerata sit, adnotet, octavae, nonae decimaeque prytaniae diem trigesimum sextum numerat[4]). In intercalari autem anno, qui diebus CCCLXXXIV constabat, prytanias aut XXXVIII aut XXXIX dierum fuisse oportet; quamquam hic quoque incertum est, utrum primae an postremae longiores fuerint. Sed utut hoc sit, illud certe falsissimum est, quod Petitus amplectitur, quatuor istos dies residuos primis quatuor prytaniis ita attributos esse, ut quatuor tribus, quae ineunte anno suam quaeque prytaniam gessissent, iterum anno extremo, exactis scilicet CCCL aut CCCLXXX diebus, singulis diebus imperarent. Quod cum crederet Petitus, fieri sane non potuit, quin aut omnium aut certe

3) Suid. s. v. *πρυτανεία.* — — *ἐπερίττευον ἐκ τοῦ σεληνιακοῦ ἐνιαυτοῦ ἡμέραι τέσσαρες, ἅς ἐπεμέριζον ταῖς πρώταις λαχούσαις πρυτανεύειν τέσσαρσι φυλαῖς· καὶ τῶν μὲν τεσσάρων πρωτῶν ἑκάστη εἶχε τὴν πρυτανείαν ἀπαρτιζομένην εἰς λς' ἡμέρας, αἱ δὲ λοιπαὶ ς' ἀνὰ λέ.* cf. Sigon. de Rep. Ath. II. c. 3. Dodwell. de Cyclis. Dissert. I. sect. 9. et 10. Corsini F. A. Dissert. III. n. 28.

4) Annus ille, Ol. XCII. 3, quartus est periodi Metonicae secundae. Quodsi hac periodo Athenienses ad castigandos annos suos lunares publice usos esse statuimus, pro vulgari annus iste habendus est. Sed tamen non diffiteor, incertissimum mihi videri, utrum publice receptus sit illius periodi usus, nec ne, et, si receptus sit, quanam ratione eam ad fastos suos constituendos adhibuerint. Vid. Petav. Doctrin. tempp. I. 14 et II. 13. cf. Ideler: Ueber die astronomischen Beobachtungen der Alten, p. 208. sq. — Inscriptionem illam, cujus mentionem feci, publicavit nuper Boeckhius: Staatshaushalt d. Athen. Inscriptt. Tab. I. no. 1.

trium postremarum prytaniarum initia falso ab eo constituerentur.

Deinde erravit Petitus in solidis cavisque mensibus digerendis. Fuerunt enim Atheniensium menses alternis XXX et XXIX dierum; illos solidos v. plenos, πλήρεις, hos cavos, κοίλους, dixerunt. Scirrhophorionem autem, extremum anni Attici mensem, cavum, Hecatombaeonem, ex quo ordiebatur annus, solidum fuisse constat; quod cum alternis solidi cavique succederent, Boedromionem, Maemacterionem, Gamelionem, Elaphebolionem et Thargelionem solidos, Metagitnionem autem, Pyanepsionem, Posideonem, Anthesterionem et Munychionem cavos fuisse oportet[5]. At Petitus, qui solidi sunt, cavos, qui cavi, solidos fecit; id quod alii jam notarunt[6].

Denique in eo fallitur Petitus, quod eorum mensium, quos ipse cavos putat, nos vero solidos esse indicavimus, secundum diem, τὴν δευτέραν ἱσταμένου, exemtilem esse arbitratur, atque in Hecatombaeone, verbi causa, post νουμηνίαν statim numerat τρίτην. Duplex is error est, cum et ex eo mense, qui exemptionem nullam patiatur, diem eximat, et eum diem eximat, qui exemptilis ne in cavis quidem mensibus sit. Quamquam enim constat, cum cavorum quoque mensium postremus dies Τριακάς dici soleret, licet revera vigesimus nonus esset[7], unum aliquem diem in numerando omissum esse, quo ceterorum ratio constaret; illud tamen nullis idoneis argumentis probari potest, quod Petitus et, quem is auctorem sequitur, Scaliger, sibi persuaserunt, secundum horum mensium

5) vid. Idelerum p. 199. sq. et de vero mensium ordine Buttmannum in eod. libr. p. 383. sq. De Boedromione et Pyanepsione vid. tamen, quae infra, not. 24., dicentur.

6) Cors. F. A. Diss. II. n. 10. sq. et Biagi, de Decr. Ath. II. §. 15

7) Vid. Ideler. p. 184. sq.

diem suppressum et exemptilem fuisse[8]). Ceterum duplex hac de re proponi solet sententia; altera Theodori Gazae, altera Procli. Gaza enim post εἰκάδα statim ἐνάτην φθίνοντος numeratam esse ex Pollucis quodam loco probari posse putat, ubi haec leguntur[9]): τὸ δὲ ἀπὸ τούτου (sc. ἀπὸ τῆς εἰκάδος) ά ἐπὶ εἰκάδι. ἡ δ' αὐτὴ καὶ θ' φθίνοντος. θ' γὰρ λοιπὰ ἀπὸ τῆς κά. Putat itaque, Pollucem hoc loco solius cavi mensis dies numerasse, cujus vicesimum primum etiam ἐννάτην φθίνοντος dictum esse tradat. Atque hanc sententiam Petavius[10]) quoque amplectitur; sed corruptum esse Pollucis locum et hoc modo corrigendum arbitratur: ὅτε θ' γίνεται λοιπὰ ἀπὸ τῆς κά; videlicet ne Pollux nimis indefinite ac generatim loqui videatur. At veram hujus loci lectionem ex codice manuscripto Dodwellus[11]) et Jungermannus protulerunt: — πρώτη ἐπὶ εἰκάδι. ἡ δὲ αὐτὴ καὶ δεκάτη φθίνοντος. καὶ δευτέρα ἐπὶ εἰκάδι· ἡ δὲ αὐτὴ καὶ ἐννάτη φθίνοντος; qua lectione recepta, Gazae sententia concidit[12]). Restat igitur Proclus, qui δευτέραν φθίνοντος omissam esse docet. Haec sententia, Dodwello quoque probata, refelli quibusdam videtur Pollucis loco[13]), ubi de Areopagitis dicitur: καθ' ἕκαστον δὲ μῆνα τριῶν ἡμερῶν ἐδίκαζον ἐφεξῆς, τετάρτῃ φθίνοντος, τρίτῃ, δευτέρᾳ; quodsi in cavis mensibus omissa esset δευτέρα, Pollu-

---

8) v. Corsini F. A. Dissert. II. n. 12. 13.

9) Pollux, I. 63.

10) Petav. Doctrin. tempp. I. c. 5. extr.

11) Dodwell. de Cyclis Dissert. I. sect. 38.

12) Praeterea δεκάτη φθίνοντος mensis Scirrhophorionis, qui cavus fuit, numeratur a Demosthene, de fals. legat. p. 559. R. ὑστέρα τοίνυν δεκάτη, ἐνάτη, ὀγδόη. ὑστέρα δεκάτη est δεκάτη φθίνοντος. v. Hesych. s. v. δεκάτη προτέρα.

13) Proclus ad Hesiod. Op. et. D. v. 766. — Dodwell. de Cyclis l. l. — Pollux, VIII. 117. — Corsini. l. l. Ideler p. 525.

cem distinctius locuturum fuisse putant. At mihi tanta diligentia illo in loco vix requiri posse videtur, neque idcirco prohiberi me patior, quo minus in Procli sententia acquiescam.

Propter haec igitur istius Calendarii vitia, cum et mensium spatia, et exemptilium dierum ratio, et prytaniarum initia perperam descripta sint, fieri nullo modo potuit, ut comitialium dierum loci, (si quidem illi cujusque prytaniae dies comitiales fuerint, quos Petitus fuisse arbitratur, undecimus scilicet, vigesimus, tricesimus et tricesimns tertius, quod equidem incertissimum esse paullo post probabo) sed, ut verum hac in re Petitus invenerit, fieri tamen non potuit, ut horum dierum sedes recte ab eo constituerentur. Neque inscriptiones, psephismata aliaque veterum scriptorum loca, quae ad confirmandum illud Calendarium attulit, quidquam auxilii ferunt, sanum modo ac sobrium judicium adhibeatur. Nam primum vetus Inscriptio, quam e Grutero[14]) attulit:

Ἐπὶ Ἀρισταίχμου ἄρχοντος, Γαμηλιῶνος δεκάτῃ ἱσταμένου, ἐκκλησία κυρία ἐν τῷ ἐκκλησιαστηρίῳ. Μένανδρος Μενάνδρου Μελιτεὺς εἶπεν κ. τ. λ.

haec igitur Inscriptio neque Attica est, sed Deliaca[15]), neque ex iis temporibus, ad quae Calendarium illud pertinet, sed post Olympiadem CXVIII scripta, quo tempore Athenienses, et in Attica, et, quod dubitari non potest, Deli quoque non decem sed duodecim prytanias numerabant. Etenim illius Olympiadis anno secundo, cum Demetrius Poliorcetes a Cassandri dominatione urbem liberasset, in victoris honorem et

14) Gruter. Thesaur. Inscr. p. 406. Exstat praeterea haec Inscriptio apud Fanelli: Atene Att. p. 322. Montfaucon. Diar. Ital. p. 43. 44. Biagi, de Decret. p. 430; quorum locorum notitiam Boeckhio debeo.

15) Corsini. F. A. Diss. VII. cf. Biagi de Decret. II. §. 14.

alia excogitarunt Athenienses, et hoc constituerunt, ut duae tribus novae veteribus decem adderentur, atque a Demetrii patrisque Antigoni nominibus appellarentur. Hic tribuum numerus in posterum quoque permansit, quamquam mutatis Antigonidis et Demetriadis cum Ptolemaide et Attalide nominibus; donec Hadriani aetate decima tertia tribus Hadriania accessit. Aucto autem tribuum numero, etiam prytaniarum ac comitialium dierum rationem mutari necesse erat: ex quo intelligi potest, quo jure Petitus ista inscriptione abutatur. Idem de psephismate apud Iosephum dici potest, quod secundo loco in subsidium vocatur a Petito: *Μηνὸς Πανέμου πέμπτῃ ἀπιόντος, ἐπὶ Ἀγαθοκλέους ἄρχοντος, Εὐκλῆς Μενάνδρου Ἁλιμούσιος ἐγραμμάτευε, Μουνυχιῶνος, ἑνδεκάτῃ τῆς πρυτανείας, ἐκκλησίας γενομένης ἐν τῷ θεάτρῳ.* Hoc quoque psephisma ex XII prytaniarum tempore est: neque Panemus Syromacedonum Munychioni Attico tam accurate respondet, quam Petitus putat. — Quod autem Aeschinem quoque testem excitat, id ridiculum dicerem, nisi aliud magis ridiculum memorandum restaret. Aeschines enim Demosthenem criminatur, qui legem tulerat, *ἐκκλησίαν ποιεῖσθαι τοὺς πρυτάνεις τῇ ὀγδόῃ ἱσταμένου τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς, ὅτε ἦν τῷ Ἀσκληπιῷ ἡ θυσία, καὶ ὅτ' ἦν προαγὼν, ἐν τῇ ἱερᾷ ἡμέρᾳ, ὃ πρότερον οὐδεὶς μέμνηται γενόμενον*[16]). Quis non videt, illud reprehendi, quod Demosthenes populum festo die convocari jussit, contra leges patrias ac morem majorum? Tamen Petitus se id non videre simulat. „Hoc die," inquit, „cogebatur pro more" (unde tandem morem istum didicerit, nisi ex Calendario suo?) „concio quarta *τῶν κυρίων*, in qua *περὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων* agebatur; sed Demosthenes voluit referri de legatis ad Phi-

---

16) Aeschin. advers. Ctesiphont. p. 455. sq. R.

ſippum mittendis, atque id unum est, quod Aeschini improbatur.“ Videlicet verba illa: *ὅτε ἦν τῷ Ἀσκληπιῷ ἡ θυσία, καὶ ὅτ' ἦν προαγὼν, ἐν τῇ ἱερᾷ ἡμέρᾳ* prorsus otiosa sunt, aliena, sine vi, temere ac nullo consilio interjecta. Quid plura addam? Certum est, isto die comitia nulla unquam habita esse, neque de sacris profanisque rebus, neque de legationibus, aliave ulla de re; ideoque, quia dies erat non comitialis, Demosthenem tulisse, ut convocaretur populus extra ordinem, qua convocatione nil opus fuit, si stata illo die comitia habenda erant. — Sed hoc nihil est, praeut quae de statis comitiis, secundo Thesmophoriorum die habendis ineptit. Apud Aristophanem enim in Thesmophoriazusis (v. 78) mulieres concilium de Euripide habere finguntur eo die, quem ita ibi Mnesilochus definit:

— — νῦν γ' οὔτε τὰ δικαστήρια
μέλλει δικάζειν, οὔτε βουλῆς ἔσθ' ἕδρα,
ἐπεὶ τρίτη 'στὶ Θεσμοφορίων ἡ μέση.

Tertius Thesmophoriorum dies est Pyanepsionis XVI; Petitus autem, cum e Calendario suo didicerit, Pyanepsionis die XV ordinaria comitia habenda fuisse, quo ne mulieres quidem istius Calendarii legibus solutae sint in conciliis suis, neve poëta in fingendo, primum Aristophanis locum ita corrumpit, ut ne graecus quidem evadat:

ἐπεὶ τρίτης ἦ Θεσμοφορίων ἡ μέση,

dein ita interpretatur, ut, quid dicat, vix intelligi possit. Ait enim, quatuor Thesmophoriorum dies (tot enim esse putat, cum quinque sint) in tres trientes ab Aristophane distribui, dierum singulorum cum horis octonis; eorumque trientium hoc loco designari secundum, cujus initium sit circa orientem solem, secundo Thesmophoriorum, quinto et decimo Pyanepsionis die, quo habebatur, inquit, *ἡ περὶ*

ἱερῶν κυρία ἐκκλησία, quae quarta est prytaniae. Sed haec ab aliis jam explosa sunt[17]); illud vix quisquam, nisi qui viderit, fieri potuisse credat, ut prudens homo, et qui criticam profiteretur, in comici poëtae lusu, fictoque ridicule muliercularum conventu eam legum institutorumque publicorum observantiam requireret, ut, qui dies populi comitiis legitime destinati essent, in eosdem etiam conficta mulierum concilia a poëta necessario conferenda fuisse putaret. — Reliquum est, ut de duobus psephismatis dicamus, quae ex Demosthenis oratione de corona Petitus protulit. Alterum hac est praescriptione: *Ἐπὶ Μνησιφίλου ἄρχοντος, συγκλήτου ἐκκλησίας ὑπὸ στρατηγῶν γενομένης, καὶ πρυτάνεων καὶ βουλῆς γνώμῃ, Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ἀπιόντος, Καλλισθένης Ἐτεονίκου Φαλη·εὺς εἶπε*[18]). Apparet, Maemacterionis *δεκάτῃ φθίνοντος*, qui Petito dies est vigesimus, revera autem vigesimus primus, populum extra ordinem a strategis convocatum esse; neque hunc diem legitime ac ordinarie comitialem fuisse. Attamen Petitus, cum in Calendario suo *κυρίαν ἐκκλησίαν* huic diei adscriptam videat, novam quandam et veteribus incognitam *συγκλήτου ἐκκλησίας* significationem comminiscitur. Nam *κυρίας* quoque ecclesias *συγκλήτους* dictas esse contendit, siquando, propter imminens periculum, etiam legitimo et stato comitiorum die, strategi populum cogerent, ut frequentiores adessent undique Athenienses. Sed novum hoc inventum idoneis rationibus probare supersedit; et quae ita asseruntur, verbo negare licet. — Alterius psephismatis praescriptio haec est: *Ἐπὶ ἄρχοντος Μνησιφίλου, Ἑκατομβαιῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ, φυλῆς πρυ-*

17) v. Wesseling. ad Petit. p. 284.

18) De Coron. p. 238. R.

τανευούσης Πανδιονίδος, Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεὺς εἶπεν[19]). Hic locus unus ex omnibus aptus foret ad probandam Petiti sententiam, trigesimum prytaniae diem comitialem esse, si in Calendario suo Hecatombaeonem mensem solidum, ut par erat, non cavum fecisset. Trigesimus enim Hecatombaeonis dies cum trigesimo primae prytaniae necessarie congruit. At Petitus, Hecatombaeonem cavum esse arbitratus, trigesimum primae prytaniae diem in Metagitnionis primum contulerat; itaque, ne nullum tamen ex hoc psephismate fructum caperet, aliam quandam rationem excogitavit, qua se expediret. Psephisma illud Senatus consultum esse contendit, postridie ad populum ferendum; sed unde id collegerit, dicere supersedit, neque ego probabile esse arbitror, oratorem, neglecto plebiscito, Senatus consultum potius recitasse, quod absque populi auctoritate irritum erat. — Ceterum norunt, qui Demosthenem et Aeschinem legerunt, quam obscura sit et inexplicabilis in illo psephismate temporis ratio. Nam quae, ex horum oratorum narrationibus optime inter se congruentibus, inter Elaphebolionis decimum nonum et vigesimum quartum diem gesta esse apparet, ea in hoc psephismate ad Hecatombaeonis trigesimum referuntur[20]). Quamobrem Corsinius corruptum esse locum pronuntians, pro *Ἑκα-*

19) De Coron. p. 235. R.

20) Uberius haec omnia a Corsinio, F. A. Dissert. III. 17. cf. II. 15. et Tayloro ad Demosth. de Cor. p. 235. exposita sunt, ad quos nunc quidem lector amandandus est; quamquam sufficit, ipsa Aeschinis ac Demosthenis loca indicare, quibus omnis haec disputatio continetur. Aesch. adv. Ctesiph. p. 455. 456. 458. de fals. leg. 259. 268. Demosth. de leg. 359.

τομβαιῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ rescribendum esse censuit: *Ἐλαφηβολιῶνος ἐννάτῃ φθίνοντος*. Atque iisdem tricis impedimur in alio ejusdem orationis psephismate; nam quae ex Demosthenis narratione, (or. de fals. leg. p. 359. sq.) d. XXVII Scirrhophorionis decreta esse colligas, ea in isto psephismate d. XXI Maemacterionis, octo ante mensibus, rogata esse dicuntur. Itaque hic quoque Corsinius pro *Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ἀπιόντος* rescribi vult: *Σκιῤῥοφοριῶνος τετράδι φθίνοντος*. Utraque correctio, cum rerum gestarum temporibus aliunde notis, accommodata sit, longius tamen a vulgata scriptura recedit, quam ut omnium consensu comprobetur. Taylorus quidem nihil mutandum esse putat, sed illam psephismatum narrationumque in temporibus notandis discrepantiam ex mutata fastorum ratione explicare conatur. Mutatam autem illam esse, neque semel fortassis, maxime post annum Julianum a Graecis quoque acceptum, satis inter omnes constat. „Ea ratione," inquit, „contingere potuit, ut praeter vetustam horum oratorum *ἔκδοσιν*, quae juxta eorum aetatem describi poterat, prodierit alia ad vulgarem usum concinnata atque ad eam fastorum rationem accommodata, quae tum increbrescebat et usu quotidiano pervulgabatur. Unde non alia et diversa anni parte hae res geri describuntur in utroque calculo — — neque aliter scribunt oratores, aliter loquuntur monumenta publica; sed uterque computus verus esse potuit, si aeram in uno casu antiquiorem in altero vulgarem inspicias." Mirum sane et ingeniosum quoque commentum, sed, ut verum sit, equidem magnopere vereor; neque deficerent me rationes, quibus refellerem, si hic ejusmodi disputationis locus esset. Illud certe constat, utcunque de istis psephi-

smatis statuendum arbitreris, nullum ex iis ad comitiales dies argumentum repeti posse.

Sed quod supra me dicere memini, incertissimum esse, quod Petitus aliique eum secuti, pro certissimo habuerunt, undecimum, vigesimum, trigesimum ac trigesimum tertium cujusque prytaniae diem comitialem fuisse, id nunc jam probare aggredior. Citantur primum a Petito Ulpianus et Aristophanis Scholiastes. Ille, ad Demosthenis orationem in Timocratem, (p. 445. ed. Benenat.) haec habet: *Ἰστέον γὰρ, ὅτι κατὰ μῆνα τρεῖς ἐκκλησίας ἐποιοῦντο βουλευόμενοι περὶ τῶν ἐν τῇ πόλει πραγμάτων, εἰ μὴ ἄρα ἀνάγκη τις κατέλαβε πολέμου, ὥστε καὶ περὶ ἐκείνου ἄλλην ἐκκλησίαν ποιῆσαι πλέον τῶν ὡρισμένων. καὶ ἐγίνετο ἡ πρώτη, ἑνδεκάτῃ τοῦ μηνὸς, ἡ δὲ δευτέρα περὶ τὴν εἰκοστὴν, ἡ δὲ τρίτη περὶ τὴν τριακοστήν.* — Scholiastes autem Aristophanis vulgo sic legitur: *εἰσὶ δὲ νόμιμοι ἐκκλησίαι αἱ λεγόμεναι τρεῖς τοῦ μηνὸς Ἀθήνησιν, ἡ πρώτη καὶ ἡ δεκάτη καὶ ἡ τριακάς*[21]); quae cum Ulpiani dictis pugnantia ita emendanda esse censet Petitus, ut rescribatur *ἡ ἑνδεκάτη καὶ ἡ εἰκὰς καὶ ἡ τριακάς*. Error, inquit, ortus erat procul dubio e literis numeralibus. Verum, ut recte emendatum esse locum concedam, parum idonei sunt isti auctores, qui non de prytaniarum, sed de mensium diebus loquuntur; non quaternas singulis prytaniis, sed ternas singulis mensibus ecclesias haberi solitas docent, neque id, ut puto, sine ratione, quamquam ad illa, quae interpretantur, scriptorum loca parum apte. Immerito enim Petitus erroris eos accusat; ipse potius erat, dum,

21) Schol. ad Acharn. v. 19. Hunc Suidas exscripsit, apud quem emendatius legitur: *νόμιμοι ἐκκλησίαι αἱ λεγόμεναι κυρίαι*. Idem tamen s. v. *κυρία ἐκκλησ.* Harpocrationem sequitur, qui, omissa mensium commemoratione, quaternas singulis prytaniis ecclesias ordinarias tribuit, atque ex his primam tantummodo *κυρίαν* dictam esse docet.

quae ad XII tribuum tempora pertinent, ad priorem X tribuum aetatem mira interpretatione referre conatur, quasi illi, cum docere vellent, quibus prytaniarum diebus comitia haberi solerent, per incuriam mensium dies dixerint. Verum Grammatici illi sine dubio nihil aliud dicere voluerunt, quam quod dixerunt. Etenim dubitari non potest, quin ad ea tempora respexerint, cum, ut supra dixi, in duodecim tribus distributa civitate, prytaniae quoque erant duodecim, singulorum mensium spatia complexae[22]); ut perinde esset, mensem, an prytaniam quis diceret. Ita v. c. Timaeus in Lexico Platonico *πρυτανεία*, ait, *μηνιαῖα φυλῆς ἀρχή*, et Etymologus: *πρυτανεία, ἀριθμὸς ἡμερῶν τριάκοντα.* Quamquam is statim ex alio fonte hausta subjungit: *πρυτάνεις τὸ δέκατον μέρος τῆς βουλῆς τῶν πεντακοσίων κ. τ. λ.* quae ad antiquiora tempora pertinent. Sed nullum in his Grammaticis frequentius vitium, quam rerum temporibus locisque disjunctarum confusio. Ita Ulpianus et Aristophanis Scholiastes vera quidem dicunt, sed ab illorum, quos interpretantur scriptorum tempore alienissima; nam post Olymp. CXVIII. ternas singulis prytaniis, vel, quod perinde est, mensibus ecclesias habitas esse, iis ferme diebus, qui ab Ulpiano designantur, non est quod dubitemus, dum ne quid de comitiali-

---

22) Jul. Pollux VIII. 115. *Πρυτανεία δέ ἐστι χρόνος, ὃν ἑκάστη φυλὴ πρυτανεύει· καὶ ὅτε μὲν δέκα ἦσαν, πλείους ἑκάστῃ φυλῇ αἱ ἡμέραι· ἐπεὶ δὲ δώδεκα ἐγένοντο, ἑκάστη φυλὴ μηνὸς πρυτανείαν ἔχει.* cf. Dodwell. de Cyclis, Diss. I. sect. 9. Vales. ad Harpocration. p. 166. Laudatur ab utroque etiam Ammonius, apud quem, s. v. *πρυτανεία*, olim legebatur: *τοὺς μισθοὺς καὶ τὰ ἐνοίκια καὶ τὰς πρυτανείας κατὰ μῆνα ἐτέλουν*, quae manifesto corrupta, ne sensum quidem habent. Rescribendum esse *κατὰ πρυτανείας, οὐ κατὰ μῆνα ἐτέλουν* Salmasius jam monuerat; atque id a Valkenario rescriptum est. cf. etiam Biagius, de Decr. Ath. c. XI. §. 11.

bus diebus nimis certo et immutabiliter statutum esse arbitremur, quod vel ipsius Ulpiani verba vetant, cum indefinite dicat: *περὶ τὴν εἰκοστήν, περὶ τὴν τριακοστήν*. Apud Diogenem Laertium[23]) certe memoratur ordinaria ecclesia *τρίτῃ καὶ εἰκοστῇ τῆς πρυτανείας*, et in illo psephismate Deliorum, qui patriae suae Atticae instituta accurate observarunt, *κυρία ἐκκλησία* est *Γαμηλιῶνος δεκάτῃ ἱσταμένου*, qui dies sine dubio prytaniae quoque decimus erat. Undecimus autem dies est in illo apud Josephum psephismate, quod paullo ante adscripsimus, atque fortassis etiam in alio quodam, quod e Fourmontii schedis descriptum Boeckhius mecum communicavit, quo cum postea quoque utendum nobis sit, principium ejus, licet mutilum et depravatum, hic adscribemus.

.....ΣΟΝΙΚΟΥ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΕΠΙ ΤΗΣ ΔΕΩΝΤΙΔΟΣ...ΤΗΣ
(Π) ΡΥΤΑΝΕΙΑΣ ΗΙ ΠΑΥΣΑΝΙΑΣ ΒΙΟΝΕΛΟΥ ΠΕΡΙ-ΘΟΙΔΗΣ
(ΕΓ) ΡΑΜΜΑΤΕΥΕΝ.. Ν...ΙΩ...... ΕΑΤΕΙΟΝΔΟΣ.
.ΑΓΔΕΚΑΤΕΙ ΤΗΣ (ΠΡ) ΥΤΑΝΕΙΑΣ ΕΚΚΛΕΣΙΑΣ ΚΥ-ΡΙΑΣ.
(Τ) ΩΙ ΘΕΑΤΡΩΙ ΤΩΝ ΠΡΟΕΔΡΩΝ ΕΠΕΨΗΣΙ (Σ) ΕΝ ΕΡ ..ΘΕ.
.ΗΣ ΕΥΘΥΚΛΕΟΥΣ ΠΡΟΒΑΛΙΣΙΟΣ ΚΑΙ ΣΥΜΠΡΟ (Ε) Δ(Ρ) Ο(Ι)
ΕΔΟΞΕΝ ΤΕΙ ΒΟΥΛΕΙ ΚΑΙ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ
(Α) ΡΧΙΑΣ ΑΝΔΡΟΚΛΕΟΥΣ ΦΗΓΑΙΕΥΣ ΕΙΠΕΝ ΕΠΕΙΔΗ
ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΣ Ο ΤΟ (Υ) ΒΑΣΙΛΕΩ (Σ) ΕΥΜΕΝΟΥΣ ΑΔΕΛ-ΦΟΣ...

---

23) Vit. Zenon. s. 10. *ἐπὶ Ἀῤῥενίδου ἄρχοντος, ἐπὶ τῆς Ἀκαμαντίδος, πέμπτης πρυτανείας, Μαιμακτηριῶνος δεκάτῃ ὑστέρᾳ, τρίτῃ καὶ εἰκοστῇ τῆς πρυτανείας, ἐκκλησία κυρία, τῶν προέδρων ἐπεψήφισεν Ἵππων Κρατιστοτέλους Ξυπεταιών.* Mirum est in hoc psephismate mensis diem XXI cum prytaniae die XXIII congruere, cum mensem eo tempore et prytaniam iisdem finibus circumscriptam esse constet: nisi id explicandum est ex intercalationum exemptionumque ratione civili, quae quibus legibus adscripta fuerit, nescimus. cf. Ideler, l. l. p. 204.

Ibi forsitan l. 4. rescribendum est *ΕΝΔΕΚΑΤΕΙ*, l. 1. autem sine dubio *ΛΕΟΝΤΙΔΟΣ* cum numero ordinali v. c. *ΤΡΙΤΗΣ*. Cetera emendare et supplere nunc non possum, neque, si possem, opus esset.

Sed ad Petitum redeo. Is quam perverse in Ulpiano Aristophanisque interprete explicandis, et comitialibus veterum illarum X prytaniarum diebus ex iis eruendis egerit, satis, puto, demonstratum est. Multo autem perversius et inconsideratius in quartae ecclesiae die, cujus apud illos nulla est mentio, ex Aristophanea Acharnensium fabula eruendo versatur. In illa enim Thraces, ad populum producti, dimissa propter *διοσημίαν* concione, redire jubentur perendie, *εἰς ἔνην*. (vs. 172).

τοὺς Θρᾷκας ἀπιέναι, παρεῖναι δ' εἰς ἔνην·
οἱ γὰρ Πρυτάνεις λύουσι τὴν ἐκκλησίαν.

Petitus igitur, quasi haec non a poëta localiter ficta, sed ab historico aliquo aut oratore serio narrata sint, cum hanc concionem, propter legatos, qui introducuntur, tertiam ex ordinariis esse putet; ex istis verbis: *παρεῖναι δ' εἰς ἔνην*, quibus cum irrisione quadam amandantur Thraces, proximae, i. e. quartae ecclesiae diem legitimum manifesto inveniri posse arbitratur. Itaque, cum comicam illam ecclesiam ab Lenaeorum festo, quo acta est fabula, ad Metagitnionis diem I, quem primae prytaniae diem XXX esse falso credit, retulerit, proximam ecclesiam quartam, ad quam redire jubeantur Thraces, tribus post diebus, prytaniae d. XXXIII. Metagitnionis IV habendam fuisse sibi persuadet. Haec omnia absurdiora sunt, quam quibus serio refellendis immoremur. Illud unum noto, ne intellecta quidem a Petito esse illa verba *εἰς ἔνην*, quae recte a Scholiasta explicantur: *εἰς τρίτην*. Id ille esse putavit „tribus post diebus" ita ut duo interjecti essent,

cum sit „perendie" τὸ μετὰ τὴν αὔριον, ut ait Hesychius. Itaque non XXXIII sed XXXII prytaniae diei assignanda fuisset quarta ecclesia.

Ex his omnibus satis apparet, incertissimam esse omnem comitialium dierum rationem, neque quidquam compertum nobis esse, nisi hoc unum, quaterna singulis prytaniis comitia ordinaria habenda fuisse; quae si quis putet, ita fuisse ordinata, ut aequalibus fere dierum intervallis distarent, id equidem veri simillimum esse concedo, demonstrari posse nego. Etenim, cum diserta veterum scriptorum testimonia nos deficiant, hac una via ingrediendum foret, ut conferrentur ex eorum quae exstant hodie psephismatum numero omnia, quae in ordinariis comitiis lata viderentur, cujus generis apud Demosthenem sunt nonnulla, de Coron. 253. *Ἐπὶ Χαιρωνίδου Ἡγέμονος ἄρχοντος, Γαμηλιῶνος ἕκτῃ ἀπιόντος, φυλῆς πρυτανευούσης Λεοντίδος, Ἀριστόνικος Φρεάῤῥιος εἶπεν.* — ibid p. 265. *Ἄρχων Δημόνικος Φλυεὺς, Βοηδρομιῶνος ἕκτῃ μετ' εἰκάδα, γνώμῃ βουλῆς καὶ δήμου, Καλλίας Φρεάῤῥιος εἶπεν.* — p. 266. *Ἐπὶ ἄρχοντος Εὐθυκλέους, Πυανεψιῶνος ἐννάτῃ ἀπιόντος, φυλῆς πρυτανευούσης Οἰνηΐδος, Κτησιφῶν Λεοσθένους Ἀναφλύστιος εἶπεν.* Plura fortasse inveniri possunt, ab iis praesertim, quibus veterum Inscriptionum collectiones ad manum sunt, quarum usu mihi carendum est; sed haec jam sufficient ad id, quod volo, declarandum. — Dein describenda essent Calendaria duo, alterum vulgaribus alterum intercalaribus annis adaptatum, notandaque in utroque prytaniarum initia; quamquam multa in his ex conjectura constituenda forent, cum perobscura sit fastorum Atticorum ratio. Sed ut ponamus, in vulgari anno primas VI prytanias XXXV, postremas IV autem XXXVI dierum fuisse, in inter-

calari autem illas XXXVIII, has XXXIX, qua de re supra dictum est; dein, Boedromionis diem secundum exemptilem fuisse, et proximo mensi Pyanepsioni attributum, ut is pro cavo solidus fieret[24]); inveniemus hanc prytaniarum seriem;

A) In anno vulgari:

Pryt. I. Hecatombaeonis d. I. Pryt. II. Metagitn. VI. Pryt. III. Boedromion. XIII. Pryt. IV. Pyanepsion. XVIII. Pryt. V. Maemacterion. XXIII. Pryt. VI. Posideon. XXVIII. Pryt. VII. Anthesterion. IV. Pryt. VIII. Elaphebol XI. Pryt. IX. Munychion. XVII. Pryt. XI. Thargelion. XXIV.

B) In anno intercalari.

Pryt. I. Hecatombaeon. I. Pryt. II. Metagitnion. IX. Pryt. III. Boedromion. XIX. Pryt. IV. Pyanepsion. XXVIII. Pryt. V. Posideon. 1. V. Pryt. VI. Posideon. 2. XIV. Pryt. VII. Gamelion. XXII. Pryt. VIII. Elaphebolion. II. Pryt. IX. Munychion. XI. Pryt. X. Thargelion. XX[25]).

Iam si ad hasce tabulas istorum psephismatum tempora exigemus, efficietur, illud primum, cui praescriptus est Gamelionis dies XXIV, scriptum esse, sive vulgarem annum sumas, Prytaniae sextae die XXVII, sive intercalarem, septimae secundo; alterum, cui praescriptus est Boedromionis dies XXVI, aut tertiae prytaniae die decimo quarto, aut ejusdem septimo; tertium denique psephisma, cui praescriptus est Pyanepsionis dies XXII, aut quartae pryta-

---

24) Plutarch. de fratern. amor. Op. T. II. p. 489. B. τὴν γὰρ δευτέραν ἐξαιροῦσιν ἀεὶ τοῦ Βοηδρομιῶνος, ὡς ἐν ἐκείνῃ τῷ Ποσειδῶνι πρὸς τὴν Ἀθηνᾶν γενομένης τῆς διαφορᾶς. cf. Petav. Doctr. Temp. I. c. 5. extr. et c. 12. extr.

25) Ejusmodi tabulam a Corsinio quoque descriptam habemus. Fast. Att. Diss. III. no. 29. sed paullo diversa ratione, cum non postremas sed primas prytanias longiores fecerit, et Boedromionis diem II. non exemerit, Pyanepsionem autem post Maemacterionem collocaverit, quod equidem cum Buttmanno, ap. Ideler, l. l. p. 383. sqq. falsum puto.

niae die quarto, aut ejusdem trigesimo tertio perlatum esse. — Jam judicet lector, quem ex hac ratione fructum sperari posse statuat; equidem nullum puto, nisi hunc, ut intelligatur, de comitiorum diebus, qui fuerint, et quanto intervallo disjuncti, nil affirmari et demonstrari posse.

Sed est alia praeterea causa, quae me adducit, ut apud Athenienses ipsos haec comitiorum tempora non certa ac definita neque singulis prytaniis eadem semper fuisse existimem, cum recorder festorum apud Athenienses multitudinem, quae tanta fuit, ut eos Xenophon duplo plura, quam alios ullos homines festa celebrasse affirmet, ab aliis autem auctoribus hoc ipso nomine dicantur *πάντων ἀνθρώπων εὐσεβέστατοι*[24]). Atque plurimorum ex his tempora nobis ignota sunt. Accidere autem saepissime poterat, ut, si undecimo verbi causa aut vigesimo alicujus prytaniae die comitia fuerant, alterius prytaniae undecimus dies aut vigesimus festus esset, ideoque comitia iis diebus haberi non possent. Quod si conceditur, neque potest aliter, illud jam manifesto consequitur, non potuisse certum esse et immutabilem comitiorum ordinem. Etenim hoc quidem inter omnes satis constat, tempore festo, quam *ἱερομηνίαν* Graeci vocant[25]), negotia nulla, neque in judiciis, neque in senatu comitiisve tractari licuisse, nisi si qua incidissent, quae ad ipsum festum pertinerent. Id Demosthenes docet: *ἁπάντων ὑμῶν,*

---

24) Xenoph. de rep. Ath. III. 2. *δεῖ (τοὺς Ἀθ.) ἑορτάσαι ἑορτὰς, ὅσας οὐδεμία τῶν Ἑλληνίδων πόλεων· ἐν δὲ ταύταις ἧττόν τινα δυνατόν ἐστι διαπράττεσθαι τῶν τῆς πόλεως.* ib. 8. *Καὶ ἄγουσι μὲν ἑορτὰς διπλασίους ἢ οἱ ἄλλοι.* Cf. Pausan. Attic. cap. 24. 3.

25) cf. Ducker. ad Thucyd. III. c. 56. *αἱ γὰρ ἑορτώδεις ἡμέραι ἱερομηνίαι καλοῦνται.* Schol. Demosth. p. 102. Reisk.

inquit, *ἀγόντων ἱερομηνίαν, καὶ νόμου κειμένου, μήτ' ἰδίᾳ μήτε κοινῇ μηδὲν ἀλλήλους ἀδικεῖν ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ, μηδὲ χρηματίζειν, ὅ, τι ἂν μὴ περὶ τῆς ἑορτῆς ᾖ κ. τ. λ.* [26]). Atque huc Aeschinis quoque locum referendum esse, ubi Demosthenem criminatur, quod is octavo Elaphebolionis die comitia haberi voluerit, *ὅτε ἦν τῷ Ἀσκληπίῳ ἡ θυσία, καὶ ὁ προαγὼν, ἐν τῇ ἱερᾷ ἡμέρᾳ, ὃ πρότερον οὐδεὶς μέμνηται γεγενημένον*, jam supra me dicere memini. Denique Aristophanis quoque illi versus huc pertinent:

νῦν οὔτε τὰ δικαστήρια
μέλλει δικάζειν, οὔτε βουλῆς ἔσθ' ἕδρα,
ἐπεὶ τρίτη 'στὶ Θεσμοφορίων ἡ μέση.

Quodsi senatus eo tempore non habebatur, neque comitia haberi potuisse apparet, quippe quae sine senatoribus nulla fuerint. Itaque hi omnes dies festi *ἄδικοι* erant et *ἄλογοι ἡμέραι*, quemadmodum ille ridiculus ait antiquae dictionis affectator apud Lucianum [27]). Sed fuerunt praeterea etiam *ἀποφράδες ἡμέραι*, dies nefasti vel atri, quibus nil publice geri poterat; *ὅταν μήτε αἱ ἀρχαὶ χρηματίζωσι, μήτε εἰσαγώγιμοι αἱ δίκαι ὦσι, μήθ' ὅλως τι τῶν αἰσίων τελῆται, αὕτη ἀποφρὰς ἡμέρα* [28]). Atque ejusmodi fuit Thargelionis dies XXV, quo die celebrabantur Plynteria, unde *ἐν ταῖς μάλιστα τῶν ἀποφράδων τὴν ἡμέραν ταύτην ἄπρακτον Ἀθηναῖοι νομίζουσιν* [29]). Ejusmodi etiam *τὴν τετράδα,*

---

26) Demosth. adv. Timocrat. p. 709. Huc referendum puto etiam illum locum Demosth. de fals. leg. p. 399. *ἐκκλησίαν ποιῆσαι (δεῖ) ὅταν ἐκ τῶν νόμων καθήκῃ.*

27) In Lexiphane. Tom. V. p. 188. Bip. Ita etiam Panathenaeorum festum *ἄδικος ἡμέρα* dicitur a quodam soloeco apud Athenaeum. III. 20. p. 382. Schweigh.

28) Verba sunt Luciani in Pseudologista, c. 13. Tom. VIII. p. 69. Bip.

29) Plutarch. Alcib. c. 34.

τρίτην, δευτέραν φθίνοντος cujusque mensis fuisse Etymologus docet[30]); quas infaustas rebus gerendis putabant, neque proinde ordinaria comitia istis diebus haberi solita esse videntur: ac si qua memorantur[31]), ea extra ordinem, propter magnum aliquod subitumque negotium convocata esse putandum est. Denique aliae fuerunt septem ἀποφράδες, cum inferiae mortuis ferebantur; eas Hesychius memorat.

Itaque his omnibus, quae adhuc a me disputata sunt, diligenter reputatis, neminem amplius fore credo, qui de comitialibus diebus, certo quodam ordine redeuntibus, cogitandum putet[32]).

---

30) Etym. M. 131. 13.

31) Ut ap. Aeschinem adv. Ctesiphont. p. 420. Θαργηλιῶνος μηνὸς δευτέρᾳ φθίνοντος. et Demosth. de fals. leg. p. 259. Σκιῤῥοφοριῶνος τετράδι φθίνοντος; atque haec, quae Dem. memorat, extraordinaria fuisse, vel ex eo patet, quod in Piraeeo habita sunt.

32) Apud Theophrastum, Char. VII. 3. in loquacitatis descriptione verba illa: καὶ πυθόμενος τὰς ἐκκλησίας ἀπαγγέλλειν, a Fischero, quem Astius sequitur, ita accipiuntur, quasi significent: *si, quae in concione acta et perorata s. decreta sint, cognoverit, haec aliis refert.* Sed primum, mirum foret, Atticum civem, qualis hic a Theophrasto describitur, ab aliis resciscere, πυνθάνεσθαι, quid in comitiis actum sit, quibus ipsum interesse oportuit. Dein πυνθάνεσθαι τὰς ἐκκλησίας non est: resciscere, quid actum sit in com.; (id enim foret: τὰ τῆς ἐκκλησίας, ut bene Nastius observavit.) sed comitia resciscere, futura esse scil. ut nos quoque vernacule loqui solemus. Neque de extraordinariis tantum comitiis cogitandum est cum Schneidero (qui sibi persuaserat, puto, ordinariorum tempus per se omnibus notum fuisse et semel definitum, ideoque verbum πυνθάν. in ea non quadrare putabat) sed in universum intelligenda sunt comitia, sive ordinaria illa sint, sive extraordinaria. Alterutrum genus si solum intelligi voluisset Theophr., addendum profecto aliquid erat. In eo autem est loquacis hominis ineptia, quod aliis sedulo renunciat, quod ipsi aut resciverunt jam e programmate vel praeconio, aut brevi rescituri sunt.

CAPUT III.

De comitiorum locis.

Antiquis temporibus comitia ab Atheniensibus in foro haberi solita esse, Harpocration tradit; ait enim Venerem, cujus templum fuerit haud procul a foro vetere, *Πάνδημον* appellatam esse, *διὰ τὸ ἐνταῦθα πάντα τὸν δῆμον συνάγεσθαι τὸ παλαιὸν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, ἃς ἐκάλουν ἀγοράς*[1]). Id unde hauserit nescio; nisi forte ex eo conjecit, quod apud Homerum omnes populorum conventus in foro esse solent; idque illis temporibus Athenis quoque fieri consuesse haud absimile est vero. Sed postea translata inde sunt comitia in Pnycem, deinde etiam in theatrum, aliaque loca complura. Quod autem Petitus putat[2]), eandem esse Pnycem et illam, quam Harpocration memorat, *ἀρχαίαν ἀγορὰν*, quoniam scilicet utraque haud procul ab arce erat, in eo manifesto erravit. Nemo enim unquam eorum omnium, qui de Pnyce loquuntur, alterum illud nomen commemorat; neque credibile est, Harpocrationem, omisso vulgatissimo illo et apud omnes notissimo nomine, alio atque inusitato usurum fuisse. Praeterea ex Pausania quoque apparet, Veneris Pandemi fanum inter Theatrum arcemque, situm fuisse, ad meridianam vel australem arcis partem[3]). Pnyx autem ad occidentem versa erat.

Ceterum quod tradunt Grammatici, posteris temporibus populum non nisi ad creandos magistratus in

1) Harpocr. s. v. *Πάνδημος Ἀφ.* cf. Suid.

2) Lib. III. 2. p. 303.

3) Pausan. Att. cf. Barthelem. It. Anachars. II. p. 342. et 227.

Pnyce, alias in Theatro congregatum esse[4]), id ad eam, de qua nos agimus, aetatem non pertinet. Bello enim Peloponnesiaco Pnycem ordinarium comitiorum locum fuisse, e Thucydide discimus. *Ἐκκλησίαν*, inquit, *συνέλεγον* — — *εἰς τὴν Πνύκα καλουμένην, οὗπερ καὶ ἄλλοτε εἰώθεσαν*[5]). Ita Aristophanes quoque, ubi de comitiis loquitur, numquam non Pnycem commemorat[6]), et in Equitibus *Δῆμον* illum suum ita facit loquentem:

οὐκ ἂν καθιζοίμην ἐν ἄλλῳ χωρίῳ,
ἀλλ᾽, ὡς τὸ πρόσθε, χρὴ παρεῖναι ᾽ς τὴν Πνύκα.

Eundem in eadem fabula facete *Δῆμον Πυκνίτην* vocat[7]), quasi quendam civem Atticum, suo proprio et populi, ad quem pertinebat, nomine appellatum. Demi enim nomen haud inusitatum Athenis fuisse, nemo nescit, qui vel ex Platone illum Pyrilampis filium novit[8]). Pnycem autem populum vel pagum poeta joci tantum causa finxit, errantque qui illam in pagis Atticis recensent; quod ab aliis quoque jamdudum notatum est. Ceterum hunc Aristophanis jocum Lucianus imitatus est in Necyomantia, ubi *Κρανίων Σκελετίωνος Νεκυσιεὺς, φυλῆς Ἀλιβαντίδος* induci-

4) Pollux. VIII. 153. — Hesych. s. v. *Πνύξ. τόπος Ἀθήνησιν, ἐν ᾧ αἱ ἐκκλησίαι ἤγοντο πάλαι μὲν πᾶσαι, νυνὶ δὲ ἅπαξ, ὅταν στρατηγὸν χειροτονῶσιν.* Id de illis temporibus accipiendum videtur, cum summus magistratus, strategi nomine, omni reipublicae praeerat. v. Meurs. de Archontt. I. 9. quamquam is aliquando non a populo creabatur, sed ab Imperatoribus Rom. constituebatur. — Timaei autem glossa, Lex. Plat. p. 219. *Πνὺξ, χωρίον ἐν ᾧ τὰ ἀπόῤῥητα ἐκκλησιάζουσιν*, quo pertineat, et quid sint ista *ἀπόῤῥητα*, fateor me nescire.

5) L. VIII. c. 97.

6) Acharn. 20. Vesp. 31. Eccles. 283. 684.

7) Equit. 750. 42.

8) cf. et Lys. or. de Aristoph. bon. p. 628. Brunck. ad Aristoph. Vesp. 98.

tur[9]). — Denique tam legitimus comitiorum locus Aristophanis aetate Pnyx fuit, ut fanum illud τὸ Θεσμοφόριον, quoniam ibi mulierum conventus haberi fingitur, Pnyx a poeta vocetur[10]). Apud Aeschinem quoque comitia in Pnyce memorantur, similiterque apud Demosthenem in oratione de corona[11]), ubi haec quoque verba: πᾶς ὁ δῆμος ἄνω καθῆτο de comitiis in Pnyce intelligenda sunt[12]).

Erat enim Pnyx in clivo, qui Lycabettum montem contingebat, forma semicirculari, octingentorum septuaginta quinque fere pedum circuitu, ad meridionalem partem ingenti septa muro, permagnis saxis quadratis exstructo, ad septentrionalem autem, ut exaequaretur declive solum, saxis item ingentibus substructa et constrata: unde nomen ipsum Pnycis Grammatici derivant, παρὰ τὴν τῶν λίθων πυκνότητα[13]).

9) Tom. III. p. 26. Bip.

10) Thesmoph. v. 658.

11) Aeschin. adv. Ctesiph. p. 427. Demosth. de Coron. p. 244. et 285.

12) Frequentissima est locutio: ἀναβαίνειν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, v. Demosth. or. 1. adv. Aristogiton. p. 772. ib. 775. Prooem. n. 5. p. 1422. n. 11. p. 1427.

13) Suid. s. v. ubi cf. interpr. Haec nominis derivatio verior mihi videtur, quam illa altera quam alii Grammatici tradunt: ἀπὸ τοῦ πυκνοῦσθαι τοὺς ἄνδρας ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. v. Schol. Aristoph. Acharn. v. 20. cf. Schol. ad Equitt. v. 47. Etymol. M. 677. 45. aliique, quamquam eam nuper viri quidam doctissimi amplexi sunt. Verbum πυκνοῦσθαι pro: consterni ac substrui, usitatum est apud Graecos, v. Plutarch. C. Gracch. c. 7. — Ceterum Pnycis descriptionem quam potui accuratissime concinnavi ex iis, qui mihi suppetebant, libris, Barthelemii Anacharside, II. p. 545. Wheleri Itinerario (vers. gall.) p. 451. quamquam is locum illum pro Odeo habuit, quem Chandlerus aliique plerique pro Pnyce habendum esse asseruerunt, Chateaubriantio Itinerario (vers. germ.) 1. 116. et 125. Bartholdi

Sed ad meridionalem illum murum suggestus erat, τὸ βῆμα, decem fere aut undecim pedum altitudine, octo graduum adscensu, superficie quadrata, decem ferme pedum longitudine et latitudine, ex ipso saxo, quod in illam Pnycis partem imminebat, excisus, quamobrem saepissime λίθος vocari solet, ut apud Aristophanem, Pace v. 680[14]).

ὅστις κρατεῖ νῦν τοῦ λίθου τοῦν τῇ Πνυκί.

Ex hoc autem, qualis hodieque conspicitur, suggestu, in mare prospectari non potest; unde conjiciat aliquis cum Chateaubrianto, hunc esse illum, quem triginta tyranni in ejus, qui prius fuerat, locum, unde maris prospectus fuisse dicitur, data opera ita exstruxerunt, ut illum prospectum impedirent: οἰόμενοι, inquit Plutarchus, qui hanc historiam narrat, τὴν μὲν κατὰ θάλατταν ἀρχὴν γένεσιν εἶναι δημοκρατίας, ὀλιγαρχίᾳ δ' ἧττον δυσχεραίνειν τοὺς γεωργοῦντας[15]).

Utrimque, ad extremam Pnycis partem, saxea erant subsellia[16]), in media fortasse lignea. De saxeis certa res est ex Aristophane:

ἐπὶ ταῖσι πέτραις οὐ φροντίζει σκληρῶς σε καθήμενον οὕτως[17]).

De ligneis conjicio ex hoc ejusdem poetae versu:

---

denique in: neuer teutscher Mercur. ann. 1806. no. 9. Emendare mea et augere facile poterunt, qui necessariis subsidiis, partim nuper admodum in medium prolatis, instructiores sunt. Et sane operae pretium foret, dubitationem illam, quam Böttigerus movit, (N. deutsch. Mercur. l. l. p. 11.) sitne locus ille, quem omnes nunc putant, vere Pnyx, nec ne, ad accuratiorem disquisitionem vocare.

14) cf. Eccles. v. 85.

15) Vit. Themistocl. c. 19.

16) Wheler. p. 452.

17) Equitt. v. 783.

— — *εἶτα δ' ὠστιοῦνται, πῶς δοκεῖς;*
ἐλθόντες ἀλλήλοισι περὶ πρώτου ξύλου [18]).

Et Pollux quoque, ubi de Pnyce loquitur, idem affirmat; ait enim: *ἐκάλουν δὲ τὴν προεδρίαν καὶ πρῶτον ξύλον.*

Sed posteaquam magnum Bacchi theatrum aedificatum erat, et magnae multitudinis capacius, et ad videndum audiendumque commodius, in illo haud raro comitia habebantur, et quibusdam in rebus ibi populum convocandum esse, lege erat definitum; veluti post Bacchanalia, postridie Pandiorum de rebus ad festum pertinentibus in Theatro agendum erat cum populo. Legem ipsam affert Demosthenes [19]): *τοὺς πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐν Διονύσου τῇ ὑστεραίᾳ τῶν Πανδίων. ἐν δὲ ταύτῃ χρηματίζειν πρῶτον μὲν περὶ ἱερῶν, ἔπειτα τὰς προβολὰς παραδιδότωσαν τὰς γεγενημένας ἕνεκα τῆς πομπῆς κ. τ. λ.* Atque Aeschines quoque haec in theatro comitia, post urbanorum Dionysiorum festum habita, memorat in oratione de falsa legatione [20]).

Praeterea aliis locis plurimis extra ordinem populus congregabatur. *Οὐ μόνον*, inquit Ulpianus, *ἐν Πνυκὶ ἐκκλησίαζον, ἀλλὰ πολλάκις ἐν Πειραιεῖ καὶ ἐν ἄλλοις τόποις· καὶ λοιπὸν, ὅπου συνήγοντο, ἐκκλησία ἐκαλεῖτο* [21]). Atque in Piraeeo nonnumquam convenisse populum, ille ipse Demosthenis locus testatur, ad quem hoc adnotatum est ab Ulpiano. Erant autem ibi et fora duo et theatrum [22]), quae tunc populum

18) Acharn. v. 24.

19) Contr. Mid. p. 517. (Spald. 6).

20) p. 241. *τοὺς πρυτάνεις μετὰ τὰ Διονύσια τὰ ἐν ἄστει καὶ τὴν ἐν Διονύσου ἐκκλησίαν, προγράψαι δύο ἐκκλησίας.* Pandia erant Elaphebolionis d. XIV. Itaque comitia illa ejusdem mensis die XVI habebantur.

21) Ad Dem. or. de fals. leg. p. 227. Benen. cf. ipsum Demosth. p. 359. et 379. R.

22) v. Meurs. Piraceus c. 5. et 6.

excipere poterant; quamquam, quonam Piraeei loco comitia haberi consueverint, a nemine memoratur, ac mera est conjectura, quod Biagius putat, factum id esse in foro Hippodamio [23]).

In Munychia quoque in theatro comitia nonnumquam facta esse certum est ex Thucydide et Lysia [24]); et in Colono, ex eodem Thucydide. Erat autem is locus Neptuno equestri consecratus decem ferme stadiorum ab urbe intervallo.

Ceterum de istis comitiis, quae locis non consuetis habentur, usitatum est verbum *ἐξεκκλησιάζειν*; ut docet scholiastes Thucydidis [25]); quamquam etiam pro *ἐκκλησιάζειν* simpliciter dictum reperitur id verbum [26]).

---

23) De Decret. Athen. c. XV. §. 11.

24) Lys. contr. Agorat. p. 464. R. *ἐπειδὴ δὲ ἡ ἐκκλησία Μουνυχιάσιν ἐν τῷ θεάτρῳ ἐγίγνετο.* et, iisdem fere verbis, p. 479. Thucyd. VIII. 93. *ἐς τὸ πρὸς τῇ Μουνυχίᾳ Διονυσιακὸν θέατρον ἐλθόντες, – – ἐξεκκλησίασαν κ. τ. λ.* Quod additur a quibusdam Codd. *Δ. τὸ ἐν Πειραιεῖ θέατρ.*, tum demum defendi posset, si certum esset, idem esse hoc, quod Thucydides designat, atque illud in Piraeeo theatrum, de quo paulo ante dictum est; arbitratus id est Spanhem. ad arg. Arist. Ran. p. 14. Beck. sed sine causa, ut mihi videtur. Biagius autem manifesto errat, cum putat, ubicumque de comitiis *ἐν Διονύσου* sermo sit, intelligendum esse, hoc in Munychia theatrum; quasi alterum illud in urbe plane non fuisset. De Decret. Ath. XV. §. 10. Eodemque modo etiam Dukerus, ad Thucyd. l. l. haud apposite laudat Pollucem, VIII. 133. ubi non illud in Munychia, sed urbanum theatrum intelligendum est; quod unum simpliciter, nullaque definitione addita, vocari solet *τὸ Διονυσ. θέατρον.*

25) ad VIII. 93.

26) Lys. adv. Agorat. p. 136. Steph. *οὕτω μέντοι οὗτος πολὺ ὑμῶν καταφρονεῖ, ὥστε οὐκ ὢν Ἀθηναῖος, καὶ ἐδίκαζε καὶ ἐξεκκλησίαζε κ. τ. λ.* cf. Aristot. s. potius Anonym. Oecon. II. 13. *Μαύσωλος – – δεηθεὶς χρημάτων, ἐξεκκλησιάσας τοῖς Μυλασσεῦσιν ἔλεγεν κ. τ. λ.* Est ibi dictum pro: verba facere in concione, quam vim verbo simplici *ἐκκλησ.* Hesychius tribuit.

CAPUT IV.

A quibus et quo modo populus ad comitia convocatus sit.

Convocandi populi jus fuit penes prytanes, aut, si quid subiti accidisset, de quo extra ordinem cum populo agi oporteret, etiam penes strategos. Ac de prytanibus quidem auctores sunt Pollux et Harpocration, eos quater singulis prytaniis populum convocasse[1]); idque ita factum esse videtur, ut et programma proponeretur, quo dies comitiorum definiretur, quidque ad populum ferendum esset, promulgaretur[2]), et ut praecones ipso comitiorum die per urbem dimitterentur, qui populum convocarent. Inde apud Harpocrationem prytanes dicuntur *προγράφειν τὴν ἐκκλησίαν*, pro eo quod ipse paullo ante et Pollux dixerant *συνάγειν τὸν δῆμον*; et apud alios quoque scriptores haec locutio nonnunquam invenitur. Ita apud Aeschinem: *προγράψαι τοὺς πρυτάνεις ἐκκλησίας δύο κατὰ τοὺς νόμους*[3]), ubi postrema verba ostendunt, hunc programmatis proponendi morem legitimum fuisse[4]), et apud alios *προτιθέναι ἐκκλησίαν*, ut apud Libanium: *κλαίω μὲν ὅταν οἱ πρυτάνεις προθῶσιν*

---

1) Pollux VIII. 95. Harpocr. v. *κυρία ἐκκλησία*.

2) Et quidem quinto ante ipsa comitia die, si fides incerto Lexici Rhet. auctori, in Bekk. Anecd. 1. p. 296. *Πρόπεμπτα: τὸ πρὸ πέντε ἡμερῶν τῆς ἐκκλησίας προγράφειν ὅτι ἔσται ἐκκλησία. εἰ τύχοι, εἰ ἔδει ἐκκλησίαν γενέσθαι τῇ δεκάτῃ, προέγραφον οἱ πρυτάνεις ἀπὸ τῆς πέμπτης, ὅτι ἔσται.*

3) Aeschin. de fals. leg. p. 240.

4) Huc Pollucis quoque verba pertinent, qui l. l. prytanum ait officium fuisse, *προγράφειν πρὸ τῆς βουλῆς καὶ πρὸ τῆς ἐκκλησίας, περὶ ὧν δεῖ χρηματίζειν.*

ἐκκλησίας[5]). Usitatissima tamen haec est formula: *ποιεῖν ἐκκλησίαν*[6]). Ceterum illud programma tabulam fuisse, cui inscripta essent negotia, de quibus in comitiis tractandum foret, Ulpianus, aliique plures docent: *σανίδας τινὰς* inquit ille, *ἐνέγραφον, τὸ πρᾶγμα ἐχούσας, περὶ οὗ ἡ σκέψις καὶ περὶ οὗ συνεληλύθασι. καὶ προετίθεσαν τῆς ἐκκλησίας, ἵνα γνῶσι πάντες, περὶ τίνος ἐστὶν ἡ ἐκκλησία*[7]).

Per Praecones autem populum ad comitia convocatum esse, ex Aristophanis quodam versu Petitus, et qui eum secuti sunt, conjecerunt. Apud illum enim una ex mulieribus, quae comitiis clam interesse parantes, summo mane se congregant, ait

ὥρα βαδίζειν, ὡς ὁ κῆρυξ ἀρτίως
ἡμῶν προσιόντων δεύτερον κεκόκκυκεν[8]).

Hic verum praeconem Petitus intelligit: „praeconis," inquit „voce calabatur populus, idque trina, nisi valde fallor, voce et calatione"[9]). Ita simili joco praeco ab Aristophane diceretur *κοκκύζειν*, quam quo utebatur Demades, qui, ut apud Athenaeum memoratur, *τὸν σαλπιγκτὴν* vocabat *κοινὸν Ἀθηναίων ἀλέκτορα*[10]). At Brunckius, et hoc loco, et paullo infra, v. 739.

---

5) Liban. Declam. XVI. p. 466. B. cf. Hemsterhus. ad Lucian. Necyom. Tom. III. p. 561. Bip.

6) Aeschin. adv. Ctesiph. p. 430. Demosth. contr. Mid. p. 517. adv. Timocrat. p. 706.

7) Ulpian. ad Phil. I. p. 53. C. cf. id. ad or. de fals. leg. p. 107. B. Schol. ad Aesch. or. de fals. leg. p. 241. R. cf. Taylor. ad Dem. d. f. l. p. 399 (426). Ac fortasse, si quod Senatusconsultum esset in comitiis ad populum ferendum, hoc quoque simul cum programmate aliquo ante tempore proponi solebat.

8) Aristoph. Av. v. 30.

9) Legg. Att. III. 1. p. 287.

10) Athenaeus. III. 21. p. 387. Schweigh.

— σὺ δὲ δεῦρ', ἡ κιθαρῳδὸς, ἔξιθι,
πολλάκις ἀναστήσασά μ' εἰς ἐκκλησίαν
ἀωρὶ νυκτῶν διὰ τὸν ὄρθριον νόμον.

gallum gallinaceum intelligendum esse asserit; quod equidem verum esse puto[11]. Tamen, etiam absque disertis veterum testimoniis per se veri simillimum est, praeconio quodam populum invitatum esse, si non ad omnia comitia (nam in ordinariis programma, aliquot ante diebus propositum, sufficere poterat) tamen ad ea, quae subito convocabantur, cum programma aut nullum aut brevi tantum ante proponi potuisset, quaeque propter id ipsum *σύγκλητοι* vocabantur. Haec Ulpiani quoque sententia est. *Σύγκλητος δὲ*, inquit, *ἐκκλησία ἐκλήθη, ἐπειδὴ ἐν μὲν ταῖς νομίμοις καὶ συνήθεσιν ἀφ' ἑαυτοῦ ὁ δῆμος συνέτρεχεν, ὅταν δὲ ἐξ ἀνάγκης τινὸς σύλλογος γένηται, συνεκάλουν τινὲς περιιόντες*[12]). Quamquam, quod dicit ad ordinaria comitia populum sua sponte convenisse, id ita demum verum esse puto, si statuas, comitiorum diem programmate ante indicatum esse; aliter enim cum populus scire non potuit, cum, ut supra demonstratum esse confido, certi ac definiti comitiorum dies essent nulli. Ceterum ad has *συγκλήτους* ecclesias plerumque non solum urbani cives, *οἱ κατὰ τὴν πόλιν*, ut ait Ammonius, sed rustici quoque convocari solebant; atque hae erant *κατακλησίαι*[13])

---

11) Possit aliquis verbo *κοκκύζειν* offendi, quod de gallis gallinaceis dici negat Hesychius s. v. *ᾄδειν*. *Ἄιδειν ἐπὶ τῶν ἀλεκτρυόνων λέγουσιν Ἀττικοί. κοκκύζειν δὲ οὔ φασιν ἐπ' αὐτῶν, πλὴν μωκώμενοί τινα ξένον;* verum id non tanti esse videtur, eo praesertim loco.

12) Ad Dem. de fals. leg. p. 100. A.

13) Cf. supra, cap. 1. dicta. Recte Valckenarius *συγκλ. ἐκκλ.* a *κατακλησίᾳ* distinguendam esse docuit, quas non distinxit

Haec extraordinaria comitia, quae plurima erant belli tempore et trepidis rebus [14]), convocari et haberi plerumque solebant a strategis, qui in psephismatum praescriptionibus aut soli aut simul cum prytanibus memorari solent, unde merito conjicias, prytanum et senatus consensu opus fuisse. Ejusmodi praescriptiones hae sunt: Dem. de Cor. 238.

Ἐπὶ Μνησιφύλου ἄρχοντος, συγκλήτου ἐκκλησίας ὑπὸ στρατηγῶν γενομένης, πρυτάνεων καὶ βουλῆς γνώμῃ. ubi postrema verba prytanum et senatus consensum indicant [15]).

Dem. de Cor. p. 249.

Ἐπὶ ἄρχοντος Νεοκλέους, μηνὸς Βοηδρομιῶνος, ἐκκλησίας συγκλήτου ὑπὸ στρατηγῶν συναχθείσης, Εὔβουλος Μνησιθέου Κύπριος (Κυθήριος) εἶπεν.

Atque apud Thucydidem in formula induciarum, inter Athenienses Lacedaemoniosque factarum, constituitur, ut comitia habeantur a prytanibus et strategis, de pace componenda [16]). Itaque illud quoque intelligi potest, cur Thucydides, ubi populum a Pericle convocatum esse narrat, explicationis causa addat: *ἔτι δ' ἐστρατήγει*; ut perspicuum fiat, quo jure id facere potuerit [17]). Atque eosdem strategos etiam impedire potuisse comitia, ex eodem Thucy-

---

Pollux, quoniam, puto, *σύγκλητοι ἐκκλ.* plerumque erant etiam *κατακλησίαι.*

14) Aeschin. de fals. leg. p. 251. *πλείους δὲ ἐκκλησίας συγκλήτους ἠναγκάζεσθε ἐκκλησιάζειν μετὰ φόβου καὶ θορύβου, ἢ τὰς τεταγμένας ἐκ τῶν νόμων.*

15) Saepius ejusmodi formula psephismatibus inest, sed aliter collocata, cujus rei explicandae infra erit locus. Ceterum ap. Demosthenem vulgo scribitur: *καὶ πρυτάνεων κ. β. γ.* sed prius illud *καὶ* cum in aliquot codicibus desit, delendum putavi.

16) Thucyd. IV. 118. cf. etiam Schol. ad III. 36.

17) II. 59.

dide colligi potest, qui Periclem, cum cives ad temeraria perniciosaque consilia propensos videret, nulla comitia convocasse narrat, ne quid perversi pravique consilii caperent [18]). Sed haec omnia exempla ad belli tempora resque bellicas pertinent; neque videtur aliis de negotiis populum a strategis convocari potuisse, sed a prytanibus tantum.

Polemarchum quoque populi convocandi jus habuisse Petitus ex quodam apud Demosthenem psephismate probari posse putat, cujus hoc est initium:

'Επὶ ἄρχοντος Ἡροπύθου, μηνὸς Μουνυχιῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ, πολεμάρχου γνώμῃ [19]).

Sed verba illa *πολεμ. γνώμῃ* non id indicant, illius jussu comitia habita, sed, quae lata erant ad populum, polemarchi auctoritate lata esse. — Itaque nulli, praeter prytanes et strategos magistratui convocandi ad comitia populi jus fuisse videtur, post Solonis quidem aetatem; nam ante illum ad archontes id pertinuisse, dubitari nequit; quoniam tunc illi, ut ait Thucydides, plerasque reipublicae partes administrabant [20]).

Certum, quod in aliquibus civitatibus institutum fuisse docet Aristoteles [21]), ut mulctarentur, qui comitiis interesse recusarent, idem Athenis quoque obtinuit, fueruntque magistratus quidam, Lexiarchi dicti, sex numero, quibus mandatum erat, ut cogendum ad comitia populum curarent, mulctarentque illos qui in hac parte deliquissent [22]). Om-

---

18) II, 22.

19) De Coron. p. 282. Petit. III. 1. p. 286.

20) I. 126. *τότε δὲ τὰ πολλὰ τῶν πολιτικῶν οἱ ἐννέα Ἄρχοντες ἔπρασσον.*

21) Aristot. Polit. IV. 13.

22) Pollux VIII. 104 *οἱ Ληξιάρχοι — τοὺς μὴ ἐκκλησιάζοντας*

nem autem hujus negotii ordinem ac rationem satis accurate ab Aristophanis scholiasta expositam habemus[23]). Nam primum, quoniam in foro aliisque locis publicis assidue versari solerent Athenienses, aut negotiorum causa, aut confabulandi, eoque aut serius aut omnino non adessent in concione, cautum erat, ut merces eo die omnes e foro tollerentur, servi autem publici, aut Scythae a natione vocati, aut *τόξοται*, ab armorum genere, aut Speusini denique, a Speusino quodam cive, qui primus eorum comparandorum auctor fuerat[24]), hi

---

ἐζημίουν — — *καὶ σχοινίον μιλτώσαντες, διὰ τῶν τοξοτῶν συνήλαυνον τοὺς ἐκ τῆς ἀγορᾶς εἰς τὴν ἐκκλησίαν.* E Polluce corrigendus est, qui ex eo hausit, Schol. Aeschin. adv. Timarch. p. 44. 1. *ἦσαν δὲ ἑξῆς* (de lexiarchis loquitur) *οἱ τοὺς ἐκκλησιάζοντας ἐζημιοῦν.* Ibi Reiskius pro *ἑξῆς* reposuit *ἕξ*; rectissime; sed quod in sequentibus aut *τοὺς παρεκκλησιάζοντας*, quae vox omni auctoritate caret, aut *τοὺς οὐκ ἔξον ἐκκλησιάζοντας* legendum putat; illis conjecturis pepercisset, puto, si Pollucis meminisset. Legendum omnino est: *τοὺς μὴ ἐκκλησιάζοντας.*

23) Ad Acharnens. v. 22. *ὑπὲρ τοῦ ἐξ ἀνάγκης αὐτοὺς εἰς τὰς ἐκκλησίας συνιέναι, τοιοῦτο ἐμηχανῶντο καὶ πολλὰ ἄλλα. Ἀνεπετάννυσαν γὰρ τὰ γέῤῥα, καὶ ἀπέκλειον τὰς ὁδοὺς τὰς μὴ φερούσας εἰς τὴν ἐκκλησίαν· καὶ τὰ ὤνια ἀνῄρουν ἐν ταῖς ἀγοραῖς, ὅπως μὴ περὶ ταῦτα διατρίβοιεν· ἔτι μὴν καὶ μεμιλτωμένῳ σχοινίῳ περιβάλλοντες αὐτοὺς, συνήλαυνον εἰς τὰς ἐκκλησίας.* Aliud schol. *εἰώθεσαν ὑπηρέται δύο μεμιλτωμένον σχοινίον ἐκτείνοντες διὰ τῆς ἀγορᾶς διώκειν τὸν ὄχλον εἰς τὴν ἐκκλησίαν. ὅσοι δὲ ἐχρίοντο, ἐξέτινον ζημίαν.* cf. Suid. s. v. *σχοινίον* et *μεμιλτωμένον.* Aliud egit Bergler, ad Alciphron. II. 3. Tom. 1. p. 316. Wagn., cum scriberet: Erat et aliud *περισχοινίσμα*, cum populus in concionem coactus, circumdabatur fune miniato, ne ante tempus dilaberetur. Quae res saepe risum excitabat; nam qui vellent se subducere, maculabantur.

24) De his omnia in vulgus nota. V. Andocid. de pace, p. 92. R. Aeschin. de fals. leg. p. 335. Pollux. VIII 132. et ibi Iungermannus.

igitur Scythae cum fune rubricato, *σχοινίῳ μεμιλτωμένῳ*, circumirent congregatae multitudinis globos, et in comitium compellerent. Qui autem non procederent, et minio, quo illiti erant isti funes, tingerentur, iis mulcta quaedam imposita erat, quam exigebant Lexiarchi. Ac ne alio, quam quo debebant, dilaberentur, septae erant cratibus, *γέῤῥοις*, et occlusae omnes viae, quae non ducebant in comitium. Funis illius mentio est non semel apud Aristophanem: ut in Acharnensibus, v. 22.

οἱ δ' ἐν ἀγορᾷ λαλοῦσι, κἄνω καὶ κάτω
τὸ σχοινίον φεύγουσι τὸ μεμιλτωμένον.

et in Ecclesiazusis, v. 378.

καὶ δῆτα πολὺν ἡ μίλτος, ὦ Ζεῦ φίλτατε,
γέλων παρέσχεν, ἣν προσέῤῥαινον κύκλῳ.

Cratibus autem etiam ipse ille locus, ubi comitia erant, septus esse videtur simul ac cum populo agi coeptum est, ut prohiberentur aditu, quibus suffragii jus non erat; atque ita explicandus est Demosthenis locus, in oratione adversus Neaeram (1375): *τοὺς δὲ πρυτάνεις κελεύει τιθέναι τοὺς καδίσκους ὁ νόμος, καὶ τὴν ψῆφον διδόναι προσιόντι τῷ δήμῳ, πρὶν τοὺς ξένους εἰσιέναι, καὶ τὰ γέῤῥα ἀναιρεῖν.* i. e. ante quam, finitis orationibus et disceptationibus *ἀποῤῥήτοις*, cratibus summotis, etiam peregrinis aditus daretur, si qui essent, qui cum populo agere vellent [25]).

25) Sed ab his *γέῤῥοις* diversa sunt illa, quae apud eundem Demosthenem in or. de Coron. p. 284. *ἕσπερα μὲν γὰρ ἦν· ἧκε δ' ἀγγέλλων τὶς ὡς τοὺς πρυτάνεις, ὡς Ἐλάτεια κατείληπται· καὶ μετὰ ταῦτα οἱ μὲν εὐθὺς ἐξαναστάντες μεταξὺ δειπνοῦντες, τούς τ' ἐκ τῶν σκηνῶν τῶν κατὰ τὴν ἀγορὰν ἐξεῖργον καὶ τὰ γέῤῥα ἐνεπίμπρασαν κ. τ. λ.* Ibi enim cum Harpocratione, s. v. quem Suidas exscripsit, intelligenda sunt, *τὰ τῶν σκηνῶν σκεπάσματα καὶ παρακαλύμματα*, quae incendebantur per tumultum, ut vacuum fieret forum. Plura de illius vocabuli significatione vid. ap. Stephan. Append. Thes. col. 676. et Taylor, ad Dem. or. in Neaer. p. 1375.

CAPUT V.

De mercede comitiorum.

Inter publicas largitiones, quarum exemplum Pericles in civitatem primus invexerat, haec quoque erat, ut merces quaedam daretur pauperioribus civibus, qui in comitiis affuissent, quo magis scilicet hi quoque ad capessendam rempublicam allicerentur; quod quam magnum fuerit augendae democratiae momentum, supra demonstratum est. De auctore hujus instituti non convenit inter scriptores. Alii enim Agyrrhium dicunt, Collytensem, qui circiter Ol. XCII — XCVIII magna apud populum gratia et auctoritate floruit [1]), alii Callistratum quendam, cognomine Parnyten, ceteroqui nobis ignotum [2]). Atque de Agyrrhio quidem auctor est Ari-

---

1) Mentio ejus est non semel apud Aristophanem, ut Plut. v. 176, Eccles. v. 102, et, quamquam suppresso nomine, Ran. v. 367, ubi vid. Brunck. Demosthenes quoque ejus meminit, or. adv. Timocrat. p. 742. *ἔπειτα Ἀγύῤῥιον τὸν Κολυττέα (Κολλυτία) ἄνδρα χρηστὸν καὶ δημοτικὸν καὶ περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον πολλὰ σπουδάσαντα.* Xenophon autem, Hellen. IV. 8. 51 et Diodor XIV. 99 eum Thrasybulo in imperio Lesbi successisse narrant; quae res pertinet ad Ol. XCVII. 3. *Στρατηγός* vocatur, sed *θηλυδριώδης*, ab Aristophanis Scholiast. ad Eccles. v. 102. Apud Andocidem quoque de myster. p. 17. Steph. Agyrrhius quidam nominatur; ita enim ibi pro Argyrius legendum esse, jam alii viderunt; sed idem hic sit, an alius, incertum. Ceterum cf. Vales. ad Harpocr. p. 2. et ad Maussac. p. 209., Meurs. Lectt. Att. VI. 4, Ducker. ad Arist. Plut. v. 176., Corsin. F. A. Diss. VII. Harpocration, in *θεωρικά*, Theoricorum quoque distribuendorum primum auctorem fuisse dicit Agyrrhium, qua de re quid sentiendum sit, vid. Boeckh. Staatshaushalt d. Athen. Tom. I. p. 236 et 240.

2) Cf. Boeckh. l. l. p. 246.

stophanis interpres ad Eccles. v. 102: τὸν μισθὸν τῶν ποιητῶν συνέτεμε καὶ πρῶτος ἐκκλησιαστικὸν δέδωκεν. Ἐκκλησιαστικὸν enim hanc comitiorum mercedem vocabant. De Callistrato autem in Vaticana proverbiorum appendice[3]) haec leguntur: Ὄβολον εὗρε Παρνύτης. Καλλίστρατος Ἀθήνησι πολιτευσάμενος, ἐπικαλούμενος Παρνύτης, μισθὸν ἔταξε τοῖς δικασταῖς καὶ τοῖς ἐκκλησιασταῖς. Illud quidem haud dubie falsum est, quod judicialem mercedem, τὸ δικαστικόν, a Callistrato institutam esse dicit. Aristoteles enim, gravior sane auctor, a Pericle hoc factum esse testatur[4]). Sed de comitiorum mercede conciliari quodammodo potest is, quisquis est, cui hanc proverbiorum collectionem debemus, cum Aristophanis interprete, si statuas, institutam quidem istam mercedem primum esse a Callistrato, auctam autem postmodum ab Agyrrhio. Namque ex Aristophane discimus, eam initio unius tantum oboli fuisse, post autem trium obolorum factam esse. Ita enim in Ecclesiazusis[5]) mulieres facit loquentes:

ὅρα δ' ὅπως ὠθήσομεν τούσδε τοὺς ἐξ ἄστεος
ἥκοντας, ὅσοι πρότου μὲν, ἡνίκ' ἐλθόντας ἔδει
λαβεῖν ὀβολὸν μόνον, κάθηντο λαλοῦντες·
νυνὶ δ' ἐνοχλοῦσ' ἄγαν.

Νυνί, inquit, ἐνοχλοῦσ' ἄγαν, h. e. postquam non jam unus obolus, sed triobolum datur. De triobolo enim certa res est et in vulgus nota, cum ex aliis locis, tum ex his ejusdem fabulae versubus[6]):

Βλε. Ἀτὰρ πόθεν ἥκεις ἐτέον; Χρ. Ἐξ ἐκκλησίας.
Βλε. Τριώβολον δῆτ' ἔλαβες; Χρ. Εἰ γὰρ ὤφελον.

---

3) Ap. Petit. Legg. Att. III. 1. p. 387.
4) Aristot. Polit. II. cap. 10.
5) V. 300. sqq.
6) V. 376. sq.

Apparet autem ex istis, qui ante adscripti sunt, versubus, non diu ante actam hanc fabulam triobolum pro obolo dari coeptum esse. Acta autem est Ol. XCVII. 1 aut 2[7]). Iam vero cum apud Paroemiographum Callistratus obolum invenisse dicatur, veri simillimum est, hunc primum instituisse, ut ἐκκλησιαστικόν unius oboli daretur. Sed mox, cum nimis exigua haec merces videretur, tulit Agyrrhius, circiter Ol. XCVII, ut triobolum daretur, quae res, ut e plurimis Aristophanis locis patet, gratissima plebi fuit, et mirum in modum ad comitia frequentanda pauperes allexit[8]). Prioris autem illius et minoris mercedis nusquam mentio fit, nisi illo uno Aristophanis loco, quem supra adscripsimus. Ideoque factum esse puto, ut Scholiastes iste, cum legisset alicubi, triobolum ab Agyrrhio dari coeptum esse, nullumque aliud ecclesiasticum, praeter hoc triobolum, nosset, in eum errorem induceretur, ut totius hujus instituti primum ac solum auctorem Agyrrhium crederet[9]).

Non omnes autem illud ἐκκλησιαστικόν accepisse, sed pauperiores tantum, vix opus est, admonere. Ditiores, qui sine mercede comitia frequentarunt, ab Antiphane poëta vocantur οἰκόσιτοι ἐκκλησιασταί. Hos enim illius versus habemus ab Athenaeo servatos[10]):

ταχὺ γὰρ γίγνεται
κἀκκλησιαστὴς οἰκόσιτος.

Οἰκόσιτος, dicitur h. l. ut Athenaeus explicat, ὁ μὴ μισθοῦ, ἀλλὰ προῖκα τῇ πόλει ὑπηρετῶν. Dicitur au-

7) Vid. Mohnike: Gesch. d. Litt. d. Griech. u. Röm. I. p. 475.

8) Vid. Aristoph. Plut. v. 329. cf. ib. 171. Eccles. 303. 380. 392. 547.

9) In tota hac disputatione Boeckhium secutus sum, qui conferendus est, Staatshaushalt. d. Athen. I. p. 245. sqq.

10) Athen. VI. c. 52. p. 450. Schweigh.

tem etiam alius quilibet, qui gratis aliquid facit, veluti apud Athenaeum paullo infra:

οἰκόσιτον νύμφιον,
οὐδὲν δεόμενον προικὸς, ἐξευρήκαμεν.

Falsa autem est eorum sententia, qui solos rusticos, eosque rusticos, qui ex longinquioribus pagis in urbem ad comitia convenissent, mercedem accepisse putant[11]), id quod vel ex istis Aristophanis versubus refutari potest, qui supra a nobis laudati sunt, Eccles. v. 300 sqq. ὅρα δ' ὅπως ὠθήσομεν τούσδε τοὺς ἐξ ἄστεος κ. τ. λ. — Videntur autem, ut judicibus, ita ἐκκλησιασταῖς quoque tesserae quaedam datae esse, quibus post finita comitia prolatis mercedem acciperent. Qui autem sero venissent, neque tesseram, neque, post comitia, mercedem accipiebant[12]). Distribuebatur autem haec pecunia a Thesmothetis.

Durasse autem hunc morem etiam Demosthenis aetate, dubitari non potest. Πῶς οὐ δεινόν, inquit ille[13]), εἰ διὰ τὸν νόμον, ὃν σὺ τέθεικας, μισθὸν λαβὼν, ἄμισθος ὁ δῆμος καὶ ἡ βουλὴ καὶ τὰ δικαστήρια ἔσται; Ὁ δῆμος, quoties senatui et judiciis opponitur, populum in comitiis congregatum de-

11) Albert. Gerh. Becker: Demosthenes als Staatsmann und Redner. Tom. II. p. 556.

12) Aristoph. Eccles. v. 289. sqq.

χωρῶμεν εἰς ἐκκλησίαν, ὦνδρες· ἠπείλησε γὰρ
ὁ Θεσμοθέτης, ὃς ἂν μὴ πρῴ πάνυ τοῦ κνέφους
ἥκῃ κεκονιμένος — μὴ δώσειν τὸ τριώβολον.
ἀλλ', ὦ Χαριτιμίδη, καὶ Σμίκυθε, καὶ Δράκης,
ἕπου κατεπείγων σαυτὸν, προσέχων, ὅπως
— — τὸ σύμβολον λαβόντες ἔπειτα πλησίον καθεδούμεθα
κ. τ. λ.

Σύμβολον illud quid aliud esse possit, quam ejusmodi tessera, ego non video. Notissimum autem est, etiam in judiciali mercede distribuenda ejusmodi tesseris usos esse Athenienses

13) Or. adv. Timocrat. p. 731.

signat. Apparet igitur, hunc etiam his temporibus mercedem accepisse[14]).

Frequens autem est Grammaticorum error, ut ἐκκλεσιαστικόν et δικαστικόν aut ἡλιαστικόν inter se permutent. Ita v. c. Aristophanis Scholiastes ad huncce versum in Nubibus: (863.)

ὃν πρῶτον ὄβολον ἔλαβον ἡλιαστικόν,

ἡλιαστικόν, inquit, ἀντὶ τοῦ· ἐκκλησιαστικόν. — οὐγὰρ ἵστατο τῶν δικαστῶν (ita leg. pro δικαστικῶν) ὁ μισθός. Ejus verba Petitus ita accipit, quasi hoc velit: ἐκκλησιαστικόν, non δικαστικόν, ideo intelligendum esse, quia tum temporis de δικαστικῷ nihil certi constitutum fuerit. Id falsissimum est. Hoc enim explicare vult Grammaticus, qui factum sit, ut obolus apud Aristophanem dicatur, quod alibi triobolum dici solet. Nempe, ait, non eadem semper erat judicum merces, sed alia alio tempore, id quod Hesychius quoque et Schol. ad Ran. v. 140. affirmant[15]). Atque ita hunc locum Spanhemius recte explicavit, quamquam is quoque in eodem errore versatur, ut comitiorum et judicum mercedem confundat. — Sed quod Scholiastes noster ἡλιαστικόν in Nubibus dictum esse contendit pro ἐκκλησιαστικῷ, id primum offendit Duckerum, qui proinde δικαστικόν pro ἐκκλησ. legendum esse putat. Atque ego quoque in eadem sententia aliquando fui, donec animadverti, nihil apud istos Grammaticos frequentius esse, quam comitiorum et judiciorum permutationem. Ita v. c. Aristophanis Scholiastes ad Ach. v. 683. Pnycem vocat δικαστήριον, et Suidas s. v. Πνύξ· ἐν Ἀθήναις δικαστήριον οὕτως ἐκαλεῖτο. Etymologus s. v. Ἡλιαία· ἡλιάσται λέγονται οἱ ἐκκλησιάζοντες, pro δικάζοντες. Schol. Dorv. ad Arist.

14) De senatorum mercede, cujus eodem loco mentio fit, vid. Boeckh. l. l. p. 249.

15) Cf. Boeckh. p. 250.

Plut. v. 171. ἐκκλησία· ἡ συνέλευσις κριτῶν[16]). Talia afferri possint sexcenta. Nonnunquam minus perspicua est permutatio, veluti apud Diogenem Laertium in supposititia Solonis ad Epimenidem epistola, ubi notissima illa de Pisistrato historia narratur his verbis: Εἶτα δὲ ἑαυτῷ τραύματα ποιήσας, παρελθὼν ἐφ' Ἡλιαίαν, ἐβόα, φάμενος πεπονθέναι ταῦτα ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν, καὶ φύλακας ἠξίου παρασχεῖν οἱ τετρακοσίους κ. τ. λ. Haec ad ecclesiam, non ad Heliaeam pertinere, certum est; et Diodorus, ubi eandem rem narrat, ecclesiam dicit, Herodotus ἀγορήν[17]). — Ortus autem esse hic istorum scriptorum error videtur ex eo, quod illis temporibus, cum subjectae erant Athenae Romanorum imperio, ereptaque populo cum libertate omnium fere illarum rerum potestas, de quibus in liberae reipublicae comitiis tractari solebat, nihil his relictum erat, praeter judicia, quae tunc et saepius et pluribus de rebus, quam antea, a populo exerceri solebant. Exemplo res probabitur. Superest Hadriani edictum ad Athenienses, de olearum cultorihus oleique venditoribus atque emtoribus. Iubentur cultores alii tertiam alii octavam fructuum partem pro vectigali pendere; quan-

---

16) Ad eundum hunc Pluti versum:

ἐκκλησία δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον (τὸν Πλοῦτον) γίγνεται;

alius interpres haec adnotat: ἵνα πόρον εὕρῃ χρημάτων· ἐκκλησιάζομεν γὰρ ἢ τῶν ἰδίων τι σῶσαι βουλόμενοι, ἢ τῶν ἀλλοτρίων σφετερίσασθαι. διαβάλλει δὲ τὸ ἐπὶ φιλονεικίᾳ (scrib. φιλοδικίᾳ e Suida in ἐκκλησ.) τῶν Ἀθηναίων τριώβολον. Haec quamquam obscurius dicta sunt, illud tamen patet, Scholiasten in ἐκκλησίᾳ de judiciis cogitasse. In haec enim quadrant, quae dicit, τῶν ἰδίων τι σῶσαι et τῶν ἀλλοτρίων σφετερίσασθαι. Et illud φιλοδικίᾳ quoque demonstrat, talem fuisse illius opinionem. Ceterum quilibet intelligit, alludere Aristophanem ad mercedem comitiorum. Sed ex eadem ecclesiae cum judicii permutatione fluxit etiam observatio ad Plut. v. 329.

17) Herodot. I. c. 59. Diodor. XIII. c. 95.

tum, collegerint, quantum cui, quas in terras vehendum vendiderint, profiteri; item emtores, quantum a quoque emerint; quodsi quis deliquerit, graves mulctae adduntur. Dein haec sequuntur:

ΤΑΣ ΔΕ ΠΕΡΙ ΤΟΥΤΩΝ ΔΙΚΑΣ ΜΕΧΡΙ ΜΕΝ ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑ ΑΜΦΟΡΕΩΝ Η ΒΟΥΛΗ ΜΟΝΗ ΚΡΕΙΝΕΤΩ ΤΑΣΔΕ ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΤΟΥ ΜΕΤΑ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΕΑΝ ΔΕ ΤΩΝ ΕΚ ΤΟΥ ΠΛΟΙΟΥ ΤΙΣ ΜΗΝΥΣΗΙ ΕΠΑΝΑΓΚΕΣ Ο ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΤΗ ΕΞΗΣ ΗΜΕΡΑ ΒΟΥΛΗΝ ΑΘΡΟΙΣΑΤΩ ΕΙ Δ ΥΠΕΡ ΤΟΥΣ ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑ ΑΜΦΟΡΕΙΣ ΕΙΗ ΤΟ ΜΗΝΥΜΕΝΟΝ ΕΚΚΛΗΣΙΑΝ ΚΑΙ ΔΙΔΟΣΘΩ ΤΩ ΕΛΕΓΞΑΝΤΙ ΤΟ ΗΜΙΣΥ ΕΑΝ ΔΕ ΕΚΚΛΛΕΣΗΤΑΙ ΤΙΣ Η ΕΜΕ Η ΤΟΝ ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ ΧΕΙΡΟΤΟΝΕΙΤΩ ΣΥΝΔΙΚΟΥΣ Ο ΔΗΜΟΣ[18]).

Videmus itaque, in senatu aut comitiis judicatas illo tempore esse eas causas, de quibus olim, in libera republica, delationem, quae *φάσις* dicebatur, ad magistratus fieri, cognitionem autem a magistratubus ad unum et ducentos, aut in majoribus causis, quae mille drachmarum summam excederent, ad unum et quadringentos judices rejici oportebat[19]). Sed quod in hoc causarum genere novatum est, idem in aliis quoque novatum esse, veri est simillimum. Atque ita explicari potest illa comitiorum et judiciorum apud Grammaticos permutatio, quae cum multos doctissimosque viros fefellerit errorumque non paucorum causa fuerit[20]), non inutile visum est, paullo diligentius de ea disputare.

---

18) Descripsi hanc inscriptionem e Wheleri itinerario: Voyage de Dalmatie etc. par Mr, G. Wheler, traduit de l' Anglois. p. 470. Multae sunt in illo exemplo mendae, quarum nonnullae nescio an aut Whelero aut Gallico editori, non veteri lapicidae, tribui debeant; quamquam hi quoque saepissime labi in scribendo solebant. Corrigenda tamen putavi l. 2. *ΜΕΚΡΙ*, l. 3. *ΚΡΕΙΝΕΤΟΤΑ*, l. 7. *ΑΜΦΩΡΕΙΣ*, l. 8. *ΕΛΕΚΞΑΝΤΙ*, l. 9. *ΕΚΚΛΕΣΗΤΑΙ*.

19) Pollux, VIII. 47. 48.

20) Vid. quae infra, lib. II. cap. 5. de *εἰσαγγελία* contra Luzacium dicentur.

CAPUT VI.

Qui suffragium habuerint.

In populari republica, qualis erat, quae post Solonem et Clisthenem Athenis vigebat, eo maxime civitatis jura continentur, quod cuivis civi et honores seu magistratus capere et judicare et in comitiis suffragium ferre licet. Quare Aristoteles[1]: πολίτης, inquit, ἁπλῶς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ὁρίζεται μᾶλλον, ἢ τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς. Sed ἀρχῆς vocabulum paullo latius hoc loco patet, quam Romanorum *magistratus*; est enim quaevis publicarum rerum administratio; eoque sensu iis quoque ἀρχὴ ἀόριστος paullo infra ab Aristotele tribuitur, qui in comitiis suffragii jure utuntur[2]).

Apud Athenienses igitur a suffragio in comitiis ferendo excludebatur nemo, qui et civitate esset integra, et aetate legitima. Cives autem censebantur ii, qui aut utroque parente cive nati, aut a populo civitate donati et in demi alicujus sive curiae album relati essent. Certe Euclide archonte ab Aristophonte oratore latum erat, ut post illum archontem nemo, nisi qui ἑκατέρωθεν πολίτης esset, civitatis jure frueretur, ii tamen, qui ante illud tempus nati essent, etiamsi patrem tantum civem haberent, tamen pro genuinis civibus habendi es-

1) Polit. III. c. 1.

2) Ita judices quoque ibidem ab Aristotele inter ἀρχάς recensentur, et saepius ab aliis; quin caduceatores et legati, scribae et causarum patroni ἀρχῶν nomine insigniuntur, cujus rei exempla plurima congessit V. C. Hudtwalker, in egregio libello: De Diaetetis, p. 52. De judicibus conferendus etiam Plato, qui eos quadamtenus esse ἀρχάς, quadamtenus non esse disputat, de Legg. VI. p. 767. a. 768. c.

sent[3]); cujus generis homines permulti ante Euclidem in civitatem irrepserant[4]), licet jampridem Pericles legem Aristophonteae illi similem tulisset et severe exercuisset[5]).

Qui autem populi jussu civitate donati erant, qui ποιητοί vel δημοποίητοι dicebantur, in tribuum et curiarum, φυλῶν καὶ δήμων, tabulas referebantur, et aequo cum genuinis civibus jure utebantur, praeterquam quod Archontes et sacerdotes fieri non poterant[6]).

Integra autem civitate esse dicimus eos, qui Atticis sunt ἐπίτιμοι, id est, qui nulla capitis diminutione, quam ἀτιμίαν illi vocant, aliquam juris sui partem amiserunt. Erant autem plura hujus ἀτιμίας genera: unum et gravissimum, cum, qui hac poena affecti erant, omni legum praesidio privati, a quovis impune occidi poterant[7]). Rarior autem hujus generis mentio

3) cf. Petit. Legg. Att. Lib. II. Tit. 4. p. 213. 214. ibiq. Wesseling.

4) Haud dubie autem falsum est quod Petitus, l. l. dicit: „eratque satis, *alterutrum* parentum civem esse." Nam qui matrem quidem haberent civem, patrem autem peregrinum, eos cives fuisse, nullo exemplo probari potest.

5) Plutarch. Pericl. c. 37. Abrogatam tamen haud multis post annis ab ipso Pericle hanc legem putant plerique, ut Perizon. ad Aelian. V. H. VI. 10. quod mihi contra videtur. Ex Plutarchi enim verbis: *συνεχώρησαν (τῷ Περικλεῖ) ἀπογράψασθαι τὸν νόθον εἰς τοὺς φράτορας*, illud Pericli per privilegium a populo datum esse videtur; neque verba illa, quae paullo praecedunt: *ὄντος οὖν δεινοῦ, τὸν κατὰ τοσούτων ἰσχύσαντα νόμον ὑπ' αὐτοῦ πάλιν λυθῆναι τοῦ γράψαντος*, urgueri debent. — Ceterum jam a Solone similis lex de nothis lata esse videtur, v. Petit. p. 215, sed neglecta post illum, quod vel Themistoclis historia arguit.

6) vid. Demosth. in Neaer. p. 1376.

7) cf. Taylor. in Argum. ad Demosth. Or. de fals. leg. in Reiskii Apparat. Crit. Tom. 1. p. 335.

est apud scriptores; memoratur tamen a Demosthene, Arthmium illum Zelitam, cujus Aeschines quoque et Dinarchus meminerunt[8]), ἄτιμον factum esse, οὐχ ἣν ἄν οὑτωσί τις φήσειεν ἀτιμίαν — — ἀλλ' ἐν τοῖς φονικοῖς γέγραπται νόμοις, ὑπὲρ οὗ ἂν μὴ διδῷ φόνου δικάσασθαι, ἀλλ' εὐαγὲς ᾖ τὸ ἀποκτεῖναι· καὶ ἄτιμος, φησὶ, τεθνάτω. Atque ubi hoc sensu vocabulum ἄτιμος occurrit, Grammatici id pro ἀτιμώρητος dictum esse volunt[9]).

Alterum autem ἀτιμίας genus erat omnis publici juris privatio, ut ἄτιμος neque forum, neque Pnycem, neque ullum populi conventum adire, neque causam in judicio dicere, neque publicis sacris interesse, aut, si id faceret, in vincula rapi posset[10]). Atque nihil fere hac poena in foro Attico erat usitatius, quippe qua afficerentur, qui mulctam, a judicio impositam, non solvissent, ideoque aerarii debitores facti essent[11]), qui Archontem coronatum, i. e. munere suo fungentem, verberassent aut conviciis insectati essent[12]), qui parentibus debita ex legibus officia haud praestitissent[13]), patrimonium

8) Demosth. Phil. 3. p. 122. — cf. de fals. leg. p. 428. Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 647. Dinarch. adv. Aristogit. p. 108. Steph. cf. Taylor. ad or. de fals. leg. p. 474.

9) cf. Petit. Legg. Att. VIII. 4. p. 675. Lexicon Rhetor. in Bekkeri Anecd. 1. p. 193. Ruhnken. ad Timaeum p. 54.

10) Ideo haec ἀτιμία a Demosthene, Phil. 3. 121. definitur: τὸ τῶν Ἀθήνησι κοινῶν μὴ μετέχειν: et in Mid. p. 47. Spald. ἁπάντων ἀπεστέρηται τῶν ἐν τῇ πόλει, καὶ καθάπαξ ἄτιμος γέγονε. Lys. in Andocid. p. 221. R. 105. Steph. εἴργεσθαι τῆς ἀγορᾶς καὶ τῶν ἱερῶν, ὥστε μὴ ἀδικούμενον ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν δύνασθαι δίκην λαβεῖν.

11) Isocr. de Big. p. 848. sq. Dinarch. adv. Aristogiton. p. 106. 25. Steph. Demosth. in Nicostr. p. 1246. et alibi saepius.

12) Demosth. in Mid. p. 18. Spald.

13) Demosth. adv. Timocr. p. 733. Diog. Laert. in Solon. p. 37.

inhoneste et luxuriose profudissent[14]), pudicitiam suam prostituissent[15]), *ἀστρατείας*, *δειλίας*, *λειποταξίου*[16]), *ψευδομαρτυριῶν*[17]) convicti essent, aliique plures. Quamquam non aequalem hi omnes *ἀτιμίαν* patiebantur, sed alii temporariam, veluti debitores aerarii, qui, ubi debitum luerant, in pristinum statum redibant, alii sempiternam, quibus haec ipsa erat flagitiorum poena; nam prioribus illis *ἀτιμία* non tam poena erat eorum criminum, quorum in judicio damnati erant, quam debiti solvendi incitamentum.

Tertium autem et levius genus erat, cum non omnibus, sed certis quibusdam juris partibus privabantur. Hi erant *ἄτιμοι κατὰ προστάξεις*, ut ait Andocides, i. e. certis conditionibus. Tali *ἀτιμίᾳ* post expulsos triginta tyrannos nonnulli affecti sunt. Aliis, v. c. non licuit, in comitiis verba facere, alii senatores fieri non poterant, alii non accusare neque deferre, aliis vero in Hellespontum, aliis in Ioniam navigare, quibusdam forum ingredi erat interdictum; cetera tamen reliquis civibus pares erant[18]).

---

14) Diog. Laert. l. l. Aeschin. adv. Timarch. p. 55.

15) Aeschin. adv. Timarch. passim.

16) Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 566. Lys. in Alcibiad. p. 523. R. cf. Taylor. ib. 554.

17) Isaeus, de haered. Dicaeogen. p. 52. 52. Steph.

18) Omnis haec *ἀτιμίας* ratio optime cognosci potest ex Andocide, de Myster. p. 56. R. 10. Steph. eoque loco bene usus est Petitus, Legg. Att. 469. ad explicandum Ulpian. ad Demosth. or. in Midiam, p. 343. ed. Benen. *Τῶν ἀτιμουμένων οἱ μὲν τὸ τρίτον μέρος τοῦ σώματος ἠτιμοῦντο, οἱ δὲ τὰ δύο, οἱ δὲ ὁλόκληρον. καὶ οὗτοι οὐδενὸς μετεῖχον τῶν κοινῶν.* Ex his primi sunt, *οἱ κατὰ προστάξεις ἄτιμοι*; alteri, quibus reditus in pristinum statum non ademptus est; postremi, quibus is nunquam patet. *Σῶμα* autem, qua voce etiam Andocides utitur (*ὧν τὰ μὲν σώματα ἄτιμα ἦν, τὴν δ' οὐσίαν εἶχον*) Atticis

Dixi supra, ad jus suffragii etiam legitima aetate opus fuisse. Atque Aristoteles quidem generaliter tradit, *παῖδας τοὺς μήπω δι' ἡλικίαν ἐγγεγραμμένους, καὶ τοὺς γέροντας τοὺς ἀφειμένους φατέον εἶναι μέν πως πολίτας, οὐχ ἁπλῶς δὲ λίαν, ἀλλὰ προστιθέντας, τοὺς μὲν ἀτελεῖς, τοὺς δὲ παρηκμηκότας*[19]). Ita apud Athenienses quoque plenum atque perfectum civitatis jus non solebant adipisci nisi octodecim annos nati, qua aetate in curialium album (*τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον*) inscribi solebant. Falsam autem puto eorum esse sententiam, qui id ante vigesimum aetatis annum fieri potuisse negant, velut Harpocration et Pollux, et e recentioribus Petitus et qui Petitum sequi solent[20]). Nam primum Demosthenes in orationibus contra Aphobum et Onetorem ostendit, se, cum octodecim annos natus esset, inter cives inscriptum

---

idem fere designat, quod Romanis *caput*, i. e. statum civilem, veluti cum capitis diminutionem dicimus, quae quodammodo cum Atheniensium *ἀτιμίᾳ* conferri potest. Ita apud Antiphont. *περὶ τοῦ χορ.* p. 141. 16. Steph. *κίνδυνος περὶ τοῦ σώματος* de exsilio, quod e sequentt. patet, 142. 11. *ζημιῶσαι καὶ ἐξελάσαι ἐκ τῆς γῆς ταύτης.* Apud Lysiam, in Pancleon. p. 167. 35. *περὶ τοῦ σώματος ἀγωνίσασθαι*, de libertate. Id. *ὑπὲρ τοῦ σηκοῦ.* p. 110. 30. *τοὺς περὶ τοῦ σώματος κινδύνους.* sed paullo ante, p. 108. 31. *περὶ τῆς πατρίδος καὶ περὶ τῆς οὐσίας ἀγωνίζεσθαι.* et 111. 43. *εἰ φυγὰς καταστήσομαι.* Dinarch. in Demosth. p. 90. 34. *δικάσαι περὶ τοῦ σώματος καὶ τῆς ψυχῆς*, quod ipse paullo post explicat: *ἐκβαλεῖν ἢ θανάτῳ ζημιῶσαι.* Isaeus, de Pyrrhi haered. p. 44. 16. *ἐκινδύνευεν ἂν περὶ τοῦ σώματος καὶ τῆς οὐσίας ἁπάσης.* Haec adscripsi, quoniam illum hujus vocabuli usum ab aliis non memini observatum esse.

19) Aristot. Polit. III. cap. 1.

20) Harpocrat. s. v. *ἐπιδιετὲς ἡβῆσαι. Οἱ ἔφηβοι παρ' Ἀθηναίοις ὀκτωκαιδεκαετεῖς γίνονται, καὶ μένουσιν ἐν τοῖς ἐφήβοις ἔτη δύο, ἔπειτα τῷ ληξιαρχικῷ ἐγγράφονται γραμματείῳ.* Hunc Etymol. M. p. 359. 17. et Suidas s. v. exscripserunt. Pollux, VIII. 105. *εἰς μὲν τοὺς ἐφήβους εἰσῄεσαν ὀκτωκαίδεκα ἔτη γενόμενοι, — εἰκοστῷ δὲ ἐνεγράφοντο τῷ ληξιαρχικῷ γραμματείῳ.*

hereditatem adiisse et tutores in jus vocasse[21]); atque ita haec narrat, ut appareat, non praeter morem id fuisse, sed vulgatae consuetudini consentaneum, ut id aetatis inscriberentur. Atqui si vera tradi a Polluce et Harpocratione putemus, haec omnia nemini, nisi post exactum annum vigesimum, licuisse statuamus necesse est. Dein Lycurgus quoque[22]) locutiones *ἔφηβον γίγνεσθαι*, i. e. octodecim annos natum esse, et *εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον ἐγγράφεσθαι* ita conjungit, ut idem utramque valere appareat. Denique, ut hoc quoque addam, apud Demosthenem[23]) Mantitheus quidam narrat, se octodecim annos natum, uxorem duxisse. Quodsi id aetatis matrimonium contrahere potuit, dubium non est, quin inter viros quoque eadem aetate recipi po-

21) Demosth. in or. 1. in Aphob. p. 814, narrat, se a patre relictum esse septennem, sub tutela autem fuisse annos decem, p. 815. in. Rotundos numeros ponit, cum haud dubie et aliquot mensibus major fuerit septennio, cum patre orbatus est, et sub tutela fuerit itidem mensibus aliquot diutius, quam decennium. Namque in orat. 1. c. Onetor. p. 868. dicit, se inter viros receptum esse statim post Aphobi tutoris nuptias, quae factae sint Polyzelo archonte, mense Scirrhophorione, qui anni Attici postremus erat. A Dexitheo autem, quo archonte natus est Demosthenes, ad Polyzelum anni sunt XVIII. Apparet igitur, quod dixi, Demosthenem, cum XVIII annos natus esset, inter viros receptum esse. Cf. Corsin. F. A. Diss. XI. no. 6. In orat. 1. c. Onetor. p. 868. dicit, se inter viros receptum esse Archonte Cephisodoro, qui erat post Dexitheum, quo Arch., sed ad finem anni, natus est Demosth. (vid. Becker, Dem. als Staatsm. u. Redner, p. 7). decimus nonus. Consequitur ergo, nondum explesse Demosth. XVIII. annorum aetatem, cum inter viros receptus est. Falli autem eos, qui id jam Polyzelo Arch., qui Cephisodorum praecessit, factum esse putant, accuratior Demosthenici loci lectio quemvis docebit. Cf. Corsin. Fast. Att. Diss. XI. no. 6.

22) In Leocrat. p. 189. R. 155. Hauptm. *Ἔστιν ὅρκος, ὃν ὀμνύουσι πάντες οἱ πολῖται, ἐπειδὰν εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον ἐγγραφῶσιν καὶ ἔφηβοι γένωνται.*

23) Or. in Boeot. de dote, p. 1009.

tuerit. — Neque tamen eos non errare contenderim, qui illam in curialium album inscriptionem decimo octavo aetatis anno semper fieri solitam esse tradunt[24]). Imo sicut apud Romanos liberum erat parentibus atque tutoribus permissum arbitrium, quo anno a filiis aut pupillis togam virilem sumi placeret[25]), ita apud Athenienses quoque nullum certum tempus legibus definitum fuisse videtur, dum ne ante decimum octavum neve post vigesimum annum exactum adolescentes inscriberentur. Itaque lex illa apud Demosthenem et Hyperidem[26]), quae jubet: *ἐὰν ἐξ ἐπικλήρου τις γένηται, ἅμα καὶ ἡβήσῃ ἐπὶ δίετες, κρατεῖν τῶν χρημάτων*, hoc sensu accipienda erit, ut post pubertatem, i. e. post duodevigesimum aetatis annum, quo tempore ephebos factos esse constat[27]), ultra biennium liberi sub tutela esse vetentur, non autem ita, quasi ante vigesimum annum e tutela dimitti ac proinde inter viros recipi non potuerint; et erraverunt Harpocration et Pollux, qui legem ita acceperunt.

Sed si quem tutores ante vigesimum annum inter viros referri et hereditatem adire vellent, opus fuisse videtur corporis inspectione et examine quodam, quo exploraretur, essetne eo corporis habitu, ut pro pubere haberi et ad civilia munera obeunda adigi posset. Hujus *δοκιμασίας* Aristophanes ejusque Scholiastes mentionem faciunt[28]), et Demosthenes quoque, ubi se,

24) Zosimus Ascalonita in vit. Demosth. ap. Reisk. Tom. IV. p. 147. Schol. ad Aeschin. or. in Timarch. p. 44. 1.

25) Cf. Adam. Antiq. Rom. vers. germ. p. 757. et Schwarz. ad Nieuport. VI. 1. 1.

26) Demosth. in Stephan. p. 1135. Hyperid. ap. Harpocrat. in *ἐπιδιετ. ἡβ.* Cf. Isaeus de Cironis hered. p. 72, 16. et de Aristarch. hered. p. 80, 44. Steph.

27) Vid. Harpocrat. et Pollux, l. l. Cf. Valesius ad Harpocrat. p. 68.

28) Aristoph. Vesp. v. 578.
Παίδων τοίνυν δοκιμαζομένων αἰδοῖα πάρεστι θεᾶσθαι.

decimo octavo, ut demonstravimus, anno, inter viros inscriptum esse dicit, verbis δοκιμασθῆναι, ἄνδρα εἶναι δοκιμασθῆναι et ἄνδρα γενέσθαι tanquam synonymis utitur[29]). — Atque qui hoc modo viris accensitus erat, sive XVIII sive XX annos natus, is adire comitia et suffragium ferre poterat.

Sed senes decrepitos, τοὺς γέροντας τοὺς ἀφειμένους, ut eos Aristoteles appellat, suffragii jus amisisse, quamquam per se vero non est absimile, tamen nullo teste probari potest[30]).

Schol. Τῶν γὰρ παίδων ἡλικίαν δοκιμάζοντες, τὰ αἰδοῖα ἐσκόπουν, διὰ τὸ δεῖσθαι αὐτῶν εἰς τὸ χρησιμεύειν ἐν ταῖς λειτουργίαις. Dignum sane isto Graeculo inventum. — Romani quoque Icti nonnulli non ex aetate sed ex corporis habitu pubertatem definiendam putabant, quamquam fallitur Tribonianus, Institt. I. Tit. 22., qui apud Romanos quoque antiquitus impudicam illam corporum inspectionem in usu fuisse existimat. Vid. Heinecc. Antiq. Rom. sec. ord. Institt. I. 22. p. 225. 228.

29) Orat. 1. c. Aphob. p. 825. or. 3. p. 857. or. 1. c. Onetor. p. 865. etc. Cf. Harpocrat. in δοκιμασθείς, et Vales. ad h. l. p. 49. Ceterum illud ἄνδρα εἶναι δοκιμασθῆναι aperte demonstrat, cogitandum esse de illa corporis inspectione, non de generis et natalium examine, ut vult Petit. Legg. Att. II. 4. p. 229. sq. qui duplicem δοκιμασίαν statuit, alteram anno XVIII, cum ephebi, alteram anno XX, cum viri fierent; quae distinctio vana est. Sed notandum est, veteres ipsos ita loqui solere, ut δοκιμασία ista in orbis tantum locum habuisse videatur, e. g. Xenoph. de Rep. Ath. cap. 3. §. 4.

30) Possit forsitan aliquis suspicari, huc referendum esse Suidae locum, s. v. τριώβολον: οὐδεὶς ἐδίκαζεν, εἰ μὴ ἐπιβαίνε τῶν ξ ἐνιαυτῶν· ὅσοι δὲ τελείας ἡλικίας ἦσαν, εἰσήρχοντο μὲν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, οὐκ ἐδίκαζον δὲ — ἀφῆλιξ δὲ εἰς τὴν ἐκκλησίαν οὐκ εἰσήρχετο. Possit enim aliquis putare, voc. ἀφῆλιξ hoc loco, ut alias saepissime, significare senem decrepitum, h. e. LX annis majorem. Sed si contuleris Aristoph. Scholiasten, ex quo Suidas haec hausit, omisso tantum principio: ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ οὐδεὶς ἐδίκαζεν κ. τ. λ., apparebit, non opponi comitia et judicia, neque τὸν ἀφήλικα iis, qui τελείας ἡλικίας sint; sed hoc dici:

Eorum autem civium, quibus licuit comitiis interesse, indices quidam et alba apud cujusque curiam fuisse videntur. Apud Demosthenem certe memorantur *πίνακες ἐκκλησιαστικοί*, qui quid aliud esse possint, equidem non video[31]).

Servi autem, id quod sua quisque sponte intelligit, et peregrini, comitiis prohibebantur:

Δούλοις γὰρ οὐκ ἔξεστ' ἀκούειν τῶν λόγων,

ut est apud Aristophanem[32]). Fiebat tamen haud raro, ut et servi et peregrini intromitterentur cum populi venia, veluti qui supplices, impetrata impunitate, *ἀδεία*, aut peterent aliquid, aut de gravi civis alicujus injuria quererentur, aut qui indicium deferrent, cujus generis exempla nonnulla sunt apud oratores[33]), aut quibus agendum cum populo esset necessario, de rebus majoribus, de quibus nonnisi a populo statui poterat, aut denique aliarum civitatum legati.

---

in comitiis, quae hic quoque pro judicum consessu haberi patet, judicare potuisse neminem, nisi qui LX annos natus esset; viros autem hac aetate minores interesse quidem comitiis potuisse, non autem judicare; *ἀφήλικας* autem, h. e. impuberes, ne interesse quidem. De hac vocab. *ἀφῆλιξ* significatione, ut impuberem designet, vid. Phrynich. in Bekkeri Anecd. I. p. 3, et *Συναγ. λεξ. χρησ.* ib. p. 470. Pierson. ad Moer. p. 83. Bergler. et Wagn. ad Alciphr. I. ep. 6. p. 41. Ceterum totum illud scholium nullius pretii est.

31) Demosth. c. Leocharem, p. 1091. *οὐδ' ὅστ' ἦν εἰς τὸν Ὀτρυνέων πίνακα τὸν ἐκκλησιαστικὸν ἐγγράφειν αὐτὸν, Ἐλευσίνιος ὤν.* Nusquam praeterea, quod sciam, horum *πινάκων* mentio est.

32) Thesmophor. v. 294. Cf. Plutarch. Phoc. cap. 34.

33) Andocid. de myster. p. 2. 38. Steph. Lys. in Agorat. p. 132, 38. et p. 135, 4. Aeschin. in Timarch. p. 84. — E Demosthenis loco, in Neaer. p. 1375, *τοὺς δὲ πρυτάνεις κελεύει τιθέναι τοὺς καδίσκους ὁ νόμος, πρὶν τοὺς ξένους εἰσιέναι καὶ τὰ γέῤῥα ἀναιρεῖν*, conjici potest, ex more peregrinis ad finem comitiorum, ceteris rebus peractis, aditum permissum esse. Alias extra circumstare solebant, unde ap. Aeschin. c. Ctesiph. p. 616: *ἀνεβόησεν ὁ δῆμος καὶ ὅσοι ξένοι περιέστησαν τὴν ἐκκλησίαν.*

Sed e peregrinorum numero excipiendi videntur ii, qui *ἰσοτελεῖς* dicuntur, i. e. inquilini, *μέτοικοι*, qui, populi beneficio, pari fere cum civibus jure fruebantur. Nam non *μετοικίῳ* solum, cive annuo inquilinorum tributo soluti, idem atque cives tributum pendebant, unde nomen quoque *ἰσοτελεῖς* traxerunt, sed eodem cum civibus adscriptitiis jure ac conditione erant. Suidas certe *ἰσοτελεῖς* eos esse dicit, qui honoris vel praemii causa, propter insignia in rempublicam merita, a populo ex inquilinis in adscriptitiorum civium statum transducti sint[34]. Ita Ammonius quoque: *ἰσοτέλης*, inquit, *πάντα τὰ αὐτὰ ἔχων τοῖς πολίταις, πλὴν τοῦ ἄρχειν*, et Timaeus[35]: *ἰσοτέλης, ὁ χωρὶς ζημίας ἐπιδημῶν ἴσα τοῖς πολίταις*, i. e. qui aequo cum civibus jure in civitate vivit. Itaque haud immerito conjecit F. A. Wolfius[36], suffragium quoque iis impertitum esse et omnino ad rempublicam accedere licuisse. Certe, ut idem observat, *διαιτήται*, arbitri, ab ipsis civibus ex eorum numero sumebantur nonnunquam[37]. Et Lysiam oratorem, quem *ἰσοτελῆ* fuisse notissimum est, Cicero scribit omni civium munere Athenis functum esse[38]. Quod autem, ut Ammonius ait, magistratus capere non potuerunt, id commune habuerunt cum civibus adscriptitiis[39], a quibus hoc uno

---

34) Suid. s. v. *Οἱ ἀπὸ τοῦ μετοικεῖν κατά τινα τιμὴν παρὰ τοῦ δήμου γενομένην κατὰ ψήφισμα μεταβαίνοντες εἰς τὸ τῶν δημοποιήτων δίκαιον, ἰσοτελεῖς ὠνομάζοντο. ἐγίνετο δὲ τοῦτο τοῖς μετοίκοις ὑπὸ τῆς πόλεως, ὅτε ἐδόκουν εὖ πεποιηκέναι τὸ κοινόν.*

35) Lex. Platon. p. 151.

36) Prolegg. ad Dem. Leptin. p. LXX.

37) Demosth. in Phorm. p. 912. extr.

38) Cic. Brut. cap. 16.

39) Hi enim neque Archontes neque sacerdotes fieri poterant. Demosth. in Neaer. p. 1376.

diversi fuisse videntur, quod non in curiarum album relati erant, neque jura sua posteris quoque hereditaria relinquebant.

Sed ne quis forte ex iis, quibus non liceret, suffragii jus in comitiis usurparet, mandatum erat Le iarchis, ut inquirerent in eos, qui in hoc genere deliquissent, nominaque eorum deferenda curarent. Οἱ Ληξιάρχοι, inquit Pollux, τοὺς ἐκκλησιάζοντας ἐξήταζον [40]). Poena autem eorum, qui civium jura temere usurparent, haec fuit, ut in vincula darentur, et, si convicti essent, servi fierent et venumdarentur [41]).

Ridiculum autem est et absurdum, quod a nonnullis narratur [42]), antiquitus, ante Cecropis tempora, mulieres quoque comitiis interfuisse et suffragia tulisse; neque ego id notarem, nisi a Petito, qui nullas ejusmodi nugas repudiare solet, pro certo tradi viderem. Illud forsitan haud indignum fuerit memoratu, quod ex multis Aristophanis locis patet [43]), Athenienses in comitiis quoque scipiones, quibus plurimum vulgo uti solebant, gestasse, quod apud Lacedaemonios contra erat [44]). Armatis autem interesse comitiis, in nulla Graeciae civitate licuit, post heroica tempora [45]).

---

40) VIII. 104.

41) Ulpian. ad Dem. or. in Timocrat. p. 467. Ben.

42) Varro ap. Augustin. de civ. D. XVIII. c. 9. Cf. Petit. p. 288. Meurs. de regn. Att. I. cap. 10.

43) Vesp. v. 33. Ecclesiaz. 74. 150. 276. Cf. Casaub. ad Theophrast. Charact. cap. 5. p. 75. sq. ed. Fischer. Böttiger. Vasengemälde. II. p. 61.

44) Plutarch. Lycurg. cap. 11. extr.

45) Diodor. XII. cap. 19. Cf. Lucian. Anachars. cap. 34. Eustath. ad Iliad. A. p. 83. Rom.

CAPUT VII.

De Prytanum et Proedrorum in comitiis munere ac functione.

Est hic de Prytanum Proedrorumque in comitiis munere locus unus ex iis, qui maxime doctissimorum virorum ingenia exercuerunt, neque tamen omni ex parte satis illustratus et perpurgatus. Duo fuisse Proedrorum, eorumque, qui illis praeerant, Epistatarum genera, jam supra a nobis memoratum lectores meminerint. Horum alterum optime cognosci potest ex Ulpiani, aut quisquis secundum Demostheneae in Androtionem orationis argumentum perscripserit, expositione[1]). *Ἐπειδὴ*, inquit, *πολλοὶ ἦσαν (οἱ βουλευταὶ) καὶ δυσχερῶς ἤνυον τὰ πράγματα, διεῖλον ἑαυτοὺς εἰς δέκα μερίδας, κατὰ τὰς φυλὰς, ἀνὰ πεντήκοντα — — ὥστε συνέβαινε, τοὺς πεντήκοντα ἄρχειν τῶν ἄλλων ἀνὰ τριάκοντα πέντε* (sic scrib.) *ἡμέρας. — — ἀλλ' ἐπειδὴ πάλιν οἱ πεντήκοντα πολλοὶ ἦσαν εἰς τὸ ἄρχειν ἅμα, οἱ δέκα κατὰ κλῆρον μιᾶς ἡμέρας τῶν ἕπτα, ὁμοίως δὲ ἕκαστος τῶν ἄλλων ἀπὸ κλήρου ἦρχε τὴν ἑαυτοῦ ἡμέραν, ἄχρις οὗ πληρωθῶσιν αἱ ἕπτα ἡμέραι· καὶ συνέβαινε τοῖς ἄρχουσι τρεῖς μὴ ἄρχειν. — — ἰστέον δὲ ὅτι οἱ μὲν πεντήκοντα ἐκαλοῦντο πρυτάνεις, οἱ δὲ δέκα πρόεδροι, ὁ δὲ εἷς ἐπιστάτης. —* Hi igitur Proedri e Prytanibus erant deni ad septenos dies sorte creati, erantque per id tempus totius senatus principes ac praesides, unde etiam nomen traxerunt. Sed ab his diversi erant alterius generis Proedri, qui non e

1) p. 590. R. Hos designat etiam Ulpian. ad Dem. or. in Mid. p. 520. 16. *Πρόεδροι ἐκαλοῦντο οἱ πεμπόμενοι ἐν τῇ βουλῇ παρὰ τῆς πρυτανευούσης φυλῆς· οὗτοι δὲ πάλιν ἐπέμποντο παρὰ τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον, καὶ προκαθεζόμενοι ἐν τῷ θεάτρῳ. διὸ καὶ πρόεδροι ἐκλήθησαν· ἠρώτων τὸν δῆμον κ. τ. λ.*

Prytanibus, sed e reliquarum novem tribuum, prytaniam eo tempore non gerentium, Senatoribus, item sorte capiebantur a Prytanum Epistata, quoties aut Senatus aut populus convocandus erat, id est, quotidie fere; nam Senatus quotidie convocari solebat, nisi si feriae agerentur. *Οἱ πρυτάνεις*, inquit Pollux [2]), *τὴν βουλὴν συνάγουσιν ὁσημέραι, πλὴν ἂν ἄφετός τις ᾖ.* Hos igitur deinceps cum Corsinio brevitatis gratia vocabimus *Proedros non-contribules,* quoniam ex novem diversis tribubus erant; priores autem illos *contribules,* quoniam ejusdem erant omnes tribus *πρυτανευούσης.* De istis *non-contribulibus* auctorem habemus imprimis Pollucem [3]). *Ὅταν,* inquit, *οἱ πρυτάνεις τὸν δῆμον ἢ τὴν βουλὴν συνάγωσιν οὗτος (ὁ Ἐπιστάτης τῶν πρυτάνεων) ἐξ ἑκάστης φυλῆς πρόεδρον ἕνα κληροῖ, μόνην τὴν πρυτανεύουσαν ἀφίεις.* Eadem fere Suidas tradit [4]). Hi igitur Proedri *non-contribules* novem erant, singuli e singulis tribubus, excepta ea, quae prytaniam gerebat, non, ut contribules illi, ad septenos dies, sed ad illas

2) Lib. VIII. s. 95.

3) Ib. s. 96. extr.

4) S. v. *Ἐπιστάτης.* Reliquos Grammaticos laudare nil attinet; omnes enim cum Polluce ac Suida consentiunt. Fundum autem et fontem, unde omnes fere horum Grammaticorum recentiorum, Suidae puta, Etymologi, quin ipsius Pollucis expositiones manarint, Telephum Pergamenum putat Luzacius, (Disqu. de Epistat. ac Proedr. §. 5. post Orat. de Socrate Cive.) cujus fragmentum exstat apud Eustathium, ad Od. P. v. 455. p. 641. ed. Basil. quamquam valde, ut videtur, abbreviatum. Pollucem tamen, qui Telephi fuit fere aequalis, non magis quam Harpocrationem ex eo hausisse putarim. Uterque Aristotelem sequi solet; neque tantus est h. l. inter Pollucem et Telephum consensus, ut ille, relicto Aristotele, hunc potius secutus esse videri debeat. Telephus potius ipse sine dubio ex Aristotele hausit.

tantummodo unius diei horas, quibus aut Senatus aut comitia haberentur, creati. Utrique autem, et contribules, et hi, qui diversarum erant tribuum, officiis quibusdam et muneribus in senatu et in comitiis fungebantur. Sed quaenam fuerint ista, et quomodo definita ac distincta, id a nemine Grammaticorum satis accurate traditur.

Sigonius, qui primus omnium recentiorum hunc de comitiis et de universa Atheniensium republica locum paullo diligentius tractavit, in ea est sententia, ut, ubicunque in comitiis Proedrorum mentio fiat, novem istos non-contribules intelligendos esse putet; quin contribules illos decem, quos e Prytanibus creatos esse vidimus, plane non agnoscit, et cum Libanii locum paullo ante a nobis adscriptum, huic sententiae obstare videat, Harpocrationem se libentius sequi profitetur [5]). Scilicet in errorem inductus est Harpocrationis loco, ubi *non-contribules* soli memorantur: *Πρόεδροι ἐκληροῦντο τῶν πρυτανέων καθ' ἑκάστην πρυτανείαν εἷς ἐξ ἑκάστης φυλῆς, πλὴν τῆς πρυτανευούσης, οἵτινες τὰ περὶ τὴν ἐκκλησίαν διῴκουν. ἐκαλοῦντο δὲ Πρόεδροι, ἐπειδήπερ προήδρευον τῶν ἄλλων ἁπάντων. πολλάκις δ' ἔστι τοὔνομα παρὰ τοῖς ῥήτορσιν, ὡς καὶ παρὰ Δημοσθένει ἐν τῷ κατ' Ἀνδροτίωνος καὶ Αἰσχίνῃ ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος. ὅτι δὲ ὁ καλούμενος Ἐπιστάτης κληροῖ αὐτοὺς, εἴρηκεν Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ.* Hunc locum corruptum esse, apparet; nam, ut de omissa praepositione ante *πρυτανέων* nil dicam, id quidem reliquorum omnium testimoniis repugnat, Proedros non-contribules creatos esse *κατὰ πρυτανείαν*; immo creaban-

5) De Rep. Athen. L. II. c. 3. p. 560. ed. Paris. (Gron. Thes. A. G. Tom. V. col. 1538). Cf. id. c. 4. p. 564. (Gron. Th. col. 1543).

tur, ut ait Pollux et cum eo Suidas, quoties senatus habebatur aut comitia. Itaque Corsinius[6]) excidisse quaedam putat, et ita locum esse supplendum: *Πρόεδροι ἐκληροῦντο οἱ μὲν τῶν Πρυτανέων* (malim equidem *ἐκ τῶν Πρυτ.*) *καθ' ἑκάστην πρυτανείαν, οἱ δὲ, εἷς ἐξ ἑκάστης φυλῆς κ. τ. λ.* Quae correctio probabilem et nulli reliquorum Grammaticorum auctoritati contrariam sententiam efficit; nam, quamquam illud a Libanio non diserte traditur, creatos esse decem Proedros contribules, *κατὰ πρυτανείαν*, veri tamen simillimum videri possit, cujusque prytaniae initio sortitos esse Prytanes, et quinam illo septenorum dierum praesidio simul fungerentur, et quo ordine istae Prytanum decuriae, quas sors conjunxisset, sibi succederent. Sed aliam emendandi rationem secutus est Luzacius[7]), rescribendumque censuit: *Πρόεδροι ἐκληροῦντο ὑπὸ τῶν Πρυτανέων καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν κ. τ. λ.* Quam rationem cur haud improbandam putem, paullo infra exponam. Sed, utut sit, illud quidem certum esse arbitror, nimium huic Harpocrationis loco tributum esse a Sigonio, atque, etiamsi ille, ut vulgo legitur, unum tantummodo Proedrorum genus commemoret, non tamen idcirco alterum illud, quod a Libanio memoratur, plane negandum fuisse. Quamquam excusari hic error debet in eo praesertim viro, qui primus in hoc litterarum genere enituit, erroresque suos plurimis et egregiis meritis compensavit, eoque magis excusari debet, quod illi Demosthenis atque Aeschinis loci, quos Harpocratio designat, et qui a Sigonio laudantur, haud sane sunt ejusmodi, ut ex iis solis cognosci possit Proedro-

6) Fast. Att. Diss. VI. n. 7.

7) Disqu. de Epist. ac Procdr. §. 4.

rum ratio, neque, utrum eorum genus intelligendum sit, deprehendi, nisi aliquam eorum notitiam aliunde haustam afferas[8]). Atque illud quoque fatendum est, Grammaticos plerosque, cum Proedros commemorent, novem illos non-contribules designare, eosque Prytanibus opponere, et ea de illorum officiis tradere, quae errori quam veritati propiora videantur. At enim non isti nobis tali in re sequendi sunt, caeci plerumque duces, sed ipsi illi veteres consulendi, qui florentis Atticae reipublicae temporibus vixerunt, et, quae ipsi videbant, quibus intererant, ea perscripserunt memoriaeque tradiderunt. Neque unus aut alter eorum locus nobis sufficere videri debet ad cognoscendam veritatem, sed, quaecunque ab iis dicuntur, quae aliquo modo ad eam, quam quaeras, rem pertinere posse videantur, ea omnia diligenter perpendenda sunt et inter se conferenda, atque ita, subductis quasi calculis, quid efficiatur, statuendum. Hac enim una via ad aliquam, si non plenam, at certam et veram antiquitatis cognitionem perveniri potest. Eam viam, hac quidem in parte, nemo ex iis ingressus est, qui

---

8) Sunt hi loci: Demosth. adv. Androt. p. 596. R. *οἱ προεδρεύοντες τῆς βουλῆς, καὶ ὁ ταῦτ' ἐπιψηφίζων Ἐπιστάτης ἠρώτων καὶ διαχειροτονίαν ἐδίδοσαν.* Aeschin. adv. Ctesiph. p. 450. R. *τοὺς δὲ Πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν, — — τὸν δ' Ἐπιστάτην τῶν Προέδρων διαχειροτονίαν διδόναι τῷ δήμῳ.* Aesch. de fals. leg. p. 259. *ἐκκλησία γίγνεται, ἐν ᾗ Δημοσθένης λαγχάνει προεδρεύειν.* Demosth. adv. Timocr. p. 706. *τοὺς Προέδρους οἳ ἂν τυγχάνωσι προεδρεύοντες ἐν ταύτῃ τῇ ἐκκλησίᾳ.* Cf. in Mid. p. 517. Aesch. adv. Timarch. p. 48. Ulpian. ad or. in Mid. p. 445. 31. Benen. — Ceterum diversus est error Postelli qui in libello de Republ. Athen. c. 7. (Gron. Thes. Tom. V. col. 1325) auctorem argumenti secundi orationis adv. Androt. unum sequitur, et illos Proedros *non-contribules* prorsus omittit.

post Sigonium de Attica republica scripserunt. Emmius[9]) quidem plane in Sigonii sententiam discedit; Petitus[10]) hoc uno a Sigonio dissentit, quod etiam contribules Proedros agnoscit, et recte inter utrumque genus distinguit; quod tamen jam ante Petitum factum erat a Petavio[11]), qui proinde haud immerito profitetur, se primum hac in re verum vidisse; ceterum in eo uterque cum Sigonio consentiunt, quod omnem in comitiis curationem administrationemque in solos Proedros non-contribules conferunt, contribules autem spectatores otiosos faciunt. Quam sensentiam recentiores Atticarum antiquitatum scriptores, Potterus, Bosius[12]) aliique, sine ulla dubitatione secuti sunt, nisi quod illi duo contribulium Proedrorum nullam prorsus mentionem faciunt; judicione an negligentia, haud sane affirmem; ceteroquin tanti apud illos esse solet Petiti auctoritas, ut in ejus placitis semper fere acquiescant.

Primus Corsinius[13]) rem accuratius quaerendam ratus, ad ipsos veteres rediit eorumque testimonia consuluit, neque tamen ad veritatem pervenit. Nam cum alios veterum locos, qui huc pertinent, plane neglexerit, alios non satis recte et subtiliter perpenderit et explicarit, factum est, ut in eundem cum Petito errorem a Grammaticis induceretur, atque solos Proedros non contribules comitiorum consultationes moderatos esse populumque in suffragia misisse statueret.

---

9) De Rep. Ath. p. 40 et p. 49. ed. Elzevir.

10) Petit. Lib. III. tit. 1. p. 271.

11) Petav. De Doctrin. Temp. Lib. II. c. 1. p. 47.

12) Potter. Archaeolog. Graec. Lib. I. c. 17. p. 192. et c. 18. p. 202. vers. Germ. — Lamb. Bos. Ant. Graec. P. 2. c. 6.

13) Fast. Att. Diss. VI.

Corsinii vestigia secutus est ejus popularis Biagius [14]), novi nihil in medium attulit, praeterquam quod Proedris contribulibus in Senatu quoque idem otium facit, quod iis in comitiis factum erat a Corsinio. Nostra demum aetate exortus est Luzacius, qui hunc de Proedris et Epistatis locum denuo in disquisitionem vocavit, invictisque argumentis in decem Proedros contribules eorumque Epistaten conferenda esse demonstravit ea omnia, quae Patavius, Petitus, Potterus, Corsinius, Biagius ceterique omnes novem *non-contribulibus* attribuenda esse putaverant. Verum, sicut hac in parte libentissime viro egregio assentior, ita prorsus falsa et inania esse censeo, quae de Proedrorum non-contribulium munere ab eo disputantur, aut nullis aut non certe idoneis argumentis confirmata. Sed jam singula ordine exponenda sunt; ac primum quidem repetenda, quae a Luzacio contra Corsinium disputantur (cui labori libenter parcerem, nisi praeclaram illam de Socrate Cive orationem haud ita multis in Germania notam esse viderem) haec igitur repetenda; dein, quae ab illo praetermissa sunt, addenda; denique ipsius conjectura de Proedrorum non-contribulium officiis refellenda.

Ac primum quidem, res de quibus tractandum erat in comitiis, populo proponere, Senatus consultum recitare, seu potius recitandum curare oratoribusque dicendi potestatem facere, quae omnia uno verbo *χρηματίζειν* dicuntur, haec igitur Proedrorum contribulium fuisse, qui e Prytanibus erant, demonstrant legis ipsius verba, quae a Demosthene in oratione contra Midiam afferuntur: *Τοὺς Πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐν Διονύσου τῇ ὑστεραίᾳ τῶν Πανδίων·*

14) De Decret. Athen. cap. XIII.

ἐν δὲ ταύτῃ χρηματίζειν πρῶτον μὲν περὶ ἱερῶν κ. τ. λ. Prytanes igitur ad populum referre jubentur; esse autem hos non universos quinquaginta, sed decem illos, qui Proedri vocabantur, Demosthenes ipse declarat, cum legis verba hunc in modum explicat: *ὁ μὲν νόμος οὗτός ἐστιν — λέγων, ὥσπερ ἠκούσατε, ποιεῖν τὴν ἐκκλησίαν ἐν Διονύσου μετὰ τὰ Πάνδια. ἐν δὲ ταύτῃ ἐπειδὰν χρηματίσωσιν οἱ Πρόεδροι περὶ ὧν διῴκηκεν ὁ Ἄρχων, χρηματίζειν κελεύει κ. τ. λ.* Idem demonstratur alio Demosthenis loco, in oratione de Corona, ubi, allato nuntio de occupata a Philippo Elatea, comitia habita esse narrat, in quibus Prytanes populo renuntiasse, quae ipsi cognovissent. *Τῇ δ' ὑστεραίᾳ,* inquit, *ἅμα τῇ ἡμέρᾳ, οἱ μὲν Πρυτάνεις τὴν βουλὴν ἐκάλουν εἰς τὸ βουλευτήριον· ὑμεῖς δ' εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐπορεύεσθε· καὶ πρὶν ἐκείνην χρηματίσαι καὶ προβουλεῦσαι, πᾶς ὁ δῆμος ἄνω καθῆτο· καὶ μετὰ ταῦτα ὡς εἰσῆλθεν ἡ βουλὴ, καὶ ἀπήγγειλαν οἱ Πρυτάνεις τὰ προσηγγελμένα ἑαυτοῖς καὶ τὸν ἥκοντα παρήγαγον, κἀκεῖνος εἶπεν, ἠρώτα ὁ κήρυξ· τίς ἀγορεύειν βούλεται;* Itaque dubitari non potest, quin, ubicunque Proedri *χρηματίζειν* dicantur, intelligendi sint contribules, veluti apud Aeschinem: *πῶς δὲ κελεύει (ὁ νόμος) τοὺς προέδρους χρηματίζειν*; et apud Demosthenem: *τοὺς προέδρους, οἳ ἂν τυγχάνωσι προεδρεύοντες ἐν ταύτῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, χρηματίζειν ἐπάναγκες πρῶτον μετὰ τὰ ἱερὰ περὶ τῶν νομοθετῶν.*

Deinde, finitis consultationibus, in suffragium missum esse populum a Prytanibus, sive potius Prytanum Epistata, non paucis veterum scriptorum locis comprobatur. Ac primum quidem Thucydides Niciam, temerariam illam et perniciosam expeditionem Siculam civibus suis graviter et sapienter dissuadentem, cum postularet, iterum hac de re deliberationem institui, populoque suffragium permitti, ita facit loquentem: *Καὶ σὺ, ὦ Πρύτανι, ταῦτα (εἴ-*

περ ἡγῇ σοὶ προσήκειν, κήδεσθαί τι τῆς πόλεως, καὶ βούλει γενέσθαι πολίτης ἀγαθὸς) ἐπιψήφιζε καὶ γνώμας προτίθει αὖθις Ἀθηναίοις. Prytanin alloquitur; ergo, qui suffragium populo dabat e Prytanibus erat, Prytanum princeps, non Proedrorum non-contribulium, quibus hae partes a Corsinio demandantur. Ceterum illud quoque hic locus probat, non solum in suffragia populum a Prytanum Epistata missum esse, quod est *ἐπιψηφίζειν*, sed etiam oratoribus dicendi potestatem permissam, quod dicitur *γνώμας* vel *λόγους προτιθέναι.* Alterum argumentum suppeditabit narratio de Socrate, quae et a Platone et a Xenophonte et ab Aeschine, sive quis alius est Axiochi auctor, traditur [15]): cum Athenienses, calumniatorum artibus exasperati, de decem imperatoribus, qui neglectae militum in navali ad Arginusas proelio occisorum sepulturae accusabantur, uno suffragio sententiam sibi ferendam permitti postularent, Socratem, qui in illis comitiis Epistatae munere fungebatur, restitisse populi furori, et suffragium ei constanter ac fortiter negasse. Atque haec Plato ipsum Socratem his verbis narrantem facit: *Ἔτυχεν ἡμῶν ἡ φυλὴ Ἀντιοχὶς πρυτανεύουσα, ὅτε ὑμεῖς τοὺς δέκα στρατηγοὺς τοὺς οὐκ ἀνελομένους τοὺς ἐκ τῆς ναυμαχίας, ἐβουλεύσασθε ἀθρόους κρίνειν, παρανόμως, ὡς ἐν τῷ ὕστερον χρόνῳ πᾶσιν ὑμῖν ἔδοξε· τότ᾽ ἐγὼ μόνος τῶν πρυτανέων ἠναντιώθην ὑμῖν κ. τ. λ.* Atque illud *ἠναντιώθην* quid sit, e Xenophonte discimus, qui hanc eandem rem hoc modo narrat: *Ἐπιστάτης ἐν τῷ δήμῳ γενόμενος, ἐνθυμήσαντος τοῦ δήμου παρὰ τοὺς νόμους ἐννέα στρατηγοὺς μιᾷ ψήφῳ ἀποκτεῖναι πάντας, οὐκ ἠθέ-*

---

15) Platon. Apolog. p. 32. a. Xenoph. Memorab. I. 1. 18. IV 4. 2. Aeschin. Axioch. c. 12. Plura v. ap. Luzac. Probatt. et Annott. ad Or. de Socr. Civ. p. 89. sq.

λησεν ἐπιψηφίσαι κ. τ. λ.[16]). Ex his inter se collatis, manifesto apparet, verum esse, quod etiam Thucydidis loco probari dixi, Prytanum Epistatam fuisse, qui populum in suffragia mitteret. Sed ut posterioris quoque aetatis testimonium afferatur[17]), narrat Aeschines, Demosthenem Proedrum fuisse in comitiis, quae de pace cum Philippo facienda habebantur Elaphebolionis mensis die quarto et vigesimo; narrat porro[18]) in istis comitiis, cum lex quaedam ab Aleximacho proponeretur, negasse Demosthenem, se illa de lege populo suffragium permissurum esse. Erat autem is annus Archonte Themistocle, quo anno Senator erat Demosthenes[19]); erat illo tempore Prytania tribus Pandionidis, quod e Psephismate apud Demosthenem, eodem illo tempore, paucis ante diebus perscripto, apparet, quamquam in illo mensis nomen corruptum est et dici notatio, atque pro *Ἑκατομβαιῶνος* rescribendum *Ἐλαφηβολιῶνος*, pro *ἕνῃ καὶ νέᾳ* forsitan *ἐννάτῃ φθίνοντος*; nam inter decimum nonum et vigesimum quartum mensis diem illud Psephisma scriptum esse oportet[20]).

---

16) Xenoph. Memorab. I. 1. 18. cf. Plat. Gorg. 474. a. *Πέρυσι βουλεύειν λαχών*, Socratis sunt verba, *ἐπειδὴ ἡ φυλὴ ἐπρυτάνευε καὶ ἔδει με ἐπιψηφίζειν, γέλωτα παρεῖχον καὶ οὐκ ἠπιστάμην ἐπιψηφίζειν.*

17) Legem ap. Demosth. adv. Timocrat. p. 725. *Ἐπὶ τῆς Πανδιονίδος — — — τῶν Προέδρων ἐπεψήφισεν Ἀριστοκλῆς Μυῤῥινούσιος*, adhibere nolui, quoniam objici potest, illam in nomothetarum consessu, non in populi comitiis latam esse. vid infr. lib. II. c. 2.

18) De fals. leg. p. 268. *Δημοσθένης ἐν τῷ δήμῳ προήδρευε τούτου τοῦ μηνὸς* (Elaphebolionis, quod ex antecedentibus patet) *ἑβδόμῃ φθίνοντος.* Ibid. p. 260. *ἀναστὰς ἐκ τῶν προέδρων Δημοσθένης, οὐκ ἔφη τὸ ψήφισμα ἐπιψηφιεῖν.*

19) Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 450. 451. R.

20) vid supr. c. 2.

Sed illa mensis correctio jam a Corsinio probata est, neque dubia esse potest cuiquam, qui rerum gestarum seriem, quemadmodum ex Aeschine colligitur, intellexerit. Itaque cum Prytaniam gereret tribus Pandionis, cui accensebatur Demosthenes, apparet, hunc illo tempore *unum e decem Proedris contribulibus* fuisse; nam quae tribus vigesimo secundo Elaphebolionis die, aut certe circiter hunc diem, Senatui praesidebat (ἐπρυτάνευε) eandem etiam vigesimo quarto praesedisse oportet; est enim octavae prytaniae, quae in Elaphebolionem incidit, initium aut undecimo, aut, si forte intercalaris annus sit, secundo Elaphebolionis, exitus autem aut decimo septimo aut undecimo Munychionis die. Praeterea ex alio Aeschinis loco[21]) apparet, etiam proximo i. e. vigesimo quinto Elaphebolionis die Demosthenem Proedrum fuisse; quod in contribules Proedros cadere potest, quorum προεδρία septenorum dierum erat, in illos, quos non-contribules diximus, cadere non potest, quoniam horum honor paucis unius diei horis definiebatur[22]).

---

21) Adv. Ctesiphont. p. 465.

22) Antiphontis quoque locum adscribam, qui hanc de Prytanibus, populum in suffragium mittentibus, sententiam confirmat. περὶ τοῦ χορ. p. 790. R. 146. 57. Steph. πρυτανεύσας τὴν πρώτην πρυτανείαν ἅπασαν, πλὴν δυοῖν ἡμέραιν, καὶ ἱεροποιῶν καὶ θύων ὑπὲρ τῆς πόλεως καὶ ἐπιψηφίζων καὶ λέγων γνώμας περὶ τῶν μεγίστων καὶ πλείστου ἀξίων τῇ πόλει φανερὸς ἦν. — Ceterum haud apposite a Luzacio ad hanc de Proedris sententiam probandam laudatur Aeschines, adv. Ctesiph. 584. 585. qui locus probat quidem, Proedros, qui populum in suffragium mitterent, fuisse Senatores; at ex eo non consequitur, quod vult Luzacius, eos etiam Prytanes fuisse. Nam quis unquam negavit, etiam novem Proedros non-contribules fuisse Senatores? Profecto neque Corsinius, neque Biagius, neque Grammatici.

Atque haec quidem sufficere possunt ad eam quam proposui, de Proedris contribulibus sententiam comprobandam; sed quo magis appareat falsam esse Corsinii opinionem, operae pretium me facturum esse spero, si argumentorum, quibus haec opinio nititur, capita summatim proposuerim et refutaverim. Sunt autem ista, praeter Grammaticorum testimonia, quae et obscuriora sunt, et contra ipsos illos veteres nihil valere possunt, haec fere. Primum apud Demosthenem in Psephismate[23]) haec leguntur: *Πρυτανεία φυλῆς Ἱπποθοωντίδος, Ἀριστοφῶν Κολυττεὺς Πρόεδρος εἶπεν.* Manifestum est, Aristophontem non fuisse e Prytanibus, sed Proedrum non-contribulem; Colyttenses enim non ad Hippothoontidem, sed ad Aegeidem tribum pertinent. Sed primum in hoc Psephismate non quid in comitiis, sed quid in Senatu actum sit, refertur: Senatui enim, id quod e proximo Mnesithei Psephismate patet, mandati erant a populo legati ad Philippum creandi, eoque mandato functum esse Senatum, hoc Psephisma testatur; deinde, quid significent ista verba, quae in fine leguntur, non, ut alias semper, in principio: *Ἀριστοφῶν Κολυττεὺς Πρόεδρος εἶπεν*, paullo est obscurius, quam ut pro argumento illis uti liceat. Quid enim? retuleritne ad Senatum Aristophon, ut crearent ex populi mandato legatos, et rogarit, quos creari placeret? Verum relationem a Prytanibus et strategis factam esse, ipsa Psephismatis verba docent: *Πρυτάνεις καὶ Στρατηγοὶ ἐχρημάτισαν, τὰ ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἀνενεγκόντες.* Fortassis autem moris fuit, ut ejusmodi, quale hoc est, Psephismata, quae non leges erant vel Senatus consulta, sed actorum commentarii, quae Protocolla hodie vulgo vo-

23) De Coron. p. 250.

cant, subscriberentur Proedrorum non-contribulium, vel eorum Epistatae nomine, fuitque hoc hujus Epistatae officium, ut tales commentarios conficiendos curaret et scribae dictaret. Hanc conjecturam non absurdam, spero, judicabunt, qui intellexerint, de relatione, ab Aristophonte facta, cogitari non posse. Illud certum est, hoc Psephismate nihil contra Thucydidem, Platonem, Xenophontem aliosque plures, probari posse[24]).

Deinde in Psephismate apud Gruterum, p. 405: *Δέδοχθαι τῇ βουλῇ τοὺς λαχόντας Προέδρους εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν χρηματίσαι περὶ τούτων, γνώμην δὲ συμβάλλεσθαι τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον κ. τ. λ.* perspicua verborum serie evinci putat Corsinius, Proedros illos, quibus mandatur res ad populum ferenda, creandos fuisse ad proximae ecclesiae tempus. Quod ego contra existimo. Nam eodem modo loquitur etiam Ae-

---

24) Alia ratio Luzacio placuit, l. l. §. 5. Putat enim, ex Demi nomine, proprio alicujus civis nomini addito, non necessario consequi, civem illum ex illa tribu fuisse, ad quam Demus iste pertineat: potuisse enim fieri, ut, qui a patre in Phratoricas tabulas inscriptus esset, hujus vel illius Demi nomine adjecto, cui scil. pater ipse accenseretur, postea autem, mutato forsitan domicilio, in alium Demum alius Tribus transiisset, nihilo tamen minus vulgo ex illo Demo appellaretur, cui antea adscriptus fuisset, verbi causa, ut Colyttensis, tribus Aegeidis, vulgo appellaretur, qui re vera non jam ad illum Demum illamque tribum, sed ad aliquem Hippothoontidis Demum pertineret. Quam rationem equidem probare non possum. Primum enim verum puto, quod Taylorus vult, Lection. Lysiac. p. 252. non ejus quemque tribus et Demi censeri, in qua habitet, sed ejus, cujus ab origine gens et familia accensita sit; dein, ut verum sit, quod Luzacius putat, mutato domicilio Demum quoque mutari, in publicis tamen certe tabulis, quales sunt Psephismata, non ex vulgi consuetudine, sed legitime et vere appellandi sunt homines.

schines: *ἐκκλησία γίνεται ἐν ᾗ Δημοσθένης λαγχάνει προεδρεύειν.* Atque Demosthenem illo tempore unum e Prytanibus fuisse probavimus, quorum *προεδρίαι* septenorum erant dierum. Et quidni ita de illis dici posset, quos et ipsos sortitos constat, sorte illis evenisse, ut illis comitiis praesiderent, quae in eorum *προεδρίας* tempus inciderent?

Sed apud Demosthenem [25]) distingui et disjungi videntur a Prytanibus Proedri: *Φέρε γὰρ πρὸς Διὸς, ἔστιν ὅστις ἂν ἢ Πρόεδρός ποτ᾽ ἐπεψήφισεν, ἢ Πρύτανις, τούτων τι τῶν ἐν τῷ νόμῳ γεγραμμένων*; Sed si Proedrum hoc loco pro Epistata dictum accipias, quemadmodum saepissime dici solet, Prytanes autem illius collegas, intelligas, jam nulla erit loci difficultas. Nam proprium est Epistatae officium, ut populum in suffragium ire jubeat, neque tamen absque collegarum consensu et voluntate, quorum intercessione res etiam impediri potest. Additur autem Prytanum mentio, cum Proedrum nominari satis fuisset, haud infrequenti oratorum consuetudine, qui ejusmodi redundantia gravitatem orationi conciliant. Corsinii sententia si vera esset, omnino memorari non potuissent Prytanes, cum *τὸ ἐπιψηφίζειν* ad solos Proedros non-contribules pertineret [26]).

---

25) Adv. Timocrat. p. 749.

26) Aeschinis locum, advs. Ctesiphont. p. 450. R. quem attulit Corsinius, consulto praetermitto, quoniam is in utramque partem accipi potest. De loco Demosth. adv. Timocr. p. 707. R. quae dicenda erant, praecepit jam Luzacius, §. 6. p. 101. Illa etiam ap. Demosthenem, adv. Androt. p. 594. *ταῦτ᾽ ἐπήρετο ὁ Ἐπιστάτης, διεχειροτόνησεν ὁ δῆμος,* et p. 596. *οἱ προεδρεύοντες τῆς βουλῆς καὶ ὁ ταῦτ᾽ ἐπιψηφίζων Ἐπιστάτης* non minus quam Aeschinis locus utrique sententiae convenire possunt. Quod autem Harpocration s. v. *Πρόεδροι* haec de Proedris non-contribulibus intellexisse videtur, movere neminem

At afferuntur Psephismata quaedam, quae hanc Corsinii sententiam manifesto comprobant, nostrae repugnant. Primum enim in Psephismate apud Josephum Proedrus, qui populum in suffragium misit, nominatur *Δωρόθεος Ἐρχιεύς*, (ita enim recte vulgatam scripturam *Ἀρχιερεύς* emendavit Corsinius) tribus Aegeidis; Proedriam autem fuisse Leontidis tribus ex eo conjecit Corsinius, quod Scriba, cujus nomen, ex more, Psephismati praescriptum est, appellatur *Εὐκλῆς Μενάνδρου Ἁλιμούσιος*, tribus Leontidis. Itaque Dorotheus ille Prytanis esse non potuit. Quodsi quis aut auctoritatem istis apud Iosephum Psephismatis tribuendam esse, aut e Scribae Demo satis certam de tribu *πρυτανευούσῃ* conjecturam capi posse neget, en alterum ejusdemmodi exemplum affertur e Diogene Laertio in Vita Zenonis. In Psephismate enim, quod in Zenonis honorem ab Atheniensibus latum esse refert, haec est praescriptio: *Ἐπὶ τῆς Ἀκαμαντίδος, πέμπτης Πρυτανείας — — — τῶν Προέδρων ἐπεψήφισεν Ἵππων Κρατιστοτελης* (scr. *Κρατιστοτέλους*) *Ξυπεταίων καὶ οἱ συμπρόεδροι.* Sunt autem Xypetaei tribus Cecropidis, non Acamantidis, quae eo tempore Prytania fungebatur. Sed cum hoc quoque Psephisma in dubium vocatum sit a Bruckero, quamquam rationibus haud satis firmis, tertium ipse afferam, e Fourmontii schedis a Boeckhio mecum humanissime communicatum, cujus principium jam supra, cap. 2. adscripsi. *Ἐπὶ τῆς Λεοντίδος - - - τῶν Προέδρων ἐπεψήφισεν Ἐρ - - θε - ης* (fors. *Ἐρατοσθένης*) *Εὐθυκλεοῦς Προβαλίσιος.* Probalinthus autem Demus est tribus Pan-

poterit, nisi qui Harpocrationis auctoritatem majoris faciat, quam Thucydidis, Antiphontis, Platonis et Xenophontis ipsiusque Demosthenis, quorum omnium loci a nobis ad nostram sententiam confirmandam adscripti sunt.

dionidis. Quartum quoque afferre possum e Corsinii Inscriptionibus Atticis, p. XXXVII. ab eodem viro doctissimo mihi communicatum, SenatusConsultum quidem, sed tamen non alienum fortasse ab hoc loco, quoniam, qui in Senatu ἐπιψηφίζει, hunc in Comitiis quoque eodem munere fungi, consentaneum est.

ΕΠΙ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΤΟΥΜΕΤΑ
ΠΑΡΑΜΟΝΟΝ ΕΠΙΤΗΣ ΑΙΑΝΤΙΔΟΣ Ε
ΒΔΟΜΗΣ ΠΡΥΤΑΝΕΙΑΣ ΠΛΑΜΙΟΣ ΤΙΜΟΥ
ΧΟΥ ΡΑΜΝΟΥΣΙΟΣ ΕΓΡΑΜΜΑΤΕΥΕΕΝ ΓΑ
ΜΗΛΙΩΝΟΣΟΓΔΟΗΙΣ ΤΑΜΕΝΟΥ ΟΓΔΟΗ ΤΗΣ
ΠΡΥΤΑΝΕΙΑΣ ΒΟΥΛΗΕΝ ΒΟΥΛΕΥ
ΤΗΡΙΩ ΤΩΝ ΠΡΟΕΔΡΩΝ ΕΠΕΨΗΦΙΣΕΝ
ΣΤΡΑΤΟΦΩΝ ΣΤΡΑΤΟΚΛΕΟΥΣ ΣΟΥΝΙ
ΕΥΣ ΚΑΙ ΟΙ ΣΥΝΠΡΟΕΔΡΟΙ.

Hic quoque Proedrus, Suniensis, tribus Leontidis, diversus est a Prytanibus, qui sunt e tribu Aeantide. Atque plura sine dubio exempla afferri poterunt ab iis, quibus plures Inscriptiones consulere licet. Equidem ne Gruterum quidem habeo. Sed quid faciendum erit his Proedris? Cum ab Antiphontis, Thucydidis omniumque illorum veterum, quos citavi, auctoritate recedere non possimus, neque tamen Psephismatum illorum consensum contemnere liceat, nihil aliud profecto restare videtur, nisi ut statuamus, novatum esse posteris temporibus in Proedrorum officiis, ac novem non-contribulibus attributa quaedam ex iis, quae olim ad decem contribules, sive Prytanes pertinuisse constat. Et sane omnia illa Psephismata post Olympiadem CXVIII, duodecim tribuum aetate scripta sunt, neque de his temporibus, quorum instituta aequalium scriptorum testimoniis illustranda sunt, quidquam ex illis conjici potest.

Sed jam Proedris istis non-contribulibus ab illo τοῦ χρηματίζειν καὶ ἐπιψηφίζειν munere exclusis, reliquum est, ut quaeramus, quem in usum isti

creati, quove officio in comitiis functi esse videantur. Quae quidem quaestio perobscura est, propter veterum omnium silentium, neque aliter a me tractari poterit, nisi ita, ut refutata Luzacii sententia, meam qualemcunque conjecturam proponam. Ultra conjecturas enim hac in parte progredi non licet; certis atque disertis testimoniis plane destituimur. — Luzacius itaque, postquam commemoravit, accidisse saepissime, ut discederetur a vetere illa et prudentissima lege, quae vetaret ullum ψήφισμα ἀπροβούλευτον, Senatu non consulto, i. e. sine Senatus auctoritate ad populum ferri, eoque factum esse, ut in ejusmodi rebus nulla esse possent Senatorum in comitiis partes, nulla auctoritas; necesse fuisse putat, ut ejusmodi Comitiis praeessent alii quam Prytanes aut Proedri e Prytanibus ducti. „Quin in universum," inquit, „quia accidere poterat, ut Senatus judicium vel auctoritas cum voluntate aut ardore populi conflictaretur ac velut collideretur, hinc factum videtur, ut, invalescente magis magisque Democratia, si minus populi licentia, hic sibi suaeque dignitati consultum voluerit, lectis Epistata et Proedris, qui sua jura suave placita tuerentur, si quando a Prytanibus et Senatu Concio dissideret." — In promtu sunt, quae reponam. Primum, cum verissimum sit, persaepe leges ab oratoribus ad populum latas esse, etiam si nullum de eadem re antea factum esset Senatusconsultum, tamen hoc unquam per leges licuisse nego, negabitque mecum, quisquis vel unam Demosthenis adversus Androtionem orationem accurate perlegerit. Maxima enim hujus orationis pars in eo versatur, ut ostendat, deliquisse Androtionem, qui ψήφισμα ἀπροβούλευτον ad populum tulisset, quamquam de re levissima et in qua vix requiri potuisse Senatus auctori-

tas videretur. Tamen id exempli causa puniendum ait orator: *ἂν σὺ νῦν δίκην δῷς, ἄλλος οὐ γράψει.* — Atqui, si id per leges nunquam licuit, qui tandem poterant in istum casum, quem leges, ne unquam incideret, cavere voluerant, constituti esse Proedri isti non-contribules, qui, si quando Psephisma aliquod ad populum latum esset absque Senatorum auctoritate, in quo hi neque possent munere suo fungi, neque vellent, in Prytanum locum succederent, eorumque vicibus fungerentur? Nisi vero hi ipsi Proedri per seditionem semper a Prytanibus invitis et coactis creabantur: quod nemini sano in mentem venire potest. Dein, quod caput est, omnis Luzacii sententia ea opinione nititur, novem Proedros non-contribules e populo fuisse, non e Senatu. Quae opinio falsissima est, et cum Grammaticorum traditis pugnat. Hi enim illos non solum in Comitiis sed etiam in Senatu muneribus functos esse dicunt: *Ἐπειδὰν δὲ*, Suidas inquit, *οἱ Πρυτάνεις συναγάγωσι τὴν βουλὴν ἢ τὸν δῆμον, ὁ Ἐπιστάτης κληροῖ Προέδρους ἐννέα ἀπὸ φυλῆς ἑκάστης ἕνα, πλὴν τῆς πρυτανευούσης.* Ergone Senatui praesidebant, pro sua saltem parte, homines qui ipsi Senatores non essent? Mirum sane et sine exemplo institutum, cujus causam probabilem vix quisquam ullam excogitare possit. At quis, qui Suidae locum legerit, de aliis tribubus quam illis cogitabit, quae in Senatu sunt? Nam cum tribui *πρυτανευούσῃ*, quae sane Senatorum est, illas non *πρυτανευούσας* opponeret, addere sane debuit aliquid, si non has quoque Senatorum tribus intelligi voluisset. Itaque neque Corsinius neque Biagius neque quisquam praeter Luzacium, Proedros *non-contribules*, Senatores fuisse negarunt. — Sed Luzacius, cum videret, puto, absurdum esse, in Senatu Proedros

eos facere, quos Senatores esse negarat, illud quoque sibi negandum putavit, ullas in Senatu partes fuisse novem his Proedris non-contribulibus; atque hanc ob causam, cum a Polluce et Suida tradatur, creatos illos esse, quoties Senatus *aut* Comitia essent, id quod Luzacii sententiam evertit, pro disjunctiva particula copulativam utrique substituit, ut legatur, non: *Ἐπειδὰν οἱ Πρυτάνεις συναγάγωσι τὴν βουλὴν ἢ τὸν δῆμον*, sed: *τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον*: ut tunc demum, inquit, ista Novem-virorum sortitio locum habuerit, quando Senatus *eodemque tempore Populus*, relationis faciendae gratia, convocabatur. Eadem de causa apud Harpocrationem maluit rescribere: *Πρόεδροι ἐκληροῦντο ὑπὸ τῶν Πρυτανέων καθ᾽ ἑκάστην ἐκκλησίαν* (pro vulg. *καθ᾽ ἑκάστην Πρυτανείαν*) quam Corsinium sequi, cujus emendatio supra a nobis commemorata est. De Suida et Polluce probare Luzacii correctionem non possum, quoniam in Senatu quoque Proedros non-contribules locum habuisse, et ex illo apud Demosthenem Psephismate, de Coron. p. 250, et ex illo altero e Corsinii Inscriptt. Att., paullo ante adscripto, satis patet; de Harpocratione non repugno, tum, quia in sequentibus quoque comitia tantum memorat, Proedrosque esse ait, *οἵτινες τὰ περὶ τὴν ἐκκλησίαν διῴκουν*, tum, propter simillimum locum Lexici Rhetorici, Luzacii tempore inediti, nunc a Bekkero publicati[27]), quo loco ille quoque usus est: *οἱ περὶ τὰς ἐκκλησίας Ἀθήνησι διοικοῦντες, Πρόεδροι ἐκαλοῦντο· κληρούμενοι ὑπὸ τῶν Πρυτανέων καθ᾽ ἑκάστην ἐκκλησίαν ἐξ ἑκάστης φυλῆς κ. τ. λ.* Uterque de Proedrorum in Senatu officiis tacet, errore an negligen-

---

27) Anecdot. Tom. I. p. 290.

tia. Nam veriora a Polluce et Suida tradi, duo illa Psephismata satis probare existimo.

Addita quaedam sunt a Luzacio de judiciis populi, in quibus praecipue Proedris istis non-contribulibus locum fuisse putat; sed de hac hujus Disquisitionis parte, quae et ipsa habet, quae reprehendi oporteat, commodius infra disputabimus. Nunc illud unum monere sufficiat: si memineris, haud raro a Grammaticis ecclesiam cum judicio permutari, atque populum in comitio congregatum pro judicum consessu haberi, cujus rei rationem causamque supra, cap. 4, exponere conatus sum, statim apparebit, in isto Suidae loco, qui a Luzacio affertur, nihil inesse, quod ad *εἰσαγγελίαν* proprie dictam, referendum esse videatur. Immo *δίκη* ibi dicitur pro quovis negotio quod ad populum fertur; quia, ut dixi, postremis Atticae reipublicae temporibus, pleraque ex iis quorum arbitrium penes populum erat, negotia erant judiciaria; atque *δικασταί* proinde apud Suidam non alii sunt quam *ἐκκλησιασταί*.

Jam mea ipsius de his Proedris non-contribulibus sententia breviter est exponenda, non disertis illa quidem veterum scriptorum auctoritatibus confirmata, tamen, ut spero, satis per se probabilis, reique ipsi ac rationi consentanea; id quod in rebus tam obscuris sufficere debet. — Prytanes igitur, horumque Proedri et Epistata, unius omnes et ejusdem erant tribus. Hi, dum in Prytaneatu erant, universi Senatus personam gerebant; quidquid a Senatu vel populo agendum erat, primum ad hos, deinde ab his ad Senatum, per hos denique a Senatu ad populum ferebatur. Hi Senatus consessus populique comitia convocabant et moderabantur. Sed quo ampliores gravioresque in Republica partes iis com-

missae erant, eo magis metuendum cavendumque erat, ne quando hac tanta potestate male uterentur. Ipsi, tribules, nonnulli etiam δημόται, noti inter se, multisque necessitudinibus conjuncti, per XXXV dierum spatium reliquarum tribuum Senatoribus praepositi totiusque Reipublicae principes, si quando suas suaeque tribus rationes atque commoda a reliquarum tribuum commodis dissidere viderent, conspirare facillime poterant, atque obliti, se non unius tribus sed universae civitatis membra esse, magis quod sibi suisque, quam quod omnibus conduceret, sequi. Adhoc falli poterant ab improbis, corrumpi ab opulentis, terreri a factiosis, eo facilius, quod pauciores erant et omnibus noti. Quamobrem, ut ne quando Reipublicae commoda, illorum fidei commissa, negligerentur aut proderentur, optimum factum videri debuit, reliquas quoque tribus a summa rerum administratione non prorsus prohiberi atque excludi, eamque ob causam, quoties in Senatu aut comitiis publica negotia tractanda erant, ex iis quoque tribubus, quarum non erat Prytania, creabantur singuli viri, qui adessent Prytanibus, et si quid ab iis fieri viderent, quod bono publico legibusve contrarium esset, intercederent atque vetarent, si quid ipsis probaretur, consentirent, eumque consensum tribuum suarum nomine testarentur. Sorte autem capiebantur et ad brevissimum tempus, quo minor esset fallendi eos aut corrumpendi facultas, quippe cum ante illum ipsum diem, quo munus suum susciperent, quinam futuri essent, nesciretur. — Sed hi quoniam omnibus Prytanum actionibus in Senatu comitiisque aderant atque intererant, paullatim factum esse videtur, ut promiscue cum Prytanibus officiis quibusdam fungerentur, quae antiquitus illorum propria fuerant; quo id quoque perti-

net, quod supra vidimus, posteris temporibus suffragia Senatui et populo data esse ab his Proedris non-contribulibus.

Sed ab utrisque Proedris distinguendam puto illam tribum, quae ab Aeschine atque Demosthene dicitur ἡ προεδρεύουσα φυλή, quamquam Luzacius eandem hanc putat atque τὴν πρυτανεύουσαν [28]). Non meminerat, opinor, quod ab Aeschine traditur, propter Timarchi illius, cujus infamiam luculenta Aeschinis oratio ad omnis posteritatis memoriam propagavit, petulantiam atque immodestiam, cum non dubitasset, in ipsis comitiis, adspiciente populo, cum adversario pugnis contendere, legem latam esse, ut in singulis comitiis, una tribus sorte caperetur, quae praesideret in suggestu atque ejusmodi perditorum hominum petulantiam et furorem coerceret. *Προσέθεσθε*, inquit, *καινὸν νόμον μετὰ τὸ καλὸν παγκράτιον, ὅ οὗτος ἐπαγκρατίασεν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. ὑπεραισχυνθέντες γὰρ ἐπὶ τῷ πράγματι, καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν, νόμον ἐθήκατε καινὸν, ἀποκληροῦν φυλὴν ἐπὶ τὸ βῆμα, ἥτις προεδρεύσει* [29]). Recens igitur illo tempore erat hoc institutum; neque memoratur a quoquam

28) L. l. §. 6. p. 101.

29) Aeschin. adv. Timarch. p. 57. R. Taylorus haec adnotat: „Lege itaque, ut videtur, cautum erat, ut ad immodestiam oratorum compescendam, suggestum ascenderent, eo ordine servato, quem tribus in προεδρίᾳ servarent.“ Haec me non intelligere fateor. Nam quis est iste ordo, quem tribus in προεδρίᾳ servabant; et ubi illum servabant? In Comitiis? hoc docendum erat; sed doceri nunquam poterit. Erat sane certus quidam tribuum ordo, sed is ad militiam tantum pertinebat, neque *ordo in* προεδρίᾳ dici potest. Praeterea in Aeschinis verbis certus ordo, quem servarent, qui in suggestu praesiderent, plane nullus memoratur; sed Taylorus ita interpretatur, quasi diceret orator: ἥτις ἂν προεδρεύσῃ *ut ea tribus in suggestu consideret, cujus eo tempore* προεδρία *esset.* Sed hoc nihili est.

alio, praeterquam iterum ab Aeschine adv. Ctesiphont[30]): τῆς τῶν ῥητόρων ἀκοσμίας οὐκ ἔτι κρατεῖν δύνανται οὔθ' οἱ νόμοι οὔθ' οἱ Πρυτάνεις, οὔθ' οἱ Πρόεδροι, οὔθ' ἡ προεδρεύουσα φυλὴ, τὸ δέκατον μέρος τῆς πόλεως. et a Demosthene, in prima adversus Aristogitonem, si tamen verus hujus orationis auctor Demosthenes habendus est: οὐ Πρύτανις, οὐ Κῆρυξ, οὐκ Ἐπιστάτης, οὐχ ἡ προεδρεύουσα φυλὴ τούτου κρατεῖν δύναται. Ceterum, fuerinte illi praesides e Senatu, nec ne, ex his locis non patet. Tamen, cum apud Aeschinem, qui hujus instituti originem refert, prorsus nulla sit Senatus mentio, illud verius puto, fuisse aliquos, non Senatores, ex ea tribu, cujus sors evenisset, certo numero delectos ac delegatos, qui in gradibus suggestus, qui pro subselliis erant, praesiderent. In iisdem gradibus locus erat etiam Prytanibus, et, ni fallor, Proedris quoque novem non-contribulibus; ideoque, qui proxime suggestum considebant, Prytanibus e regione erant, quod patet ex Aristophanis versu[32]):

δεῖ σε καταλαβεῖν ἕδρας
ὑπὸ τῷ λίθῳ, τῶν Πρυτανέων καταντικρύ.

---

30) p. 587.

31) or. I. in Aristogit. p. 797. Ceterum vix operae pretium est, Aeschinis scholiasten laudare, qui negat, quod ab illo adfirmatur, propter Timarchum illam legem latam esse: ad or. adv. Timarch. l. l. p. 727. R. ψεύδεται, inquit, οὐ γὰρ διὰ Τίμαρχον· παλαιότερος γὰρ ἦν. sc. ὁ νόμος. Quis talem Graeculum audiat Aeschini obloquentem. Videtur autem in eodem, quo Luzacius, errore versatus esse, ut hanc φυλὴν προεδρεύουσαν confunderet cum πρυτανευούσῃ. — Ceterum παρανόμων accusatum esse legis auctorem a Timarcho ait Aeschines, p. 59. tamen in judicio lex probata esse videtur, propter φυλῆς προεδρ. mentionem in orr. adv. Ctesiph. et adv. Aristogiton. quarum utraque aliquot post Timarcheam annis habita est.

32) Aristoph. Eccles. v. 86.

Prytanibus igitur ac Proedris assidebant hi praesides, eosque adjuvabant et parte officiorum levabant; nam illis quoque ea cura demandata erat, ut viderent, ne quis in comitiis immodeste, turbulenter et petulanter se gereret, neque bonum ordinem, *τὴν εὐκοσμίαν*, laederet et perturbaret. Itaque a Demosthene[33]) conjunguntur *οἱ πρόεδροι, τὸ πρόγραμμα, ἡ εὐκοσμία*, (nam illud quoque ad *εὐκοσμίαν* pertinebat, ne quis de alia re, quam quae in programmate proposita esset, verba ad populum faceret), et apud Aristophanem in Acharnensibus molestum quendam clamatorem amoveri jubent Prytanes; apud eundem in eadem fabula Dicaeopolis, ab Odomantis, ad populum productis, vexatus et spoliatus, Prytanum auxilium implorat:

ταυτὶ περιείδεθ' οἱ Πρυτάνεις πάσχοντά με
ἐν τῇ πατρίδι, καὶ ταῦθ' ὑπ' ἀνδρῶν βαρβάρων[34]);

Sed ministris illi hac in re utebantur praecone et Scythis sagittariis, de quibus supra dictum est. Atque praeconem quidem una cum Prytanibus atque Epistata nominat Demosthenes[35]); et apud Aristophanem Dicaeopoli silentium imperatur per praeconem[36]); per eundem Scythae Amphitheum abducere jubentur[37]); Scytharum autem mentio est etiam in Ecclesiazusis:

καὶ τὸν παροινοῦντ' ἐκφέρουσ' οἱ τοξόται.

et non multo post[38]):

ἐκεῖνο μόνον ἄσκεπτον, ἤν σε τοξόται
ἕλκωσιν, ὅ, τι δράσεις ποτέ;

---

33) or. 1. in Aristogit. p. 772.

34) Acharn. v. 56. ib. v. 167.

35) L. l. p. 797.

36) Acharn. v. 59. 64. 124.

37) ib. v. 54.

38) Eccles. v. 143. et 258. cf. etiam Platon. Protag. p. 319. c.

CAPUT VIII.

De ritubus Comitiorum initio peractis.

Congregato populo, postquam advenerant Prytanes et Proedri, lustrabatur comitium. Mos enim erat, ut ait Harpocration, comitia et theatra et omnino omnes populi conventus lustrare[1]); sicut apud Romanos quoque maximum comitiatum alio, quam auspicato loco haberi nefas erat, quamquam diversissima erat Atticarum lustrationum et Romanorum auspiciorum ratio. Neque enim de coelo servabatur apud Athenienses, neque omnino augurum ullum erat in comitiis officium. Lustrationis autem sacrum peragebatur a sacerdote quodam, qui dicebatur Peristiarchus, *παρὰ τὰ περίστια*, quo nomine ipsa sacrificia vel hostiae potius lustrales appellabantur, et *παρὰ τὸ ἄρχειν*, quoniam circumlatis hostiis praeibat[3]). Sed hostiae, quae et his et aliis lustrationibus adhiberi solebant[4]), porcelli erant parvuli, *χοιρίδια μικρά*, quibus miram quandam lustrandi et expiandi vim inesse putabant. Hi per comitium circumfe-

1) s. v. *καθάρσιον.* *Ἔθος ἦν Ἀθήνησι καθαίρειν τὴν ἐκκλησίαν καὶ τὰ θέατρα, καὶ ὅλως τὰς τοῦ δήμου συνόδους. κ. τ. λ.* Hunc Suidas exscripsit s. v.

2) *Ἴστρος δὲ ἐν τοῖς Ἀττικοῖς, περίστιά, φησι, προσαγορεύεται τὰ καθάρσια.* Suid. s. v. *περιστίαρχος.* Neque obscura est hujus nominis derivatio, a *περὶ* et *ἑστία*: itaque proprie designat, quae circum focum, lustrandi causa, feruntur; dein omnes lustrales hostias. Ita Suidas, l. l. paullo ante: *περιστίαρχος, ὁ περικαθαίρων τὴν ἑστίαν καὶ τὴν ἐκκλησίαν καὶ τὴν πόλιν· ἀπὸ τῆς ἑστίας*, sed quod addit, *ἢ τοῦ περιστείχειν*, nihil est.

3) *ὁ τῶν καθαρσίων προηγουμένος ἐν ταῖς ἐκκλησίαις.* Schol. ad Aristoph. Eccl. v. 128. et Suid.

4) v. Kühn. et Iungermann. ad Polluc. VIII. 104.

rebantur, praeeunte Peristiarcho, eorumque sanguine adspergebantur subsellia; deinde in mare abjiciebantur[5]). Ceterum vix necesse est, monere, risus tantum excitandi causa ab Aristophane in facetissima illa muliercularum ecclesia pro porcello mustelam dici:

Ὁ περιστίαρχος, περιφέρειν χρὴ τὴν γαλῆν[6]).

Post Peristiarchum praeco procedebat cum acerra, suffimenta adolens, quod et ipsum ad lustrationem pertinet[7]); deinde solennem precationis formulam pronuntiabat[8]), Deos Deasque omnes implorans, ut bonum felix faustumque Atticae reipublicae civibusque omnibus evenire juberent, quod a populo decretum foret, eosque omnes omnemque eorum domum male perderent, qui hostili in rempublicam animo essent, qui tyrannidem affectarent, qui cum Medis conspirassent in Atheniensium perniciem, qui pecunia corrupti scientes dolo malo populum fallerent et in fraudem inducerent. Harum precum multis locis mentionem faciunt oratores, Aeschines, Demosthenes atque Dinarchus[9]). Aristophanes au-

5) Schol. ad Aristoph. Acharn. v. 44. et Schol. ad Aeschin. adv. Timarch. p. 48.

6) Eccles. v. 128.

7) Schol. ad Aeschin. adv. Timarch. l. l.

8) Verba praeeunte scriba Senatus. Demosth. de fals. leg. p. 363.

9) Aeschin. adv. Timarch. p. 48. Demosth. de Coron. p. 319. de fals. leg. p. 363. adv. Aristocrat. p. 653. Dinarch. adv. Aristogit. p. 84. R. (106. 37. Steph.) ib. 85. R. (107. 8. Steph.) adv. Demosthen. p. 55. R. (96. 12. Steph.). Sed exsecrationem eorum, qui Medorum partes amplexi essent, ab Aristide, post pugnam Salaminiam, institutam esse docet Plutarchus in ejus vita, cap. 10. *Ἔτι δ᾽ ἀρὰς θέσθαι τοὺς ἱερεῖς ἔγραψεν, εἴ τις ἐπικηρυκεύσαιτο Μήδοις, ἢ τὴν συμμαχίαν ἀπολίποι τῶν Ἑλλήνων.*

tem in Thesmophoriazusis muliebrem praeconem ea facit precantem, quibus si demseris, quae de muliebribus rebus et de Euripide dicuntur, summam habebis eorum, quae in veris comitiis a praecone pronuntiari solebant:

Εὐφημί᾽ ἔστω
εὐφημί᾽ ἔστω. 10)
εὔχεσθε ταῖν Θεσμοφόροιν
τῇ Δήμητρι καὶ τῇ Κόρῃ,
καὶ τῷ Πλούτῳ καὶ τῇ Καλλιγενείᾳ,
καὶ τῇ Κουροτρόφῳ, τῇ Γῇ,
καὶ τῷ Ἑρμῇ, καὶ Χάρισιν,
ἐκκλησίαν τήνδε καὶ σύνοδον τὴν νῦν
κάλλιστα κἄριστα ποιῆσαι·
πολυωφελῶς μὲν πόλει τῇ Ἀθηναίων,
τυχηρῶς δ᾽ ἡμῖν αὐταῖς,
καὶ τὴν δρῶσαν, τήν τ᾽ ἀγορεύουσαν
τὰ βέλτιστα περὶ τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων,
καὶ τὸν τῶν γυναικῶν,
ταύτην νικᾶν. — — —
εὔχεσθε τοῖς θεοῖσι τοῖς Ὀλυμπίοις,
καὶ ταῖς Ὀλυμπίαισι, καὶ τοῖς Πυθίοις,
καὶ ταῖσι Πυθίαισι, καὶ τοῖς Δηλίοις
καὶ ταῖσι Δηλίαισι, τοῖς τ᾽ ἄλλοις θεοῖς·
εἴ τις ἐπιβουλεύει τι τῷ δήμῳ κακὸν,
τῷ τῶν γυναικῶν, ἢ ἐπικηρυκεύεται
Εὐριπίδῃ, Μήδοις τ᾽ ἐπὶ βλάβῃ τινὶ
τῇ τῶν γυναικῶν, ἢ τυραννεῖν ἐπινοεῖ,
ἢ τὸν τύραννον συγκατάγειν, ἢ παιδίον
ὑποβαλλομένης κατεῖπέ τις, ἢ δούλη τινὸς
προαγωγὸς οὖσ᾽ ἐνεθρύλλισεν τῷ δεσπότῃ,
ἢ πεμπομένη τις ἀγγελίας ψευδεῖς φέρει,
ἢ μοιχὸς εἴ τις ἐξαπατᾷ, ψευδῆ λέγων,
καὶ μὴ δίδωσιν, ἃ ἂν ὑπόσχηταί ποτε,
ἢ δῶρά τις δίδωσι μοιχῷ γραῦς γυνὴ,
ἢ καὶ δέχεται προδιδοῦσ᾽ ἑταίρα τὸν φίλον·

---

10) Dinarch. adv. Aristogit. p. 106. 37. *ὁ μὲν νόμος εὐξάμενον κελεύει τὸν κήρυκα μετ᾽ εὐφημίας πολλῆς, οὕτως ὑμῖν τὸ βουλεύεσθαι περὶ τῶν πραγμάτων παραδιδόναι.*

κεἴ τις κάπηλος ἢ καπηλὶς, τοῦ χοὸς
ἢ τῶν κοτυλῶν τὸ νόμισμα διαλυμαίνεται,
κακῶς ἀπολέσθαι τοῦτον αὐτὸν κοἰκίαν,
ἀρᾶσθε· ταῖς δ' ἄλλαισιν ὑμῖν τοὺς θεοὺς
εὔχεσθε πάσαις πολλὰ δοῦναι κἀγαθά.

In his si, ut dixi, immutaveris quaedam aut demseris, veluti in principio, v. 297 — 301, illam Cereris et Proserpinae ceterorumque, qui ibi nominantur, Deorum invocationem, quae ad Thesmophoriorum festum, cujus tertio die hoc mulierum concilium haberi fingitur, magis quam ad populi Attici comitiatus pertinet, dein omnem Euripidis, muliebriumque rerum mentionem, porro v. 340. substitueris e v. 363: *εἴ τις τἀπόῤῥητα τοῖς ἐχθροῖς λέγοι*, v. 342. *εἴ τις ἐκ πρεσβείας ψευδῆ ἀπαγγέλλει*[11]), v. 343. sq. *εἴ τις ἢ τὴν βουλὴν ἢ τὸν δῆμον ἢ τὴν Ἡλιαίαν ἐξαπατᾷ*[12]), v. 345, 6. *εἴ τις δῶρα δίδωσιν ἢ λαμβάνει κατὰ τῆς πόλεως*[13]), v. 347. sqq. e v. 361. *εἴ τις ψηφίσματα ἢ νόμους ζητεῖ ἀντιμεθιστάναι*: his igitur in hunc fere modum immutatis, non dubito, quin verae praeconis in comitiis precationi simillima evadat haec comica.

Peractis autem his lustrationis precationisque sacris, tum demum ferebantur ad populum, de quibus deliberandum esset; atque, quae primum omnium proponuntur, ea *πρῶτον μετὰ τὰ ἱερά* proponi dicuntur, veluti apud Demosthenem[14]): *τοὺς προέδρους χρηματίζειν ἐπάναγκες πρῶτον μετὰ τὰ ἱερὰ περὶ τῶν νομοθετῶν*. Eadem formula etiam in aliarum civitatum monumentis reperitur, ut in Decreto

---

11) cf. Demosth. de f. l. p. 363.

12) Demosth. adv. Aristocrat. p. 653. cf. in Timoth. p. 1204.

13) Dinarch. in Demosth. p. 96. 12.

14) Adv. Timocr. p. 706.

Byzantinorum, apud Demosthenem de Corona[15]): δεδόχθαι τῷ δάμῳ τῷ Βυζαντίων καὶ Περινθίων, Ἀθηναίοις δόμεν — — πόθοδον ποτὶ τὰν βωλὰν καὶ τὸν δᾶμον πράτοις μετὰ τὰ ἱερά.

CAPUT IX.

De Senatus Consultis.

Referri ad populum nulla de re per leges licebat, nisi de qua Senatus consultum antea factum et populo propositum esset; eratque hoc praecipuum Senatus officium, ut res omnes quasi praepararet comitiorum deliberationi[1]), neque ultra hoc auctoritatis suae populo proponendae jus ullam in plerisque rebus majoribus potestatem habebat. Nam quae negotia Xenophon ad illum pertinuisse memorat[2]), de bello et pace, de reditubus, de legum lationibus, de sociis, aliisque de rebus publicis consulere, navalium et sacrorum curam gerere; de his omnibus statui tamen et definiri nihil potuit nisi a populo, praeterquam si quid Senatus arbitrio a populo permissum esset[3]); de aliis rebus minori-

15) p. 255. 256.

1) v. Plutarch. Solon. c. 19.

2) De Rep. Ath. III. §. 2. τὴν βουλὴν βουλεύεσθαι (δεῖ) πολλὰ μὲν περὶ τοῦ πολέμου, πολλὰ δὲ περὶ πόρου χρημάτων, πολλὰ δὲ περὶ νόμων θέσεως, πολλὰ δὲ περὶ τῶν κατὰ πόλιν ἀεὶ γιγνομένων, πολλὰ δὲ καὶ τοῖς συμμάχοις, καὶ φόρον δέξασθαι, καὶ νεωρίων ἐπιμεληθῆναι καὶ ἱερῶν.

3) Ita e. c. Demosthenes, de fals. leg. p. 389. Senatui arbitrium factum narrat, statuendi de profectione legatorum. Apud eundem, de Coron. p. 249. exstat Psephisma, quo permittitur Senatui eligendorum legatorum potestas. Apud An-

bus, quarum administratio propria Senatui erat, ut de iis ad populum referri non necesse esset, ultra illum annum, quo perlata erant, Senatus consulta non valebant[4]).

Sed quae populo proponenda erant, proprie dicebantur *προβουλεύματα*; *προβουλεύειν* autem dicebatur Senatus, cum de rebus ad populum ferendis ante consultabat. Nam quod Luzacius putat[5]), ipsum Senatus consultum populo recitare, hoc fuisse *προβουλεύειν*, refutari potest vel uno Demosthenis loco, ex oratione de falsa legatione[6]), ubi ait: *ὑμῖν δὲ πρῶτον μὲν περὶ πάντων τὴν βουλὴν ἀκοῦσαι καὶ προβουλεῦσαι δεῖ· — εἶτ' ἐκκλησίαν ποιῆσαι κ. τ. λ.* ex quo apparet, illo *τοῦ προβουλεύειν* negotio Senatum ante perfunctum esse, quam comitia convocaret. — Sed omnis haec *προβουλευμάτων* ratio minus recte ac distincte a Grammaticis exponitur. Ita enim loquuntur, quasi necesse fuerit, ut quicunque aliquid ad populum ferre vellet quacunque de re, adiret antea Senatum, et legem suam probandam huic proponeret, eaque ipsa lex, a Senatu probata, *προβούλευμα* vocata sit, non licuerit autem, legem ad populum ferre, quae non eo modo ante in Senatu comprobata et *προβούλευμα* facta esset. Ita auctor Lexici Rhetorici[7]): *Προβούλευμα*, inquit, (f. l. *προβουλεύειν*) *τὸ τὴν βουλὴν τῶν πεντακοσίων πρότερον*

---

docidem quoque, de Myster. p. 5. 13. Steph. in inquisitione de Hermis mutilatis et dejectis *αὐτοκράτωρ* Senatus factus esse dicitur.

4) Demosth. adv. Aristocrat. p. 651. et Ulpian. ad. h. l. p. 417. Ben. cf. Petit. Legg. Att. p. 196. De Senatus muneribus cf. Boeckh. de Ath. Oecon. I. p. 165.

5) Disqu. de Epist. ac Proedr. §. 7. p. 103.

6) p. 399. cf. Aesch. de fals. leg. p. 238.

7) In Bekkeri Anecdott. I. p. 289.

κρίνειν τὸ ψήφισμα, εἰ καλῶς ἔχει, καὶ οὕτως εἰσφέρεσθαι εἰς τὸν δῆμον. καὶ τοῦτο καλεῖται προβούλευμα. Eodem modo in argumento primo orationis adversus Androtionem, legem fuisse dicitur: μὴ πρότερον εἰς τὸν δῆμον ψήφισμα ἐκφέρειν, πρὶν ἐν τῇ βουλῇ δοκιμασθείη: et in altero ejusdem orationis argumento: ἐπειδὴ γὰρ πολὺς ἦν ὁ δῆμος, καὶ πολλάκις παρεκρούετο, μὴ νοῶν, εἰ ἔχει ἐμφωλεύουσαν κακουργίαν, (τὰ ψηφίσματα sc.) πρῶτον παρεπέμπετο εἰς τὴν βουλὴν τῶν πεντακοσίων, καὶ αὕτη ἠρεύνα, εἰ ἔχει βλάβην τινὰ ἢ κακουργίαν. καὶ οὕτως εἰσήγετο εἰς τὸν δῆμον[8]). Id ego in quibusdam rebus verum esse puto, non in omnibus. Duplex enim genus rerum ad populum ferendarum statui debet: alterum earum, de quibus Senatum ipsum, sua sponte, ad populum referre oportet, veluti de bello, pace et foederibus: alterum autem earum, de quibus privatus quispiam, impetrata Senatus venia, ad populum refert, veluti de cive aliquo, coronae, statuae, προεδρίας honore ornando. In his aliisque ejusdem generis rebus verum est, quod Grammatici dicunt, legem populo proponi non potuisse, nisi a Senatu ante comprobatam et quasi in Senatus consulti formam redactam. Velut Ctesiphontis illa lex, de corona Demostheni publice donanda, Senatus consultum vocatur[9]); item Aristocrateum de Charidemo privilegium[10]). Ejusmodi igitur leges, cum a Senatu comprobatae essent, proponebantur comitiis; populus suffragium inibat, et aut antiquabat eas aut sciscebat. Sed in prioris generis rebus diversa est ratio. Non a privato aliquo lex Senatui comprobanda traditur, sed

8) p. 587. et 591.

9) Demosth. de coron. p. 266.

10) Demosth. adv. Aristocrat. p. 651.

Senatus ipse consultum suum et auctoritatem perscribit, populo proponit, rogat, an idem, quod Senatui, etiam populo placeat: si consentit populus, nulla amplius deliberatione opus est; sin Senatus auctoritati populus non acquiescit, sed ulterius deliberandum censet, tunc cuilibet et verba facere et legem proponere licet, quae quidem lex a Senatus consulto et auctoritate plerumque est diversissima. Ita, ut exemplis res illustretur, narrat Xenophon [11]), deliberatum esse Athenis in comitiis de foederis inter Athenienses Lacedaemoniosque legibus et de dividendo inter utrosque communium bellorum imperio. Censuerat Senatus, ut mari Athenienses, terra Lacedaemonii imperium haberent; id multis e populo placet; at surgit Cephisodotus, orationem habet, ut vicissim utrique et mari et terra imperent; persuadet populo; in ejus sententiam Psephisma perscribitur; Senatus consulti nulla ratio habetur. Aliud exemplum exstat apud Demosthenem [12]): Bello Euboico, quod contra Thebanos gesserunt Athenienses, censuerat Senatus, ut omnis equitatus, qui adhuc in urbe remanserat, obsessis ad Tamynas copiis auxilio mitteretur. Senatus consultum populo proponitur, oratores verba faciunt, non opus esse equitum auxilio; horum sententia populo probatur; omittitur expeditio, contra Senatus consultum. Itaque legem illam, quam Grammatici memorant, *ἀπροβούλευτον*, vel potius *ἄνευ προβουλεύματος* [13]) *μηδὲν ψήφισμα εἰσιέναι ἐν τῷ δήμῳ*, non id

11) Hellen. VII. 1. §. 2 — 14. Pertinet haec narratio ad Ol. 103. 1. — Aliud exemplum est ap. eundem I. 7. §. 9 et §. 37. ubi ab Euryptolemo proponitur sententia Senatusconsulto plane contraria.

12) Contra Midiam. p. 567. Res pertinet ad Olymp. 105.3.

13) Id enim cuivis perspicuum est. non ipsa legis verba

cavisse apparet, ne quod Psephisma in comitiis proponeretur, nisi in Senatu ante comprobatum esset, sed, ne ulla de re ad populum ferretur, de qua non Senatus consultum ante factum et in comitiis recitatum esset.

Recitabatur autem Senatus consultum statim post sacra peracta a praecone[14]); dein rogabatur a Proedris populus, videreturne Senatus consulto acquiescendum, an sibi ipsi quoque de rebus propositis ulterius deliberandum esse. Voluntatem suam populus porrigendis manubus declarabat, idque *προχειροτονεῖν* dicebatur et *προχειροτονία*. Ita Harpocration hoc vocabulum explicat[15]): *Ἔοικεν*, inquit, *Ἀθήνησι τοιοῦτό τι γίγνεσθαι· ὁπόταν τῆς βουλῆς προβουλευσάσης εἰσφέρηται εἰς τὸν δῆμον ἡ γνώμη, πρότερον γίνεται χειροτονία ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. πότερον δοκεῖ περὶ τῶν προβουλευσάντων*(scr. *προβουλευθέντων*) *σκέψασθαι τὸν δῆμον, ἢ ἀρκεῖ τὸ προβούλευμα.* Utitur illo verbo Demosthenes in oratione adversus Timocratem, ubi ait: *Προβούλευμ' ἐγράφη· μετὰ ταῦτα, γενομένης ἐκκλησίας, προυχειροτόνησεν ὁ δῆμος*[16]). Sed apud Aeschinem Proedri ipsi, qui populum rogant, *προχειροτονεῖν* dicuntur, in oratione adversus Timarchum: *Ἐπειδὰν τὸ καθάρσιον περιενεχθῇ, καὶ ὁ κήρυξ τὰς πατρίους εὐχὰς εὔξηται, προχειροτονεῖν κελεύει* (ὁ *νόμος*) *τοὺς Προέδρους*

---

afferri a Grammaticis, sed ea quae ex auctoris sui verbis sibi deprehendere videbantur. — Ceterum in multis rebus saepissime neglectam esse hanc legem satis constat. vid. Demosth. adv. Androt. p. 595. cum argum. p. 592.

14) Id ex Aristophanis Thesmoph. v. 372. conjici potest, ubi in mulierum concilio recitator est praeco. — Ceterum conf. Demosth. de fals. leg. p. 351. extr.

15) s. v. *Προχειροτονία*.

16) p. 703.

περὶ ἱερῶν τῶν πατρίων καὶ κηρύκων καὶ πρεσβέων καὶ ὁσίων[17]).

Ubi Senatus consultum a populo comprobatum erat, Psephismati praeter illius nomen, qui Senatus auctoritatem in comitiis dicendo exposuerat et dicendo probaverat, id quod aut unius e Proedris contribulibus aut ejus, in cujus sententiam Senatus auctoritas perscripta esset, officium fuisse videtur, fortasse tamen aliis quoque Senatoribus, qui dicendo valerent, mandari potuit, sed praeter illius nomen adscribebatur Psephismati haec formula: γνώμη βουλῆς καὶ δήμου, aut βουλῆς γνώμη, quo designaretur, non tam illum, cujus nomen praescriptum erat, sed potius Senatum ipsum populumque Psephismatis auctorem habendum esse[18]). Exempla sunt apud Demosthenem, de corona p. 265.

---

17) p. 48. Aliter hic locus explicari non potest. Nam quod Wolfius vertit: *in primis decernere*, id nihili est. Rectius Iurinus: *referre ad populum, decernendi potestatem facere*, modo intelligas de Senatus consulto. Ceterum, ne quis miretur, utramque significationem et mittendi et eundi in suffragia huic verbo inesse, eadem fere est ratio verbi ἐπιχειροτονεῖν, quod et de Prytanibus dicitur, populum in suffragium mittentibus, (Dem. adv. Timocr. p. 712. cf. ib. Iurini notam, Vales. ad Harpocrat. p. 75.) et de populo aliquid sciscente. (Dem. de coron. p. 255. 261).

18) Conjectura haec est, fateor, sed probabilis tamen, ut spero. Γνώμην βουλῆς esse Senatus consultum vel auctoritatem, comitiis proponendam dubium non est. In Inscriptione ap. Gruterum p. 405. haec leguntur: δεδόχθαι τῇ βουλῇ, τοὺς λαχόντας Προέδρους εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν χρηματίσαι περὶ τούτων, γνώμην δὲ συμβάλλεσθαι τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον, ὅτι δοκεῖ τῇ βουλῇ, στεφανῶσαι Εὔβουλον. Deliorum quidem hoc est Senatus consultum, attamen aptum ad id, quod volo, declarandum; nempe γνώμην βουλῆς Proedros in comitiis proposuisse. Et si rata esset Senatus auctoritas, quid magis consentaneum erat, quam ejusmodi psephismatis prae-

Ἄρχων Δημόνικος Φλυεὺς, Βοηδρομιῶνος ἕκτη μετ' εἰκάδα, γνώμη βουλῆς καὶ δήμου, Καλλίας Φρεάῤῥιος εἶπεν, ὅτι δοκεῖ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, στεφανῶσαι Ναυσικλέα κ. τ. λ.

Ibid. pag. ead.

Εἶπε Καλλίας Φρεάῤῥιος, Πρυτάνεων λεγόντων, βουλῆς γνώμη· ἐπειδὴ Χαρίδημος — — καὶ Διότιμος — — ἐκ τῶν ἰδίων ἀναλωμάτων καθώπλισαν τοὺς νεανίσκους ἀσπίσιν ὀκτακοσίαις, δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, στεφανῶσαι Χαρίδημον καὶ Διότιμον κ. τ. λ.

Calliae, puto, demandatum erat a Prytanibus, ut, Senatus auctoritate, referret ad populum de Charidemi et Diotimi honoribus.

Ibid. p. 282.

Ἐπὶ Ἄρχοντος Ἡροπύθου, μηνὸς Ἐλαφηβολιῶνος ἕκτη φθίνοντος, φυλῆς πρυτανευούσης Ἐρεχθηΐδος, βουλῆς καὶ στρατηγῶν γνώμη· — — — — δεδόχθαι τῇ

---

scriptio, quales e Demosthene a me allatae sunt. — Quod autem dixi, etiam aliis Senatoribus id munus a Prytanibus mandari potuisse, commoverunt me secundi Psephismatis verba: *Εἶπε Καλλίας, πρυτάνεων λεγόντων, βουλῆς γνώμη.* — Ceterum videtur saepissime haec formula omissa esse, veluti apud Demosth. de Coron. p. 255. Demosthenes, lator rogationis, non solum Senator erat illo tempore, sed etiam Prytanis. Vix igitur credibile est, eum aliter, quam ex auctoritate Senatus, rogationem ad populum tulisse. Quodsi vera est mea de ista formula opinio, omissa haec est aut ab ipso scriba, qui illud Psephisma conscripsit, aut a Demosthene in describendo. Aliud Senatus auctoritatis per oratorem aliquem, Senatorem quidem, non tamen Prytanin, ad populum latae exemplum est ap. Xenophont. Hellen. 1. 7. §. 9. *ἡ βουλὴ ἐσήνεγκε τὴν ἑαυτῆς γνώμην, Καλλιξένου εἰπόντος, τήνδε, κ. τ. λ.* Callixenus hanc sententiam Senatui persuaserat, ib. §. 9. neque tamen eum Prytanin fuisse, e sequentibus patet, §. 14. Videtur itaque moris fuisse, ut, in cujus sententiam Senatusconsultum perscriptum esset, ab eodem quoque id in comitiis ad populum ferretur.

βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, πέμπειν πρὸς αὐτὸν (Φίλιππον) κήρυκα καὶ πρέσβεις κ. τ. λ.

Omissum in hoc Psephismate est suasoris nomen, aut quoniam Demosthenes id addere supersedit, aut quoniam, nullo suadente, populus, simul ac a Proedris rogatus erat, Senatus consultum ratum esse jusserat. Quod autem additum est etiam *στρατηγῶν γνώμῃ*, id eo factum arbitror, qui Strategi una cum Senatu et convocandi populi et legatorum creandorum auctores fuerant. Ita in proximo Psephismate ib. p. 282.

Ἐπὶ Ἄρχοντος Ἡροπύθου, μηνὸς Μουνυχιῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ, Πολεμάρχου γνώμῃ — — — — — δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, πέμψαι πρὸς αὐτὸν (Φίλιππον) κήρυκα καὶ πρέσβεις κ. τ. λ.

verba illa *Πολεμάρχου γνώμῃ*, designant, Polemarchi auctoritate latum esse ad populum de legatis mittendis.

Recitandum Senatus consultum in comitiis curare, remque, de qua consultandum est, populo proponere, Proedrorum contribulium munus fuisse, supra jam monuimus. *Οἱ μὲν Πρυτάνεις*, inquit Ulpianus, *συνῆγον τὴν ἐκκλησίαν, οἱ δὲ Πρόεδροι ἐπέβαλλον, περὶ τίνος συνῆλθον.* Ita, allato nuntio de Elatea a Philippo occupata, Prytanes retulisse populo Demosthenes narrat, quae ipsi cognoverant, eumque, qui istum nuntium attulerat, produxisse. Apud Andocidem Andromachus servus a Prytanibus producitur ad indicium faciendum, de profanatis mysteriis. In iis tamen comitiis, quae Strategorum auctoritate, extra ordinem habebantur, ipsi quoque Strategi hoc referendi ad populum et proponendi munere fungebantur, quod patet e Psephismate apud Demosthenem de Corona:

Ἐπὶ Ἄρχοντος Νεοκλέους, μηνὸς Βοηδρομιῶνος, ἐκκλησίας συγκλήτου ὑπὸ στρατηγῶν συναχθείσης, Εὔβουλος Μνησιθέου Κυθήριος εἶπεν· ἐπειδὴ προσήγγειλαν οἱ στρατηγοὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ κ. τ. λ.
Quibusdam de rebus etiam Thesmothetas ad populum retulisse, infra videbimus.

C A P U T X.

De Oratoribus.

Recitato Senatus consulto et proposita consultandi materia, si visum erat populo ulterius esse deliberandum, provocabantur a praecone, qui ad populum verba facere vellent. Non enim ut apud Romanos, ita apud Athenienses quoque magistratubus tantum, iisve, qui hanc veniam ab illis impetraverant, dicere in concione licebat; sed cuivis, qui se aliquid salutare et reipublicae commodis conveniens afferre, et quae sentiret, cum quodam ornatu et gravitate eloqui et illustrare posse confideret, suggestus patebat. Saepe hanc *ἰσηγορίαν* Demosthenes celebrat[1]); et Xenophon, cum eam reprehendi multis nominibus posse sentiret, non laudabilem quidem per se, sed necessariam tamen in ejusmodi reipublicae genere hanc licentiam esse ostendit[2]).

---

1) Cf. Wolf. ad Demosth. Leptin. p. 234.

2) Xenoph. de Rep. Ath. I. §. 6. *Εἴποι δ' ἄν τις, ὡς ἐχρῆν αὐτοὺς μὴ ἐᾶν λέγειν πάντας ἑξῆς, μηδὲ βουλεύειν, ἀλλὰ τοὺς δεξιωτάτους καὶ ἄνδρας ἀρίστους· οἱ δὲ καὶ ἐν τούτῳ ἄριστα βουλεύονται, ἐῶντες καὶ τοὺς πονηροὺς λέγειν κ. τ. λ.* In his pro *ἑξῆς* corrigendum puto: *ἐξ ἴσου.*

Proedri, cum sententias dicendi potestatem faciunt, dicuntur λόγον vel γνώμας προτιθέναι [5]), solenne autem praeconium hoc est: Τίς ἀγορεύειν βούλεται; Sed ex vetere Solonis instituto primo loco

5) Aeschin. de fals. leg. p. 243. τῇ δ' ὑστεραίᾳ τοὺς Προέδρους ἐπιψηφίζειν τὰς γνώμας, λόγον δὲ μὴ προτιθέναι. cf. ib. p. 244. λόγων γὰρ μὴ προτεθέντων. Xenoph. Memor. IV. 2. 3. τῆς πόλεως λόγον περί τινος προτιθείσης. Thucyd. VI. 14. Καὶ σὺ, ὦ Πρύτανι - γνώμας προτίθει αὖθις Ἀθηναίοις. Plenius Demosthenes, vel potius incertus auctor orationis, quae περὶ συντάξεως inscribitur, p. 169. προθεῖναι περὶ τούτων τῷ βουλομένῳ γνώμην ἀποφήνασθαι. De Coron. p. 517. ἐν κοινῷ δὲ τὸ σύμφερον ἡ πόλις προὐτίθει σκοπεῖν. Cf. Thucyd. III, 38. et 42. Isocrat. Social. p. 382, Eodem sensu Aristophanes γνώμας καθιέναι dicit, Eccles. v. 597.

Ἔδοξε τοῖς Πρυτάνεσι περὶ σωτηρίας
Γνώμας καθεῖναι τῆς πόλεως.

nisi fortasse hic quoque legendum: προθεῖναι. Libanius Decl. XVI. p. 466. B. etiam ἐκκλησίαν προτιθέναι, nullo, si recte memini, veterum exemplo: hi προγράφειν ἐκκλησίαν dicere solent. Apud Demosthenem, Phil. 1. in. Εἰ μὲν περὶ καινοῦ τινος πράγματος προὐτίθετο λέγειν· illud προὐτίθετο ab aliis, ut Ulpianus docet, acceptum est pro προεγράφετο, ab aliis pro προσβάλλετο, i. e. retulerunt, et ad dicendum provocarunt. Utraque explicatio vera esse potest: nam, quamquam προτιθέναι plerumque simpliciter: potestatem dicendi facere significet, recte tamen Hemsterhusius ad Lucian. Necyomant. Tom. III. p. 361. Bip. has locutiones profectas arbitratur a proposita prytanum tabella (Programmate v. supr. c.) qua non tantum indicium vocabant Athenienses, sed et qua de re dicendae essent sententiae et suffragia ferenda, definiebant. Tamen fatendum est, multis locis plane obliteratam esse hanc tabellae proponendae significationem, ut apud Thucyd. VI. 14. cf. Demosth. de fals. legat. p. 361. τὴν ἐναντίαν ποτὲ Θηβαίοις ψῆφον ἔθεντο οὗτοι περὶ ὑμῶν ὑπὲρ ἀνδραποδισμοῦ προτεθεῖσαν. Sophocl. Antig. v. 165. σύγκλητον τήνδε γερόντων Προὔθετο λέσχην Κοινῷ κηρύγματι πέμψας, quem locum Hemsterh. quoque laudavit. cf. Xenoph. Hell. I. 7, 5. 14. 15.

provocandi erant οἱ ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότες, post eos demum e reliquis omnes, quibus dicere liceret. Dudum autem illud institutum neglectum et obliteratum erat [4]), et homines saepe adolescentuli, vix epheborum numero egressi, prudentia exigua, temeritate autem et loquacitate multo maxima, de maximis rebus primi disserebant, et soli nonnunquam occupabant suggestum [5]).

Nemo enim propter aetatem, dum inter viros receptus esset, verba facere vetabatur, id quod Petitus quoque sensit, et sententiam suam eo probare conatus est, quod Platonem, tres et viginti annos natum, in judicio orationem habuisse ostendit [6]). At ex eo colligi nequit, id aetatis etiam in comitiis dicere licuisse. Melius ex Alcibiadis historia argumenta petiisset, qui aliquot ante trigesimum annis demagogus fuit [7]) et jam Olymp. LXXXVIII.

---

4) Demosth. de coron. p. 285. Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 386. adv. Timarch. p. 48. 49. Plutarch. an seni sit ger. resp. p. 784. c. Opp. Tom. II. cf. Aristoph. Acharn. v. 45. Thesmoph. v. 385. Eccles. v. 130. Facete ad hunc morem alludit Lucianus, Deor. Conc. 1. p. 178. Tom. IX. Bip. et Iov. Tragoed. 18. p. 245. Tom VI. ubi οἱ τέλειοι θεοί sunt ii dii, quos non adolescentes, sed maturae aetatis fingebant. Aliam θεῶν τελείων significationem illustrat Ruhnken. ad Timaeum. p. 225.

5) Id Andocides queritur contr. Alcibiad. p. 123. R. 32. 4. Steph. cf. Thrasymachi fragm. ap. Dionys. Halic. π. τῆς Δημοσθ. δεινοτ. p. 165. Sylb. Ex Lysiae quoque loco, pro Mantith. p. 585. R. 147. 35. Steph., patet, eos in prudentum vituperationem incurrisse, qui, cum juniores essent, tamen in comitiis dicere conarentur: ἤδη δέ τινων ᾐσθόμην, ὦ βουλή, καὶ διὰ ταῦτα ἀχθομένων μοι, ὅτι νεώτερος ὢν, ἐπεχείρησα λέγειν ἐν τῷ δήμῳ.

6) Legg. Att. p. 291.

7) Duker. ad Thucyd. V. c. 43.

5. ad rempublicam accessisse videtur[8]), quo tempore Alcibiades, si Dodwellum sequaris, vix vigesimum quartum, sin alios, vix vigesimum expleverat[9]). Sed multo minore negotio res probari potest Xenophontis loco, ubi Glauconem, Aristonis filium, nondum viginti annos natum, ad rempublicam accessisse, et saepius in comitiis ad dicendum surrexisse narrat, atque ita haec narrat, ut appareat, nullam fuisse legem, quae id vetaret[10]).

Frequentissimae autem de iis, qui ad dicendum surgunt, hae sunt formulae: *ἀνίστασθαι*, *παριέναι ἐπὶ τὸ βῆμα*, *προσιέναι τῷ δήμῳ*, *πρόσοδον*, *πάροδον*, *πρόσοδον ποιεῖσθαι*, *ἀναβαίνειν εἰς τὸ πλῆθος*, aliaeque; atque oratores nonnunquam simpliciter dicun-

---

8) Eo enim anno acta est Aristophanis fabula, Acharnenses, ubi vs. 716. Alcibiades tangitur.

9) Dodwell. Annal. Thucyd. ad ann. XIII. bell. Pelop. p. 682. ed. Bauer. natum putat Alcibiadem Ol. LXXXII. ¾ cum eo consentit Wolf. ad Demosth. Lept. p. 536. Sed si recte Nepos eum occisum esse dicit circiter quadragesimo aetatis anno, Vit. Alc. c. 10. mortis autem annus secund. Diodorum l. XIV. est Ol. XCIV. 2., natus sit oportet circiter Olymp. LXXXIII. 3., et Ol. LXXXVIII. 3. vigesimum annum nondum excesserit.

10) Memorab. III. 6. 1. — Aristophanis quidem Scholiastes, ad Nubb. v. 530. legem fuisse narrat, *μὴ εἰσελθεῖν τινα εἰπεῖν μήπω τεσσαράκοντα ἔτη γεγονότα, ὡς δέ τινες, τριάκοντα.* Utcunque haec accipiantur, sive de scena, ut Petitus fecit, p. 146. sive de comitiis, ut Palmerius et Wesselingius ad Pet., falsa sunt. Petitus quidem ipse p. 544. priorem suam explicationem aut revocat, aut oblitus est, et de oratoribus publice creatis locum interpretatur; sed de his mox videbimus. Ceterum non novum est neque sine exemplo, leges ab hisce Graeculis fingi, quae nunquam fuerunt, cujusmodi v. c. illa quoque est, quam affert Schol. ad Ran. v. 420. et Petitus, nil suspicans, repetit p. 205.

tur οἱ παριόντες[11]). Quamvis autem omnibus promiscue dicere licebat, surgebant tamen plerumque ii tantum, qui arte quadam dicendi et facultate instructi et in rhetorum scholis eruditi erant, iis certe temporibus, cum eloquentiae ratio mirum in modum exculta et perfecta, et cives artificiosis et diligenter elaboratis orationibus assueti erant. Factum ita est saepissime, ut non qui ad res gerendas aptissimi, sed qui in dicendo exercitatissimi essent, populi voluntatem ad arbitrium suum flecterent regerentque. Atque, quod antiquis temporibus fere accidere solebat, ut qui foris imperatoria laude excellerent, iidem domi quoque auctoritate apud populum plurimum valerent, et in comitiis etiam sine arte dicendi primas partes sustinerent[12]), id totum immutatum erat posterioribus temporibus, cum non jam Miltiades, Themistocles, Myronides eorumque similes, sed Eubuli, Aeschines Demades, quorum si quis linguam tolleret, reliqua nihili erant, potentia et auctoritate florerent. Eoque factum etiam est, ut oratores persaepe a scriptoribus distinguantur a reliquis civibus, iisque opponantur, qui, cum eloquentia non valerent, haud fere surgere solebant in comitiis. Falsa autem est Petiti aliorumque, qui eum secuti sunt, sententia, fuisse proprium quemdam oratorum ordinem, et denos quotannis a populo creatos esse, ῥήτορας eosdem et συνηγόρους dictos, quibus, puto, id munus esset, ut quovis tem-

11) Xenoph. Mem. III. 7. 1. Demosth. de coron. p. 285. Aeschin. adv. Timarch. p. 85. Plato Apolog. p. 31. c. Andoc. de reditu. p. 19. 56. Steph. cf. Hemsterhus. ad Lucian. Tom. I. p. 219. Bip.

12) cf. Aristot. Polit. V. c. 5. cf. egregia Heerenii expositio, Ideen, Tom. III. p. 386. sqq.

pore de quavis re, quae incidisset, in comitiis dicere parati essent[13]). Atque ad hos decem oratores sive *συνηγόρους* pertinere Petitus putat omnes locos, ubi leges de oratoribus et eorum *δοκιμασίᾳ* memorantur. In quo cum manifesto erret, operae pretium est, paullo diligentius ea examinare, quibus errorem suum comprobare conatur. Fundum sententiae suae habet Aristophanis Scholiasten, qui ad illum e Vespis versum: (689).

Αὐτὸς δὲ φέρει τὸ συνηγορικὸν δραχμήν, κἂν ὕστερος ἔλθῃ.

haec adnotat; *ὑπὲρ τοῦ συνηγορῆσαι· ἐλάμβανον γὰρ οἱ ῥήτορες δραχμὴν, ὅτε συνηγόρουν ὑπὲρ τῆς πόλεως ἢ ὑπὲρ ἄλλου τινός. ἐκ τούτου δὲ φαίνεται, ὅτι μισθοφόρος ἦν ἡ ἀρχή. κληρωτοὺς δὲ γενομένους δέκα συνηγόρους Ἀριστοτέλης φησίν.* Apparet, absurdum esse, sorte eligi, qui populi consultationes prudenti consilio et eloquentia regant, aut publicam causam in judicio agant. Sed aliena miscet Scholiastes. Nam qui ab Aristotele memorantur *δέκα συνήγοροι κληρωτοί,* sine dubio iidem sunt, de quibus etiam incertus Lexici Rhetorici a Bekkero editi auctor loquitur: *Ἄρχοντες ἦσαν κληρωτοὶ, οἳ τοῖς Λογισταῖς ἐβοήθουν πρὸς τὰς εὐθύνας τῶν ἀρξάντων τινὰ ἀρχήν*[14]). Sed ab his diversi sunt alii *συνήγοροι*, causarum patroni, qui aut a populo mandatas sibi causas orabant apud judices, aut a pri-

13) Petit. Legg. Att. III. 3. p. 344. Ita ut dixi, acceperunt Petiti sententiam Heeren. l. l. p. 597. extr. 598. in. Bekker. Demosth. als Staatsm. u. Redner. II. p. 500. sq. et multo ante hos duos Perizon. ad Aelian. V. H. V. 13. n. 5. p. 323. b. ed. Lips.

14) Bekkeri Anecdot. I. p. 301. cf. Aristot. Polit. VI. 8. *Ἀναγκαῖον, ἑτέραν εἶναι (ἀρχὴν) τὴν ληψομένην λογισμὸν καὶ προσευθυνοῦσαν, αὐτὴν μηδὲν διαχειρίζουσαν ἕτερον. καλοῦσι δὲ τούτους οἱ μὲν εὐθύνους, οἱ δὲ λογιστὰς, οἱ δὲ συνηγόρους.* De toto hoc magistratuum genere vid. Boeckh. Staatshaushalt d. Ath. I. p. 203 — 207.

vatis adhibebantur; συνηγόρουν ὑπὲρ τῆς πόλεως ἢ ὑπὲρ ἄλλου τινός, ut ait Aristophanis Scholiastes. Ex his qui populi causas agebant, non sorte, sed manuum porrectione creabantur, ut Harpocration docet [15]; eosque drachmae mercedem Scholiastes ille accepisse dicit, id quod non aliunde hausit, quam ex ipso Aristophanis loco, quamquam haud liquet, utrum συνηγόρων genus ab hoc designetur. Sed hi utrique multum differunt ab oratoribus iis, qui in comitiis dicunt, qui aut ῥήτορες simpliciter, aut δημήγοροι vocantur, aut δημαγωγοί quoque, si eximia apud populum auctoritate florent, nunquam autem συνήγοροι [16]). Hi neque creabantur a populo, neque mercedem accipiebant, sed sua sponte, eloquentia et rerum peritia confisi, rempublicam capessebant [17]).

At distinguuntur expressis verbis, inquit Petitus, oratores a privatis, ἰδιώταις, apud Aeschinem: *Τρίτον δὲ ἐφεξῆς (διέξειμι πρὸς ὑμᾶς τοὺς νόμους) τοὺς περὶ τῶν ἄλλων ἡλικιῶν, οὐ μόνον περὶ τῶν ἰδιωτῶν, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν ῥητόρων.* Verum non ita ἰδιῶται

---

15) s. v. συνήγοροι. Ἐοίκασι παρὰ Ἀθηναίοις τινὲς χειροτονεῖσθαι συνήγοροι ἐπὶ τῷ συναγορεύειν. cf. Suid. s. v. Ejusmodi συνήγοροι sunt publicorum delictorum accusatores, a populo constituti, quorum frequens est mentio, (cf. Herald. Animadv. in Salmas. p. 234). et ii quibus veteres leges, ab aliquo abrogatas, in nomothetarum consilio defendendae mandantur, quos memorat Demosthenes adv. Timocrat. p. 711. Plura de utroque genere dicentur infra, lib. II.

16) Apud Aristoph. Nubb. v. 1085. 1089. δημαγωγοί et συνήγοροι distinguuntur; apud Xenophontem conjunguntur ῥήτορες et δημήγοροι, Memorr. II. 6. 15. Hi sunt σύμβουλοι τῆς πόλεως ap. Aeschin. adv. Timarch. p. 155. de fals. leg. p. 322.

17) Merito turpissimum putabatur, non nisi mercede conductum rempublicam suam consiliis adjuvare velle. Αἰσχρὸν νενόμισται, μὴ φάναι συμβουλεύειν, ἐὰν μή τις αὐτῷ ἀργύριον διδῷ. Plat. Gorg. p. 520. c.

oratoribus opponuntur, ut privati iis, qui magistratibus et muneribus publicis funguntur, sed ut rerum publicarum minus curiosi aut imperiti, qui a foro procul vitam habent, iis, qui ad rempublicam accedunt; qui usus frequentissimus est apud optimos quosque scriptores[18]).

Sed quod apud Aeschinem memoratur *δοκιμασία τῶν ῥητόρων*, ne id quidem probare potest, oratores publice constitutos esse. Nam *δοκιμασία* non solum est inquisitio in eos, qui ad honores capiendos aut ad publicum aliquod negotium administrandum a populo creati aut sorte electi sunt, qui, ante quam munere suo fungi incipiunt, examini cuidam subjecti sunt, et a quovis ut indigni accusari possunt; sed si quispiam, qui quoquo modo ad rempublicam accedit, in judicium vocatur et arguitur propter vitam flagitiosam et inhonestam, aut alia quacunque de causa a republica arcendus esse ex legibus, hoc quoque judicium *δοκιμασία* vocari solet[19]).

Erant enim leges plurimae, quae illam in comitiis dicendi cuivis civi datam licentiam re-

---

18) Ita v. c. ap. Aeschin. adv. Timarch. p. 164. *οὐκ ὢν ἰδιώτης, ἀλλὰ πρὸς τὰ κοινὰ προσιών.* Ibid. p. 184. opponuntur *οἱ ἰδιωτεύοντες* et *οἱ πολιτευόμενοι.* Orat. adv. Ctesiph. p. 516. Senatores ipsi vocantur *ἰδιῶται.* cf. ib. p. 609. Ap. Demosth. adv. Androt. p. 601. *οἱ ἰδιῶται* opponuntur *τοῖς θρασέσι καὶ δυνατοῖς λέγειν.* Xenoph. Memor. III. 7. 7. *ἰδιῶται* et *ἀσκητοί.* Ejusmodi afferri possint sexcenta.

19) Harpocrat. s. v. *δοκιμασθείς. ἐλέγετο δὲ (δοκιμασθῆναι) καὶ ἐπὶ τῶν πολιτευομένων, κἂν μηδ᾽ ἡντιναοῦν ἀρχὴν ἦρχον· ἐξητάζετο γὰρ αὐτῶν ὁ βίος ἐνίοτε, ὡς Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχου φησί. κ. τ. λ.* Aeschinis locus est adv. Timarch. p. 28. *ἐπήγγειλα αὐτῷ τὴν δοκιμασίαν ταυτηνί.* Ulpian. ad Demosth. or. adv. Androt. p. 588. 43. Benen. *ἐπαγγελία δέ ἐστι δίκη πρὸς δοκιμασίαν τοῦ βίου.* cf. Suid. s. v. *δοκιμασία* et ibi Kuster.

stringerent, et adimerent iis, qui aut flagitiorum graviorum essent convicti, aut carerent quibusdam rebus, quibus eum, qui populum auctoritate et consiliis docere ac gubernare vellent, carere nefas existimarant sapientissimi legum latores. Ac primum *ἄτιμοι*, de quibus supra jam locuti sumus, cum suffragio, tum multo etiam magis hac *ἰσηγορίᾳ* privati erant. Itaque Aeschines[20]), leges illas laudans: *ἄν τις*, inquit, *λέγῃ ἐν τῷ δήμῳ τὸν πατέρα τύπτων ἢ τὴν μητέρα, ἢ μὴ τρέφων, ἢ μὴ παρέχων οἴκησιν, — ἢ τὰς στρατείας μὴ ἐστρατητευμένος, ὅσαι ἂν αὐτῷ προσταχθῶσιν, ἢ τὴν ἀσπίδα ἀποβεβληκὼς -- -- ἢ πεπορνευμένος ἢ ἡταιρηκὼς, - - ἢ τὰ πατρῷα κατεδηδοκὼς, ἢ ὧν ἂν κληρονόμος γένηται - - δοκιμασίαν ἐπαγγειλάτω Ἀθηναίων ὁ βουλόμενος, οἷς ἔξεστιν.* Hi omnes, qui in lege memorantur, si convicti erant, non dicendi tantum in comitiis licentia, sed suffragio quoque et omni publico jure carebant, *ἄτιμοι* erant, ne interesse quidem poterant ulli publico conventui, publicis sacris festisque. Quodsi quis ex iis tamen ingrederetur, quo ingredi ipsi non licuit, in vincula conjiciebatur ab Undecimviris, et ad Heliastarum judicium ducebatur, ubi a quovis accusari poterat.[21]).

Quod autem Andocides ait[22]), post triginta tyrannorum dominationem nonnullos, qui eorum partes amplexi essent, ea poena affectos esse, ut in reliquis omnibus rebus aequo cum ceteris civibus jure fruerentur, praeterqaum quos aliis non liceret verba in comitiis facere, aliis, in Senatum legi, aliis publicas causas, *γραφάς*, in judicio agere, aliaque ejusmodi, suffragium tamen iis relictum esset, id

---

20) Adv. Timarch. p. 54.

21) Demosth. adv. Timocr. p. 733. cf. supr. c. 8.

22) De Myster. p. 35. R. p. 10. 24. Steph.

nescio an singulari exemplo, illo tantum tempore, de quo scribit Andocides, factum videri debeat. Certe ejusmodi ἀτιμίαν, ut ait ille, κατὰ προστάξεις, ab aliis scriptoribus memorari non memini.

Ii etiam qui propter mulctam ad quam condemnati erant, non solutam, aut alio quoquam modo aerarii debitores facti erant, ἄτιμοι erant, dum debitum luissent, et comitiis atque suggestu prohibebantur. Denique ii quoque, qui propter graviora delicta in vinculis habiti erant, quorum patres extremo supplicio affecti erant, qui, cum ad magistratus capiendos designati essent, in judicio (δοκιμασίᾳ) reprobati erant[23]). Atque horum omnium si quis tamen ad rempublicam accedere conaretur, nomina a quovis cive deferri poterant ad Thesmothetas, quae delatio ἔνδειξις vocabatur[24]).

Sed non id solum leges requisiverunt in oratoribus, ut graviorum criminum culpa carerent; voluerunt eos, qui populi fide et publica auctoritate

---

23) V. Orat. I. adv. Aristogit. p. 779.

24) Harpocrat. s. v. Lex. Rhetor. in Bekkeri Anecd. 1. p. 250. aliique. cf. Demosth. adv. Timocr. p. 707. ubi memoratur ἔνδειξις ad Thesmothetas deferenda. Adv. Androt. p. 603. Ejusmodi ἐνδείξεως illustrissima exempla sunt Demosth. adv. Aristogitonem, quem Harpocration quoque laudat, et adv. Theocrinem. Sed quod Pollux, VIII. 49. ἔνδειξιν ad Archontem, i. e Eponymum, deferendam fuisse dicit, videtur pro causarum diversitate diversus delationis modus fuisse; Lexici Rhetorici auctor etiam ad Undecimviros ἔνδειξιν factam esse memorat; sed videtur ἀπαγωγὴν cum ἐνδείξει permutasse (v. Harpocr. s. v. ἄπαγε et Pollux. VIII. 49) quod tamen demonstrare, longum est, neque hujus loci. Ceterum differunt ἔνδειξις et ἐπαγγελία eo, quod illa locum habet in manifestis et convictis, qui tamen faciunt, quod propter delicta iis interdictum est, haec autem in iis qui nondum convicti sunt antea, sed nunc primum arguuntur.

digni videri vellent, matrimonium nullum contraxisse, quod non esset legitimum, et fundos intra Atticae fines possidere. Laudatur ejusmodi lex a Dinarcho[25]), sed ita, ut haud facile intelligas, utrum omnes omnino, qui in comitiis verba faciant, ea teneri dicat, an potius verba illa: *τῷ ῥήτορι τὴν παρὰ τοῦ δήμου πίστιν ἀξιοῦντι λαβεῖν*, ita accipienda sint, ut designentur ii, qui munere aliquo publico, legatione puta, vel publicae causae patrocinio aliisque similibus a populo ornari cupiant. Atque hoc quidem veri videtur similius, quoniam verum non est, pauperiores omnes, qui fundos non possiderent, dicendi jure privatos fuisse. Aeschines enim ne eos quidem, qui arte aliqua et opificio paupertatem suam sustentarent, hoc jure caruisse scribit[26]).

Qui ad dicendum surrexerunt[27]), coronas capiti imposuerunt, myrteas fortasse, quales etiam magistratus quidam, v. c. novem Archontes, pro muneris insigni gestare solebant, quo cum ornati erant, eos verbis aut factis laedere nefas erat et gravissimae *ἀτιμίας* poenae obnoxium. Ita oratores quoque, quum verba ad populum faciebant, et publicam quodammodo personam, tantisper certe, dum in suggestu erant, ceperant, eodem insigni ornati et quasi inviolabiles erant[28]). In dicendo autem haec

25) Dinarch. in Demosth. p. 51. R. 99. 15. *τοὺς μὲν νόμους προλέγειν τῷ ῥήτορι καὶ τῷ στρατηγῷ τὴν παρὰ τοῦ δήμου πίστιν ἀξιοῦντι λαμβάνειν, παιδοποιεῖσθαι κατὰ τοὺς νόμους, καὶ γῆν ἐντὸς ὅρων κεκτῆσθαι.*

26) Adv. Timarch. p. 54.

27) Ex Aristoph. Acharn. v. 46. conjici possit, eum, qui suggestum ascenderet, nisi vir esset omnibus notus, praeconi nomen profiteri debuisse.

28) V. Demosth. in Midiam. p. 524. 525. cujus verba: *οὐ*

ante omnia oratorem videre oportuit, ne de alia quaquam re diceret, quam quae aut programmate definita aut a proedris proposita esset; ne de pluribus simul, sed singulatim de singulis, ne de una

---

μόνον περὶ τούτων οὕτω ταῦτ' ἔχει, ἀλλὰ καὶ περὶ πάντων, οἷς ἂν ἡ πόλις τινὰ ἄδειαν, ἢ στεφανηφορίαν, ἤ τινὰ τιμὴν δῷ. sine dubio etiam ad oratores referenda sunt. Horum autem στεφανηφορία notissima est ex Aristoph. Eccles. 130. 147. 163. 171. Thesmophor. v. 381. (387) ad quem locum nugatur Scholiastes. cf. Paschal. de Coron. V. 5. — Sed ad hunc morem alludit Aristophanes etiam Av. v. 463.

φέρε παῖ στέφανον· καταχεῖσθαι
κατὰ χειρὸς ὕδωρ φερέτω ταχύ τις·

Pisthetaerus ibi in avium conventu consilium suum de nova urbe condenda propositurus, quasi in populi Attici comitiis res agatur, coronam poscit. Sed quod addit de aqua manibus superfundenda nesciverunt quidam, quo referrent. Certe ad comitiorum morem id non pertinet, sed ad conviviorum. vid. Schol. ad h. l. Scilicet totius loci festivitas haec est: Pisthetaerus aves suas, sicuti Attici demagogi τὴν Κεχηναίων πόλιν, magnis promissis et spe praeclara quasi inescat, et mira quaedam commoda iis oratione sua quasi propinat. Atque huc illa quoque v. 462. καὶ προπεφύραται λόγος εἷς μοι, ὅν διαμάττειν οὐ κωλύει, et v. 465.

λέγειν ζητῶ τί πάλαι μέγα καὶ λαρινὸν ἔπος τι.

referenda sunt. Λαρινός proprie dicitur de pingui carne bubula. Aristophanes autem Pisthetaerum haec omnia dicere facit quasi quemdam λόγων ἑστιάτορα. Nil autem frequentius apud Graecos hac locutione: ἑστιᾷν τινα λόγοις. Lucian. Philopseud. c. 39. p. 292. Tom. VII. Bip. εἱστίων αὐτοὺς καὶ ἐνεφοροῦντο τῶν ψευσμάτων. cf. Lapith. c. 2. p. 46. Tom. IX. Plat. Rep. IX. p. 259. aliique saepe. Etiam proverbium illud huc pertinet: λευκὴν μᾶζαν φυρῶ σοι, ἐπὶ τῶν μεγάλα ὑπισχνουμένων, ut explicat Hesychius; Ejusmodi igitur convivium, ubi verbis et spe pascuntur auditores, ad veri convivii similitudinem in scena exprimit poëta, ideoque coronae, quarum in conviviis aeque atque in comitiis usus, etiam manuum lavationem addit. — Ceterum communis conviviis et comitiis coronandi mos joci materiam praebet etiam Eccles. v. 132.

re saepius quam semel loqueretur. In universum autem cautum erat legibus, ne quis seditiosis vociferationibus uteretur, ne conviciis quemquam insectaretur, ne oratores aut proedros cum populo agentes interpellaret, ne vim faceret Epistatae. Quodsi quis contra has leges deliquisset, mulctabatur a Proedris quinquaginta drachmis, aut si graviore poena dignus videretur, Senatui aut proximae ecclesiae puniendus permittebatur[29]).

29) Servatae sunt hae leges ab Aeschine adv. Timarch. p. 59 — 63. quem locum, falsa interpunctione aliisque mendis corruptum, ita corrigendum puto: *Τῶν ῥητόρων ἐάν τις λέγῃ ἐν βουλῇ ἢ ἐν δήμῳ μὴ περὶ τοῦ εἰσφερομένου ἢ μὴ χωρὶς περὶ ἑκάστου, ἢ δὶς περὶ τοῦ αὐτοῦ* (gloss. *ὁ αὐτὸς τοῖς αὐτοῖς δηλονότι*) *ἢ λοιδορῆται ἢ κακῶς ἀγορεύῃ τινά, ἢ ὑποκρούῃ, ἢ χρηματιζόντων μεταξὺ ἀνεστηκὼς λέγῃ περὶ τῶν μὴ ἐπὶ τοῦ βήματος, ἢ παρακελεύηται, ἢ ἕλκῃ τὸν Ἐπιστάτην, ἀφειμένης τῆς ἐκκλησίας ἢ τῆς βουλῆς κυριευέτωσαν οἱ Πρόεδροι, ἐπιβαλόντες μέχρι πεντήκοντα δραχμῶν ἐγγράφειν τοῖς Πράκτορσιν. ἐὰν δὲ πλείονος ἄξιος ᾖ ζημίας, εἰσφερέτωσαν εἰς τὴν βουλὴν ἢ εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν. — Ἐν τῷ βουλευτηρίῳ, ὅταν διεξίωσι κλήσεις, κρινάτωσαν· καὶ ἐὰν καταγνωσθῇ αὐτοῦ, κρύβδην ψηφιζομένων τῶν βουλευτῶν, ἐγγραψάτωσαν οἱ Πρόεδροι τοῖς Πράκτορσιν.* Rescripsi a) *μὴ περὶ τοῦ εἰσφ.* quod sensus et constructionis ratio requirere videbatur. b) *ἢ μὴ χωρὶς π. ἑ.* sicut Matthiae, De Iudic. Athen. in Miscell. Philolog. P. 3. p. 233. c) *ἀνεστηκὼς* pro vulgato *ἀνηκέστως*, cum Brunckio ad Aristoph. Eccles. v. 293. quoniam locutionis *ἀνηκέστως λέγειν* exempla desidero et rationem (nam locutionum *ἀνήκεστα ποιεῖν, πάσχειν*, quas Hier. Wolfius contulit, alia est ratio, et quae Reiskius attulit, nihili sunt) dein, quoniam, etiamsi probari posset *ἀνηκ. λεγ.* tamen analogiae similium locutionum consentaneum est, non *ἀνηκ. λέγειν περί τινος* sed *ἀνηκ. λέγειν τινά*, denique, quoniam jam praecessit *κακῶς ἀγορεύειν* et *λοιδορεῖσθαι.* d) In reliquis secutus sum Matthiae correctiones, nisi quod pro *ἐπιγράφειν τοῖς Πρακτ.* scripsi *ἐγγράφειν*, quod verbum usitatissimum est hoc sensu, et paullo post reliqui lectionem vulgatam: *διεξίωσι κλήσεις*, pro qua Matthiae rescripsit *διεξίωσιν αἱ κλήσεις.* Illud *λέγῃ περὶ τῶν μὴ ἐπὶ τοῦ βήματος* quid signi-

Sed hae leges Aristophanis nostrorumque oratorum temporibus negligebantur fere et in oblivione jacebant. Nihil tunc frequentius erat in comitiis, quam mutua oratorum convicia, interpellationes, turbae, clamores et contumeliae [30]). Antiquioribus autem temporibus summa fuerat oratorum, cum ad populum verba facerent, modestia et verecundia, quam non voce solum et oratione, sed toto corporis habitu et gestu prae se ferebant. Itaque, ait Aeschines, veteres illi oratores, Pericles, Themistocles, Aristides, adeo modesti fuerunt, ut, quod nunc omnes facere solemus, ut exserto brachio dicamus, id illi impudentiae signum putarent, et facere verecundarentur [31]).

[illegible]t, nescire me fateor: alii explicant *τὰ μὴ ἐπὶ τ. β.* eas res, [illegible]ibus non agitur in suggestu, alii *τοὺς μ. ἐ. τ. β.* illos ho[illegible]es, qui non in suggestu sunt, vel homines earum tribuum, [illegible] non consident in suggestu. Neutra explicatio satis mihi [illegible]t. Fortasse exciderunt nonnulla. *Παρακελεύεσθαι* inter[illegible]r, seditiosis vociferationibus uti, v. c. postulare a Proedr[illegible] ut de hac vel illa re ad populum referant. — Ceterum non licuisse, alia de re verba facere, quam de qua Proedri retulissent, et per se veri simillimum est, et conjici potest e Demosth. adv. Timocr. p. 715. *οὐ προτεθέντος οὐδενὸς περὶ τούτων.* — non licuisse autem de pluribus rebus simul dicere, iterum Aeschines docet adv. Ctesiphont. p. 383.

30) V. Aeschin. adv. Timarch. p. 57. Demosth. de fals. leg. p. 348. adv. Timocrat. p. 704. Aristoph. Eccles. v. 142. 248. 256.

31) Adv. Timarch. p. 52. Scholiastes ad h. l. observat: *λέγεται δὲ Κλέων ὁ δημαγωγὸς πρῶτος παραβὰς τὸ ἐξ ἔθους σχῆμα, περιζωσάμενος* (cum subligaculo) *δημηγορεῖν·* quae hausisse videtur e Plutarch. Nicia c. 8. et Tiberio Graccho c. 2. Apud Romanos quoque modesti et verecundi homines bracchium veste continere solebant. cf. Quintilian. Inst. or. XI. 3. 138.

CAPUT XI.

De ferendis suffragiis.

Ubi satis disputatum erat ab oratoribus, cuivis eorum Psephisma proponere licuit. Sunt quidem, qui putent[1]), nemini id licuisse, nisi uni e Proedris, cui id munus mandatum sit a Senatu et cujus nomen Psephismatis praescribi solitum sit; ut v. c. cum legamus in Psephismate: *Κτησιφῶν Λεωσθένους Ἀναφλύστιος εἶπεν*, Ctesiphon Proedrus non-contribulis fuisse putandus sit, qui sententiam, Senatus jussu, populo proposuerit. Sed equidem falsam esse hanc opinionem asserere non dubito. Primum enim illius auctores in eo errore versantur, ut putent, praeter Senatusconsulta nulla ad populum Psephismata ferri licuisse; quod non ita esse, et supra jam dictum est a me[2]), et ex iis, quae paullo infra dicentur, magis etiam apparebit. Sed ne in Senatusconsultis quidem verum esse arbitror, quod isti volunt. Erant enim ea, ut ante demonstratum est, aut in privati alicujus sententiam perscripta, quam is, venia ante impetrata[3]), Senatui comprobandam proposuerat, aut ab ipso Senatu sua sponte concepta. Atque illa quidem sine dubio ii ipsi etiam in comitiis populo suadere solebant, in quorum sententiam perscripta erant, eorundemque nomina, tamquam latorum, Psephismatis praescribebantur,

1) Biagius de Decret. Ath. c. 13. §. 11.

2) V. cap. 9. p. 96. sq.

3) Qui adeundi Senatus et proponendae sententiae veniam petit, id quod scripto fieri solebat, *πρόσοδον ἀπογράψασθαι* vel *γράψασθαι* dicitur. Hemst. ad Luc. T. I. p. 219. Bip. *Ἀπογράψασθαι*, scripto aliquid petere, est ap. Plut. Vitt. X. Oratt. p. 851. F. *Λυκόφρων Λυκούργου Βουτάδης ἀπεγράψατο αὐτῷ εἶναι σίτησιν ἐν Πρυτανείῳ.*

de his vero Proedrorum arbitror contribulium officium fuisse, ut ea proponerent populo et oratione suaderent; potuisse tamen hoc etiam aliis Senatoribus mandari; praescriptum autem Psephismati suasoris nomen, sive is Proedrus, sive alius Senator fuerit. Sed cum, post peractam *προχειροτονίαν*, cuivis liberum esset sententiam dicere, quam vellet, cumque saepissime Psephismata perscriberentur in in eas sententias, quae Senatus auctoritati plane contrariae essent; quis credet, talibus Psephismatis aliorum nomina praescripta esse, quam eorum, qui eas sententias dixissent et populo persuasissent?

Ejusmodi autem Psephimas aut jam ante conscriptum attulit lator[4]), aut in ipsis comitiis, adhibito scriba publico, conscripsit, unde apud Platonem memorantur *οἱ ἐν τῷ δήμῳ συγγραφόμενοι*[5]). Conscriptum Psephisma tradebatur Proedris[6]), qui,

---

4) Exemplum vid. ap. Aeschin. d. f. l. p. 243. 245.

5) Platon. Gorg. p. 451. b. Phaedr. p. 258. a. cf. Andocid. de Myst. p. 13. 3. Steph. Aristoph. Thesmophor. v. 439. Hinc explicandum est, quod Demosthenes aut Hegesippus potius, Or. de Haloneso p. 88. dicit: *ὑπόλοιπόν μοι ἐστὶν ἔτι, πρὸς ταύτην τὴν ἐπιστολὴν τὴν εὖ ἔχουσαν, καὶ τοῖς λόγοις τῶν πρέσβεων, γράψαι τὴν ἀπόκρισιν.* — Ceterum frequentissimae sunt hae locutiones: *ψήφισμα* v. *γνώμην γράφειν*, Aesch. adv. Ctesiph. p. 384. ibique Taylor. *γνώμην εἰπεῖν, εἰσηγεῖσθαι*, Plutarch. Pericl. c. 13. *γνώμην* v. *ψήφισμα διδόσαι*, Aesch. adv. Ctesiphont. p. 490. Demosth. adv. Timocrat. p. 704. etc.

6) Aeschin. de fals. leg. p. 260. *Ἀλεξίμαχος ὁ Πήληξ δίδωσιν ἀναγνῶναι ψήφισμα τοῖς Προέδροις.* Quod autem idem p. 245. narrat, Demosthenem Psephisma a se conscriptum ostendisse Amyntori, eumque consuluisse, daretne scribae, ut a Proedris comprobaretur; demonstrat, moris fuisse, ut Psephismata his per scribam traderentur. Aeschinis verba: *εἰ δῷ τῷ γραμματεῖ, ἐπιψηφίσασθαι τοῖς Προέδροις,*

assumtis in consilium Nomophylacibus[7]), examinarent, essetne quid in eo, quod aut legibus aut bono publico contrarium videretur. Quodsi plures consentirent, nihil ejusmodi inesse, pronuntiabatur Psephisma a praecone[8]). Sed etiam post pronuntiationem intercedere poterat Proedrorum princeps, sive Epistata, et negare, se in suffragium populum missurum; quod cum faciebat, in suffragium iri non poterat, nisi si forte populi vociferationibus ac minis perterritus, a sententia desisteret[9]); poterat etiam quivis alius civis intercedere, cum se in judicium vocaturum esse rogationis latorem et *παρανόμων γράφην* intensurum iuraret, id quod *ὑπό-*

---

obscura sunt propter brevitatem; ad supplendam constructionem addi possit ad *τῷ γραμμ.*, *δώσοντι* aut *προσοίσοντι* aut aliud ejusmodi participium. *Ἐπιψηφίζεσθαι* autem est: auctoritate sua comprobare, non, quod Reiskius putat, suffragia colligere. Huc pertinet etiam Schol. ad p. 260. *ὁπότε ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ψήφισμα ἐγράφη, ἐπεψήφιζον αὐτὸ οἱ Πρόεδροι πρότερον, εἶτα τῷ δήμῳ ἀνεγνώσαντο.* Sed confundit hic Scholiastes activum *ἐπιψηφίζειν* cum medio *ἐπιψηφίζεσθαι*, de quorum discrimine vid. Kuster. de verb. med. p. 132. Quamquam non semper observatum videmus illud discrimen, a recentioribus maxime scriptoribus, ut Dionys. Halic. Antiq. Rom. IX. c. 49. I. 70. et alibi; *συνεπιψηφίζειν* pro *ἐπικυροῦν* habet etiam Aristoteles Polit. II. c. 10.

7) Suid. s. v. *οἱ νομοφύλακες.* cf. Iul. Pollux. VIII. 94. Sigon. de Rep. Ath. IV. 3. p. 621.

8) Schol. ad Platon. Gorg. l. l. — Etiam Proedrorum novem non-contribulium consensu opus fuisse videri, supra dixi.

9) Aeschin. de fals. leg. p. 260. *ἀναγνωσθέντος δὲ τοῦ ψηφίσματος, ἀναστὰς ἐκ τῶν Προέδρων Δημοσθένης, οὐκ ἔφη τὸ ψήφισμα ἐπιψηφιεῖν. — βοώντων δὲ ὑμῶν, καὶ τοὺς Προέδρους ἐπὶ τὸ βῆμα κατ' ὄνομα καλούντων, οὕτως, ἄκοντος αὐτοῦ, τὸ ψήφισμα ἐπεψηφίσθη.* Notissima est Socratis Epistatae historia. v. Luzac. l. l. p. 117.

μυνσθαι dicitur[10]); poterat denique lator ipse rogationem suam omittere et revocare, id quod Aristidem aliquando fecisse Plutarchus narrat.[11]) Epistatam autem, si suffragium populo dare recusasset sine justa causa, in judicium vocari potuisse per ἔνδειξιν, Socratis verba ostendunt apud Platonem: ἑτοίμων ὄντων ἐνδεικνύναι με καὶ ὑπάγειν τῶν ῥητόρων, καὶ ὑμῶν κελευόντων καὶ βοώντων, μετὰ τοῦ νόμου καὶ τοῦ δικαίου ᾤμην μᾶλλόν με δεῖν διακινδυνεύειν. ἢ μεθ' ὑμῶν γενέσθαι μὴ δίκαια βουλευομένων, φοβηθέντα δεσμὸν ἢ θάνατον[12]). Sin suffragium dedisset, ubi per leges non licuisset, in quibusdam certe causis capitis diminutione s. ἀτιμίᾳ, puniebatur[13]).

Pronuntiata rogatione, si nulla intercessio interposita erat, in suffragium populus mittebatur ab Epistata, consentientibus reliquis Proedris, unde modo Epistata, modo Proedri suffragium dare dicuntur[14]), quoniam neque Epistatae voluntas contra collegarum interdictum, neque horum permissio sine illius consensu quidquam valebat. Proprium autem hac de re vocabulum est ἐπιψηφίζειν[15])

10) Vel, ut alii volunt, ἐπόμνυσθαι. cf. Luzac. p. 119. et nos infra l. II.

11) Plutarch. Aristid. c. 3. Πάλιν δὲ γράψας τινὰ γνώμην εἰς τὸν δῆμον, ἀντιλογίας οὔσης πρὸς αὐτὴν καὶ φιλονεικίας, ἐκράτει. μέλλοντος δὲ τοῦ Προέδρου τὸν δῆμον ἐπερωτᾶν, αἰσθόμενος ἐκ τῶν λόγων αὐτῶν τὸ ἀσύμφορον, ἀπέστη τοῦ ψηφίσματος.

12) Plat. Apolog. p. 32. a.

13) Demosth. adv. Timocrat. p. 716.

14) v. Demosth. adv. Androtion. p. 596. Xenoph. Memorr. I. 1. 18. Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 465. ubi πρόεδρος dicitur pro Ἐπιστάτῃ, quod alibi quoque frequentissimum est. Id. ib. p. 430. de fals. leg. p. 245. etc.

15) v. Hemsterhus. ad Lucian. Timon. Tom. I. p. 414. Bipont.

cujus loco nonnunquam etiam ἐπιχειροτονεῖν ponitur[16]). Aliae ejusdem significationis locutiones hae sunt: διαχειροτονίαν vel ἐπιχειροτονίαν διδόναι, quamquam prioris propria vis est, ut tum demum locum habeat, ubi duae rogationes diversae proponuntur, ex quibus alterutra a populo sciscenda est[17]); ἐπιτρέπειν ψηφίζεσθαι, ἐπάγειν ψῆφον, ἐπερέσθαι vel ἐρωτᾷν γνώμην[18]), quod propria quidem et primitiva significatione differt ab ἐπιψηφίζειν, communi autem usu loquendi idem valet. Nam qui populum sententias rogat, hoc ipso potestatem facit populo in suffragium eundi, quo sententiam suam et voluntatem declaret[19]), et vana est nullisque auctoritatibus confirmata Luzacii opinio, qui putat, auditis suadentium dissuadentiumque orationibus, Epistatam populum rogasse, quid censeret, hocque fuisse: ἐπερέσθαι vel ἐρωτᾷν: atque, cum nemo civium vetaret, ne, deliberatione ad finem perducta, concio in suffragia mitteretur, tum denique hujus quoque rei copiam populo factam esse[20]). Etiam διδόναι

16) Demosth. adv. Timocr. p. 712. ibique Iurin. cf. Vales. ad Harpocrat. p. 75. Alibi ἐπιχειροτονεῖν idem est quod ἐπιψηφίζεσθαι, i. e. ἐπικυροῦν, suffragiis sancire et confirmare, ut ap. Demosth. Philipp. I. 48. de Coron. 235. 261.

17) v. Vales. ad Harpocr. p. 45. cf. Demosthen. adv. Androt. p. 596. adv. Timocr. p. 707. 710. in Neaer. p. 1346. Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 430. — Ἐπιχειροτονίαν διδόναι v. ποιεῖν est ap. Demosth. adv. Timocrat. p. 706. 716.

18) Xenoph. Memorr. IV. 4. 2. Thucyd. I. 125. Demosth. adv. Androt. p. 594. Plura vid. ap. Abresch. Dilucid. Thuc. Auctar. p. 236.

19) Eodem modo Romani rogare populum dicunt, veluti tribunos, praetores aliosve magistratus, legem rogare, i. e. de creandis magistratibus sciscendave lege populo in suffragia eundi potestatem facere.

20) Disquis. de Ep. et Pr. §. 7. p. 105.

τὴν ψῆφον τῷ δήμῳ Epistata dicitur, cum populum in suffragia mittit[21]); sed alias haec locutio: τὴν ψῆφόν τινι διδόναι vel ἀποδιδόναι, significat: sententiam ferre pro aliquo[22]).

Ferendorum autem suffragiorum duo erant modi; nam aut calculis in amphoras conjectis aut porrectis manubus voluntatem suam populus declarabat; illud proprie ψηφίζεσθαι, hoc autem χειροτονεῖν dicitur. Quamquam non semper accurate definita atque distincta horum verborum significatio est apud scriptores, et ψηφίζεσθαι saepissime dicunt, ubi proprie dicendum erat χειροτονεῖν. Ita v. c. Lysias[23]), de triginta tyrannis loquens, οὗτοι δὲ, inquit, φυλάρχους τε ἐπὶ τὰς φυλακὰς κατέστησαν, καὶ ὅ, τι δέοι χειροτονεῖσθαι καὶ οὓς τινὰς χρὴ ἄρχειν παρήγγελλον, καὶ εἴτι ἄλλο πράττειν βούλοιντο, κύριοι ἦσαν. οὕτως οὐχ ὑπὸ τῶν πολεμίων μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τούτων πολιτῶν ὄντων ἐπεβουλεύεσθε, ὅπως μήτ' ἀγαθὸν μηδὲν ψηφίσεσθε, πολλῶν δὲ ἐνδεεῖς ἔσεσθε. poterat sane utrumvis verbum utroque loco poni; proprium autem erat χειροτονεῖν. Eadem est ratio loci non multo post se-

21) Demosth. in Neaer. p. 1375. cf. in Eubulid. p. 1302. Ita ἀναδιδόναι τὴν ψῆφον est ap. Alciphron. II. Ep. 3. n. 57. ubi cf. Bergler.

22) Demosth. in Mid. p. 575. Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 404. adv. Timarch. p. 114. — Apud eundem ib. p. 101. qui legendum putarunt: εἰ — περὶ τοῦ ἐπιτηδεύματος τούτου ἐδέησε δοῦναι ψῆφον, Τίμαρχος εἴτε ἔνοχός ἐστιν, εἴτε μή, pro vulgata omnium fere codicum lectione — δοῦναι ψῆφον Τίμαρχον, εἴτε κ. τ. λ. hanc locutionem δοῦναι ψῆφον acceperunt pro: ἐνεγκεῖν vel θέσθαι ψῆφον, cujus significationis auctoritatem desidero, quae dum proferatur, acquiesco Reiskii vulgatam tuentis interpretationi, eum dici διδόναι ψῆφον, qui in causa fuerit, ut de se in suffragia iretur.

23) Lys. in Eratosthen. p. 124. 16. Steph.

quentis[24]): — οἱ δὲ ᾤχοντο ἀπιόντες, τοῦτο γοῦν σφίσιν αὐτοῖς συνειδότες, ὅτι οὐδὲν κακὸν τῇ πόλει ἐψηφίσαντο. ὀλίγοι δὲ τινὲς καὶ πονηροὶ καὶ κακῶς βουλευόμενοι τὰ προσταχθέντα ἐχειροτόνησαν. Frequentissima est locutio: γνώμας χειροτονεῖν vel ἐπιχειροτονεῖν[25]), quoniam de rogationibus suffragium populus ferebat porrigendis manibus; tamen ψηφίζεσθαι populum dicunt de ejusmodi rebus, de quibus per χειροτονίαν sciverat, veluti ψηφίζεσθαι βοηθείαν, ναῦς aliaque ejusmodi apud Demosthenem[26]), neque omnino, ubi ipsius rei, quam populus fieri jussit, velut pacis, quam sanciri, navium, quas instrui, exercitus, quem mitti voluit, nomen substantivum ponitur, alio verbo quam ψηφίζεσθαι uti solent; atque v. c. χειροτονεῖν βοηθείαν, ναῦς, στρατόν, prorsus, ni fallor, inusitatum est. Sed tamen cum infinitivo constructum invenitur verbum χειροτονεῖν, ut apud Aeschinem[27]): ὁ δῆμος ἅπας ὁμογνωμονῶν ἐχειροτόνησεν, ἐξεῖναι δεῦρο Φιλίππῳ κήρυκας καὶ πρέσβεις πέμπειν ὑπὲρ εἰρήνης. Ceterum de magistratuum creatione in comitiis legitimum est verbum χειροτονεῖν, nunquam ψηφίζεσθαι; de judiciis contra semper ψηφίζεσθαι, nunquam χειροτονεῖν[28]). Sed compositorum

---

24) Ib. p. 127. 8. cf. Isocrat. Social. p. 402. ed. Wolf. Basil. 1571.

25) Demosth. de Coron. p. 309. Hegesipp. de Halones. p. 81. Demosth. Phil. I. p. 48. de Coron. p. 261.

26) Demosth. Olynth. I. p. 9. Aeschin. de fals. leg. p. 221.

27) De fals. leg. p. 198.

28) Nonnunquam ψηφίζεσθαι, oblitterata significatione propria, simpliciter est: decernere, ut ap. Demosth. in Lacrit. p. 936. — πλὴν ἐκβολῆς, ἣν ἂν οἱ σύμπλοι κοινῇ ψηφισάμενοι ἐκβάλωνται. et χειροτονεῖν a Polluce VIII. 87. dicitur de magistratibus, qui χειροτονίαν regunt, ut apud Romanos creare

alia est ratio. Nam *καταψηφίζεσθαι* et *καταχειροτονεῖν* promiscue usurpantur de judiciis, ut apud Lysiam: *πάντας ὑμᾶς ἡγοῦμαι εἰδέναι, ὅτι Ἐργοκλέους διὰ τοῦτο ὑμεῖς θάνατον κατεχειροτονήσατε*, sed paullo post: *εἰ δὲ τούτων μηδέτερον ποιήσει, δέδοκται καταψηφίζεσθαι*[29]. Similiter apud Plutarchum: *οἱ πλεῖστοι κατεχειροτόνησαν αὐτῶν θάνατον. — Δημητρίου δὲ τοῦ Φαληρέως καὶ Καλλιμέδοντος καὶ τινῶν ἄλλων ἀπόντων κατεψηφίσθη θάνατος*[30]. Ita *ἀποχειροτονεῖν* quoque et *ἀποψηφίζεσθαι*, absolvere[31].

Multo autem usitatior in comitiis erat *χειροτονία* quam calculorum suffragium, quippe commodior et brevior. Provocabatur populus ab Epistata, praeconis voce, ut, qui sentirent, uti rogatum esset, manus porrigerent; post eos, qui alia omnia sentirent[32]. Porrectae manus, quantum quidem fieri

---

Consulem v. Praetorem dicitur is, qui in comitiis praesidet. Apud Plutarch. Pericl. c. 20. *ἐψηφίσατο (ὁ Περικλῆς) πλεῖν εἰς Σινώπην Ἀθηναίων ἐθελοντὰς ἑξακοσίους καὶ συγκατοικεῖν Σινωπεῦσι*, illud *ἐψηφισ.* verbum gravidum est; effecit ut decerneretur.

29) Lys. in Philocrat. p. 181. 27. et 41.

30) Plutarch. Phocion. c. 35.

31) Demosth. in Mid. p. 583. Vales. ad Harpocrat. p. 20.

32) Ita *χειροτονίας* morem in judiciis populi describit Suidas s. v. *κατεχειροτόνησεν*. — *ἔλεγεν ὁ κῆρυξ· ὅτῳ Μειδίας δοκεῖ ἀδικεῖν, αἰράτω τὴν χεῖρα. εἶτα οἱ θέλοντες ἐξέτεινον τὰς χεῖρας· — ὅτῳ μὴ δοκεῖ ἀδικεῖν Μειδίας, αἰράτω τὴν χεῖρα. καὶ ἐξέτεινόν τινες.* — Dubium esse non potest, quin aliis quoque in rebus eodem modo actum sit, veluti in magistratuum creationibus: Cui videtur, Phocionem praetorem fieri, manum porrigat. — Cui contra videtur, manum porrigat. Similiter etiam in legibus sciscendis. Quo modo in annuo legum examine suffragia lata sint, docent legis verba apud Demosthenem adv. Timocr. p. 706. *ἡ δ' ἐπιχειροτονία ἔστω ἡ*

poterat, dinumerabantur a praecone[33]); quod plures jussissent, ratum erat et pronuntiabatur ab Epistata[34]). Atque hoc modo et magistratus ii omnes creabantur, quos in comitiis creari oportebat, et leges de plerisque rebus sciscebantur, et judiciorum quaedam genera, quae ad populum pertinebant, reddebantur, veluti de *προβολαῖς* et *εἰσαγγελίαις*, de quibus infra pluribus dicendi locus erit.

Alterum suffragii genus, quod calculis ferebatur, et operosius erat quam *χειροτονία* et multo rarius, neque fere alias usitatum, nisi certis quibusdam in rebus, lege definitis, in quibus aut necessarium videbatur, sciscentium aut vetantium numerum accurate tenere, propter rerum magnitudinem, aut libertati sententiarum cautum volebant secretiore suffragii ferendi modo, tacitae, ut Ciceronis verbo utar, libertatis vindice. Erant autem ejusmodi res imprimis privilegia, velut de civitate peregrinis danda, de immunitate aliisque honoribus, de venia cum populo agendi ab aerariis et infamibus (*ἀτίμοις*) impetranda, qui aut debiti remissionem aut restitutionem in pristinum statum a populo petituri essent, de poenis graviorum quorundam criminum, extra ordinem a populo constituendis, et quae sunt alia privilegiorum genera[35]). Atque de his rebus omni-

---

προτέρα, ὅτῳ δοκοῦσιν ἀρκεῖν οἱ νόμοι οἱ βουλευτικοί· ἡ δ' ὑστέρα, ὅτῳ μὴ δοκοῦσιν. κ. τ. λ. Ceterum cf. Sigonius de Rep. Ath. II. 4. p. 569. ed. Par. Vales. ad Harpocr. p. 45.

33) Suid. l. l. *ἠρίθμουν τὰς χεῖρας, καὶ ἑώρα ὁ κήρυξ, ποῖαι πλείους εἰσί.* cf. Lucian. Hermotim. Tom. IV. p. 21. Bip. *ἠρίθμησας γὰρ αὐτοὺς δηλαδὴ, καθάπερ ἐν ταῖς χειροτονίαις.*

34) Hoc est: *ἀναγορεύειν τὰς χειροτονίας*, ap. Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 385.

35) v. Andocid. de Myster. p. 12. 1. Steph. cf. Demosth. adv. Timocr. p. 719. — Id. ib. p. 715. adv. Neaer. p. 1375.

bus cautum erat legibus, ut ne ratum esset decretum, nisi sex millia civium scivissent[36]). Erat autem is numerus eorum civium, qui comitiis interesse solebant, multo major pars: belli quidem tempore, cum peregre militandum esset, ne quinque quidem millia unquam vel maximis de rebus conveniebant[37]); sed etiam in pace, cum et qui longius ab urbe habitarent, et locupletiores, qui neque ecclesiastica mercede allicerentur, et auctoritatem suam contra multitudinem parum valere intelligerent, rarius comitia adire solerent, vix unquam vel frequentissimae ecclesiae numerus octo aut ad summum decem millia excessisse videtur, cum universa civitas viginti circiter civium millibus censeretur[38]).

Ipsam calculorum ferendorum rationem apud neminem e veteribus scriptoribus expositam invenimus. Apud Xenophontem quidem in judicio decem praetorum, qui propter omissam militum in proelio ad Arginusas insulas occisorum sepulturam rei

---

36) Absurda est Petiti sententia Legg. Att. II. 1. p. 188., qui ita has leges interpretatur, quasi sex millia supra decem millia requirantur. Scilicet, cum universam civitatem vicies mille civibus constare sciret, in ferendis autem suffragiis, quod major pars jussisset, ratum esse, cumque omnes illos vicies mille cives in comitiis semper adfuisse putaret, expedire rem aliter non potuit. Sed haec indigna sunt, quae serio refellantur. cf. Böckh. Staatshaushalt. d. Ath. I. p. 249. qui illud quoque jure notavit in Petito, quod is illum suffragiorum numerum in omnibus Psephismatis sciscendis necessarium fuisse putat, III. 1. p. 288.

37) Thucyd. VIII. 72. *οὐ πώποτε Ἀθηναίους, διὰ τὰς στρατείας καὶ τὴν ὑπερόριον ἀσχολίαν, ἐς οὐδὲν πρᾶγμα οὕτω μέγα ἐλθεῖν βουλεύσοντας, ἐν ᾧ πεντακισχιλίους ξυνελθεῖν.*

38) cf. Böckhius, l. l. p. 248. et 55 — 58. et Biagius de Decret. Athen. c. XIX. §. 12.

apud populum facti erant, tributim populus suffragium init, binis in tribus singulas hydriis collocatis, quarum in alteram absolutorium, in alteram damnatorium calculum conjicerent, a praecone vocati [39]). Sed dubitari potest, sitne haec ratio ordinaria et consueta, an extraordinaria et, sicut tota illius judicii forma, praeter vulgarem morem; id quod equidem credo. Nam, quod hic factum videmus, ut *φανερὰ ψῆφος* ferretur, neque enim aliter potuit, cum binae hydriae collocatae essent, id quidem non in omnibus rebus fieri solebat; leges enim apud Andocidem et Demosthenem omnes occultum suffragium ferri praecipiunt. Atque id ita factum videtur, ut uniuscujusque tribus cives in unam hydriam absolutorios aut damnatorios calculos, prout cuique videretur, conjicerent, eosque quibus usi non essent, aut retinerent aut in aliud quoddam vas conjicerent; deinde, ubi omnes suffragia tulissent, dinumerarentur cujusque hydriae calculi, et albi ab atris secernerentur, quemadmodum in ordinariis judiciis Heliasticis fieri solebat [40]).

---

39) Xenoph. Hellen. I. 7. 9. *διαψηφίσασθαι Ἀθηναίους πάντας κατὰ φυλὰς, θεῖναι δὲ ἐς τὴν φυλὴν ἑκάστην δύο ὑδρίας· ἐφ᾽ ἑκάστῃ δὲ τῇ φυλῇ κήρυκα κηρύττειν, ὅτῳ δοκοῦσιν ἀδικεῖν οἱ στρατηγοὶ — εἰς τὴν προτέραν ψηφίσασθαι· ὅτῳ δὲ μὴ, εἰς τὴν ὑστέραν.*

40) Schol. ad Aristoph. Vesp. v. 981. *Ἀμφορεῖς ἦσαν, ὧν ὁ μὲν κύριος λεγόμενος, εἰς ὃν τὴν κυρίαν ψῆφον καθίεσαν οἱ δικασταὶ, ἢ καταδικάζοντες ἢ ἀπολύοντες. ὁ δὲ ἕτερος ξύλινος, εἰς ὃν τὰς ἀκύρους καθίεσαν. ὁπότε δὲ πάντες διεψηφίσαντο, εἰς χαλκοῦν κάδον διηριθμοῦντο αἱ ψῆφοι.* — Albos et atros calculos, atque absolutorios damnatoriosque dixi, exempli causa, cum de judiciis cogitarem. Ubi de alius generis rebus suffragia ferri cogites, *calculi* dicendi erunt *quibus aut sciscunt, quod rogatum est, aut antiquant.* Utrorumque quae fuerit forma, nescio; nam quae Biagius, cap. XVIII. §. 5. 6. de

Sed tributim semper calculos a populo latos esse, id et per se veri est simillimum, quoniam haec aliquanto facilior erat ratio et decuplo brevior, et propter Ostracismi morem credibile, quem scribit Aristophanis Scholiastes fuisse talem, ut septa fierent, decem aditus habentia, per quos tributim cives testulas laturi ingrederentur[41]). Rogatorum, divibitorum custodumque munere Prytanes cum Proedris non-contribulibus functos esse, vix in dubium vocari posse videtur[42]).

Ceterum non licuisse Epistatae, de eadem re iterum dicendi potestatem oratoribus facere atque populum iterum suffragium inire jubere, quo abrogaretur, quod modo decretum esset, recte videtur Petitus[43]) conjecisse e Niciae verbis apud Thucydidem: *Καὶ σὺ, ὦ Πρύτανι, γνώμας προτίθει αὖθις Ἀθηναίοις, νομίσας, εἰ ὀῤῥωδεῖς τὸ ἀναψηφίσαι, τὸ μὲν λύειν τοὺς νόμους μὴ μετὰ τοσῶνδ' ἂν μαρτύρων αἰτίαν*

perforatis integrisque, atris albisque calculis, conchis ac fabis affert e Polluce VIII. 17. sq. et Ulpian. ad Or. adv. Timocr. p. 469. ea ad judicia pertinent, non ad comitia; quamquam veri est simillimum, eodem calculorum genere et in judiciis et in comitiis usos esse Athenienses. De testularum suffragiis libro II. dicemus.

41) Schol. ad Aristoph. Equitt. v. 851. — Quod autem Baumgartenius docet, ad Histor. universal. Tom. V. p. 197. binos fuisse cancellos, per quos transeuntem populum ad priores accepisse calculos, ad posteriores deposuisse eos, quibus non esset usus, simulque mercedem suam accepisse, id quo auctore doceat, nescio. — Ceterum non tributim numerabantur et valebant suffragia, sed universim, ut non quod plures tribus, sed quod major civium numerus jussisset, ratum esset.

42) Fortasse etiam novem Archontes: nam hos in Ostracismo quidem simul cum Senatoribus vidisse, ut recte atque ordine omnia fierent in ferendis suffragiis, Aristophanis Scholiastes scribit l. l.

43) Legg. Att. III. 1. p. 259.

σχεῖν, τῆς δὲ πόλεως κακῶς βουλευσαμένης ἰατρὸς ἂν γενέσθαι[44]). Neque contra afferri debet, quod atrocem illam populi de Mitylenaeorum internecione sententiam postridie, re iterum in comitiis ad deliberandum proposita, abrogatam esse idem historicus narrat[45]). Multa enim saepe fiunt temporis causa, quae fieri leges universe vetuerunt, atque bono publico melius nonnunquam consulitur negligendis quam nimis religiose observandis legibus.

CAPUT XII.

De Psephismatis.

Psephismata in comitiis perlata et populi suffragiis confirmata[1]) in tabulis perscripta, cum temporis, quo perlata erant, notatione, atque Epistatae, qui de iis suffragium populo permiserat, nomine, referebantur in aedem matris Deorum, in qua omnes tabulae publicae servabantur[2]) a scriba publi-

44) Thucyd. VI. 14. ἀναψηφίζειν est: iterum ἐπιψηφίζειν. — Verbum ἀναψηφίζεσθαι Suidas affert e Pherecratis Dulodidascalo, et interpretatur: μεταψηφίζεσθαι.

45) Thucyd. III. 36.

1) Qui pertulit rogationem. νικῆσαι dicitur τὸ ψήφισμα vel τὴν γνώμην, ut ap. Aeschinem adv. Ctesiphont. p. 152. νικᾷ γὰρ ἕτερον ψήφισμα Φιλοκράτης. Aristoph. Nubb. v. 431.
Ἐν τῷ δήμῳ γνώμας οὐδεὶς νικήσει πλείονας ἢ σύ.

2) Demosth. de fals. leg. p. 381. adv. Aristogiton. I. p. 799. cf. Vales. ad Harpocration. p. 128. Wesseling. ad Petit. Legg. Attic. p. 178. Schweighaeuser. ad Athenaeum. V. c. 53. Meurs. Lectt. Attic. I. c. 11. — Perperam hanc aedem cum Βουλευτηρίῳ confundit Petitus l. l., erat tamen huic vicina. Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 576. Pausan. Attic. c. 3. §. 4. In

eo, et cujus clavis erat penes Epistatam [3]). Saepissime autem etiam in publico proponi solebant Psephismata, aeneis tabulis aut lapideis columnis incisa, publico sumtu, cujus generis hodieque nonnulla supersunt [4]).

Sed ipsum Psephismatis nomen proprie quidem legem significat in comitiis latam et a populo acceptam, aut Senatus consultum, (nam haec *βουλῆς ψηφίσματα* vocari notissimum est), a verbo *ψηφίζεσθαι*, quod cum proprie significet, calculorum suffragium ferre, in generalem sciscendi significationem abiit; tamen ea quoque publica scripta hoc nomine appellari solent, quae non ipsam legem ac rogationem continent, sed quid actum sit de lege ac rogatione, aut quid populi jussu factum administratumque sit, commemorant, ut, in publicas tabulas relata, harum rerum, si forte opus sit, documento esse possint. Id genus Psephisma est apud Demosthenem [5]), in quo commemoratur, hunc legem tulisse de trierarchiarum ratione emendanda: male rogatae legis (*παρανόμων*) postulatum esse a Patrocle: judicio absolutum esse, neque quintam suffragiorum partem accusatorem habuisse. — Item aliud ejusmodi apud eundem [6]): Populi jussu Prytanes

aliis civitatibus locus, ubi publ. tabulae servabantur, *Ἀρχεῖον* vocabatur, unde nomen Archivorum. cf. Hesych. s. v. et Interpp.

3) Iul. Pollux. VIII. 96. cf. Telephus ap. Eustath. ad Hom. Odyss. P. v. 455. p. 641. 45. Basil.

4) De hoc more plura dicere neque magnopere ad hanc de Comitiis quaestionem pertinet, et supervacaneum foret, quoniam, quae dici possent, omnia praecepta sunt ab aliis, imprimis Tayloro ad Lycurg. p. 121. R. Biagio, de Decr. Atth. c. XXVIII. Boeckhio, l. l. p. 185.

5) De Corona p. 261.

6) De Corona p. 250.

et Strategos retulisse ad Senatum de creandis legatis: creatos esse Cephisophontem, Democritum, Polycritum. — In aliis Psephismatis ipsi rogationi addita est quaedam commemoratio eorum quae, secundum hanc rogationem, acta sunt; veluti, ubi latum est de creandis legatis, praeter ipsam rogationem perscripta sunt etiam nomina eorum, qui, accepta rogatione, creati sunt a populo. Ejusmodi Psephismata quatuor sunt apud Demosthenem in oratione de corona[7]); ac videtur omnino ejusmodi appendix addita esse, si quid rogatum erat, quod statim exsequendum fuerat.

Forma Psephismatum non eadem est semper, sed alia alio tempore. Nam, ut de levioribus varietatibus nunc nihil dicam, in antiquioribus Psephismatis, quae ante Euclidem Archontem scripta sunt, praescriptiones sunt ejusmodi fere, ut initium faciat formula: *Ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ*: dein indicetur tribus, cujus eo tempore Prytania fuerit, post hanc scribae nomen atque Epistatae, postremo rogationis lator. Sed exemplo res clarior fiet. Apud Andocidem[8]) Psephisma est hac praescriptione: *Ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, Αἰαντὶς ἐπρυτάνευε, Κλεωγένης ἐγραμμάτευε, Βοηθὸς ἐπεστάτει· τάδε Δημόφαντος συνέγραψεν κ. τ. λ.* — Ejusmodi omnia sunt illius aetatis[9]): nam quod nonnunquam omittitur in

7) p. 235. 282. bis. 289 — 291.

8) De Myster. p. 13. Steph.

9) Exstant ex hac aetate, integris praescriptionibus, haec: Psephisma apud Thucydidem, IV. 118. de induciis cum Lacedaemoniis faciendis: *Ἔδοξε τῷ δήμῳ· Ἀκάμαντις ἐπρυτάνευε, Φαίνιππος ἐγραμμάτευε, Νικιάδης ἐπεστάτει· Λάχης εἶπε· Τύχῃ ἀγαθῇ τῇ Ἀθηναίων, ποιεῖσθαι τὴν ἐκεχειρίαν.* — Inscriptio apud Boeckhium, Staatshaushalt. d. Athen. II. Tab. II. no. 3. de restituendis pecuniis sacris: *ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ*

principio Senatus mentio, et solus populus nominatur *ἔδοξε τῷ δήμῳ*, aut quod pro *συνέγραψε* in aliis Psephismatis scriptum est *εἶπε*, ipsique rogationi praemissa est formula: *τύχῃ ἀγαθῇ τῇ Ἀθηναίων*, haec leviora sunt. Ubi autem Prytaniae, Scribae atque Epistatae nulla est in praescriptionibus mentio, ut apud Andocidem[10]): *Ἔδοξε τῷ δήμῳ, Τισαμενὸς εἶπε κ. τ. λ.* aut ubi ne hoc quidem *ἔδοξε τῷ δήμῳ* scriptum est, sed solum rogatoris nomen, ut apud eundem[11]): *Πατροκλείδης εἶπεν*: non in ipsis Psephismatum *αὐτογράφοις* illa defuisse, sed a scriptore, qui ea laudat, omissa esse putanda sunt.

Sed ab his diversissimae sunt praescriptiones eorum Psephismatum, quae post Euclidem archontem, ad Olymp. circiter XIV. scripta sunt. Neque enim initialis illa formula: *ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ* in iis legitur, neque Scribae atque Epistatae nomen; sed ponitur in principio Archontis nomen, quod in illis prioris generis Psephismatis nullum est; dein mensis dies, quo perlata est rogatio, et tribus, cujus Prytania fuit; postremo rogatoris nomen. Post hanc praescriptionem primum commemorari solent rogationis causae atque rationes, dein ipsum plebiscitum sequitur, hac formula: *δεδόχθαι τῇ βου-*

τῷ δήμῳ· Κεκροπὶς ἐπρυτάνευε, Μνησίθεος ἐγραμμάτευε, Εὐπείθης ἐπεστάτει· Καλλίας εἶπε· ἀποδοῦναι τοῖς θεοῖς τὰ χρήματα τὰ ὀφειλόμενα κ. τ. λ. — His non absimilis est Senatus consulti forma apud Plutarch. Vitt. X. Oratt. in Antiphont. Tom. II. p. 833. *Ἔδοξε τῇ βουλῇ, μιᾷ καὶ εἰκοστῇ τῆς Πρυτανείας, Δημόνικος Ἀλωπεκῆθεν ἐγραμμάτευε, Φιλόστρατος Πελληνεὺς ἐπεστάτει, Ἄνδρων εἶπεν κ. τ. λ.* Omissum ibi est tribus *πρυτανευούσης* nomen, quam Antiochidem fuisse, ex Epistatae et Scribae demo patet; sed additus Prytaniae dies, qui in aliis omitti solet.

10) De Myster. p. 11. 24.

11) Ibid. p. 10. 33.

λῇ καὶ τῷ δήμῳ[12]). Exemplo erit Demosthenis Psephisma de mittendis ad Philippum legatis[13]):

Ἐπὶ Ἄρχοντος Μνησιφίλου, Ἑκατομβαιῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ, φυλῆς πρυτανευούσης Πανδιονίδος, Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεὺς εἶπεν· Ἐπειδὴ Φίλιππος ἀποστείλας πρέσβεις περὶ εἰρήνης, ὁμολογουμένας πεποίηται συνθήκας πρὸς τὸν Ἀθηναίων δῆμον, δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων, ὅπως ἂν ἡ εἰρήνη ἐπιτελεσθῇ ἡ ἐπιχειροτονηθεῖσα ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ, πρέσβεις ἑλέσθαι ἐκ πάντων Ἀθηναίων ἤδη πέντε κ. τ. λ.

Quod autem etiam in hujus aetatis Psephismatis, quae omnia in una Demosthenis oratione de Corona exstant, variata sunt nonnulla, v. c. quod Prytania non designatur in quibusdam[14]), aut quod latoris nomen reticetur[15]), aut formula δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ omittitur[16]), hujus varietatis sine dubio nulla alia causa fuit, quam quod orator omnia integra et ad verbum describere supersedit[17]).

---

12) De Coron. p. 235. Alia hujus generis Psephismata vid. ibid. p. 255. p. 266. 282. 288.

13) Infinitivus ille precativus est, et rogationum proprius. vid. Taylor. ad Demosth. de Cor. p. 235. R. Haec autem, de quibus loquimur, Psephismata, nil aliud sunt, quam ipsae rogationes, quales conscriptae erant a latoribus et populo propositae, quae, ubi perlatae erant, in tabulas publicas referebantur, addita solum temporis, quo perlatae erant, notatione atque Epistatae nomine, fortassis etiam civitatis sigillo, v. Biag. c. XXVIII. §. 4., quo significaretur, ratas eas esse et vim legum habere.

14) Demosth. de Coron. p. 238. 249. 265.

15) Ib. p. 282.

16) Ib. u. s.

17) Aliam rationem esse puto hujus apud Demosthenem Psephismatis, de Coron. p. 265: Ἄρχων Δημόνικος Φλυεύς, Βοηδρομιῶνος ἕκτῃ μετ' εἰκάδα, γνώμῃ βουλῆς καὶ δήμου, Καλλίας Φρεάῤῥιος εἶπεν, ὅτι δοκεῖ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ στε-

Ac fortasse nullum est ex his omnibus Psephismatis, in quo nihil ab oratore omissum sit.

Si e Senatus, Strategorum aliusve magistratus auctoritate rogatio ad populum lata erat, hoc quoque nonnunquam in his Psephismatis, quae Demosthenes servavit, indicatur hac formula: *γνώμη βουλῆς, στρατηγῶν, Πολεμάρχου*, de qua jam supra locutus sum. Etiam si in extraordinariis comitiis lex perlata erat, ejus rei commemoratio addi solet in praescriptione [18]).

Sed post Olympiadem circiter XIV. alia rursus Psephismatum forma invaluisse videtur, quae ad extrema tempora perduravit. Primum in his Psephismatis est Archontis nomen; sequitur deinde Prytaniae designatio, et quota ea sit in Prytaniarum ordine [19]); post hanc additur nonnunquam Scribae nomen [20]), quamquam id saepissime omittitur, etiam

---

φανῶσαι Ναυσικλέα. Ibi pro infinitivo precativo indicativus: *ὅτι δοκεῖ*, propterea, credo, quia hoc Psephisma non est ipsa rogatio, sed actorum relatio, quam, cum rogatio de Nausiclis honoribus, ex auctoritate Senatus ad populum lata, statim a populo accepta esset, Callias, qui Senatus auctoritatem populo proposuerat, conscribendam a scriba curaverat, ut in tabulas publicas referretur. Itaque offendere nequit illud: *ὅτι δοκεῖ.*

18) Demosth. de Coron. p. 238. 249.

19) Omissa est haec designatio in Psephismate apud Iosephum. A. I. XIV. 16. Sed in Psephismate apud Plutarch. Vitt. X. Oratt. Tom. II. p. 852. *Ἐπὶ Ἀναξικράτους Ἄρχοντος ἐπὶ τῆς Ἀντιοχίδος ἐν τῇ πρυτανείᾳ* — scribendum est sine dubio aut *ἕκτης* aut *ἐνάτης Πρυτανείας.* Anaxicrates Archon erat Olymp. 118. 2.

20) Vid. Psephisma de Philetaero, Eumenis regis fratre, supra c. 2. a nobis adscriptum. Tribus *πρυτανεύουσα* in hoc Psephismate est Leontis, scriba autem Perithoedes, tribus Oeneidis. Quod nisi statuas, post Olymp. 118. 2. cum, additis duabus novis tribubus, Antigonide et Demetriade, permutata sit Demorum distributio, Perithoedes in alterutra ex his novis accensos esse, contrarium est hoc Psephisma eorum opi-

in Inscriptionibus; tunc mensis dies et Prytaniae, denique Epistatae[21]) et latoris nomina. Ipsa autem rogatio eandem solet habere formulam: *δεδόχθαι*, nonnunquam etiam *ἔδοξεν τῷ δήμῳ*, aut *τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ*, interdum etiam illud *ἀγαθῇ τύχῃ*. — Exemplum suppeditabit Inscriptio apud Chandlerum, quam Boeckhii humanitati debeo:

ΕΠΙ ΝΙΚΟΔΩΡΟΥ ΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΕΠΙ ΤΗΣ ΚΕΚΡΟΠΙΔΟΣ ΕΚΤΗ
Σ ΠΡΥΤΑΝΕΙΑΣ ΓΑΜΗΛΙΩΝΟΣ
ΕΝΔΕΚΑΤΗΙ ΕΚΤΗΙ ΚΑΙ ΕΙΚΟ
ΣΤΗΙ ΤΗΣ ΠΡΥΤΑΝΕΙΑΣ ΕΚΚΛΗ
ΣΙΑ ΤΩΝ ΠΡΟΕΔΡΩΝ ΕΠΕΨΗΦΙΣ
ΘΕΝ ΑΡΙΣΤΟΚΡΑΤΟΣ ΑΡΙΣΤΟ
ΔΗΜΟΥ ΟΙΝ ΚΑΙ ΣΥΜΠΡΟΕΔΡΟ
Ι ΘΡΑΣΥΚΛΗΣ ΝΑΥΣΙΚΡΑΤΟ
Σ ΘΡΙΑΣΙ ΕΙΠΕΝ ΔΕΔΟΧΘΑΙ ΤΩ
Ι ΔΗΜΩΙ[22]).

---

nioni, qui *τὸν κατὰ πρυτανείαν γραμματέα* (hic enim est, cujus nomen Psephismatis adscribi solet) semper e tribu *πρυτανευούσῃ* fuisse credunt. v. Corsin. F. A. Diss. IV. n. 18.

21) Constans est in his Psephismatis haec formula: *τῶν Προέδρων ἐπεψήφισεν ὁ δεῖνα*, nunquam: *ὁ δεῖνα ἐπεστάτει*. Quod autem etiam *οἱ συμπρόεδροι* memorantur, id eo factum est, quoniam sine horum consensu populus in suffragium ab Epistata mitti non poterat. — Illud quoque notandum est, quod in his Psephismatis post temporis designationem addi solet *ἐκκλησία*, aut *ἐκκλησία κυρία*, ut ap. Diog. Laert. Vit. Zenon. p. 441. et nonnunquam etiam ecclesiae locus, ut ap. Ioseph. l. l. *ἐκκλησίας γενομένης ἐν τῷ θεάτρῳ*. – Ceterum de levioribus in omni Psephismatum genere varietatibus nil nunc attinet dicere. Sane non semper scriptum est: *ἐπὶ τοῦ δεῖνος Ἄρχοντος* aut *ἐπὶ Ἄρχοντος τ. δ.*, sed etiam *ἐπὶ τ. δ.* omisso verbo: *Ἄρχοντος*, aut *τ. δ. Ἀρχ.* omissa praepositione, aut *κατὰ τ. δ. Ἄρχοντα*, etc. neque semper *φυλῆς πρυτανευούσης τ. δ.* sed etiam *πρυτανείᾳ φυλῆς τ. δ.* Haec aliaque ejus generis diligentissime congessit Biagius de Decret. Ath. c. VII. c. XII. c. XXVII. c. XXXI.

22) Lin. 7. *ΕΠΕΨΗΦΙΣΘΕΝ* corruptum pro *ἐπεψήφισεν*;

Hoc antiquissimum est hujus formae Psephisma, quod quidem mihi videre contigerit, scriptum Ol. CXVI. 3. Archonte Nicodoro, octo post devictas ab Antipatro Athenas annis, quo tempore, scilicet Olymp. CXIV. 3, mutata est reipublicae Atticae forma. Ac fortasse haec quoque in Psephismatum forma mutatio sub idem tempus fieri coepta est, quamquam ea levior erat sine dubio, quam nunc primo adspectu aliquis putet, quoniam, ex illis apud Demosthenem Psephismatis nullum ex omni parte integrum esse videtur.

Etenim quod supra dixi, nomen Epistatae, qui populum in suffragium misisset, in Psephismatis adscribi solitum esse, id in primo quidem ac tertio genere verum esse apparet; at in secundi generis Psephismatis, quae apud Demosthenem exstant, nullum est Epistatae nomen[23]). Tamen non desiisse illo tempore hunc morem, Epistatarum nomina consignandi, et per se ipsum veri simillimum est, et diserto Aeschinis testimonio confirmatur: *Καὶ γὰρ τοὺς χρόνους*, inquit, *καὶ τὰ ψηφίσματα καὶ τοὺς ἐπιψηφίσαντας ἐν τοῖς δημοσίοις γράμμασι τὸν ἅπαντα χρόνον φυλάττετε*[24]). Item alio loco scribam alloquitur: *Ἀνάγνωθί μοι, τίς ἦν ὁ ταῦτα γράψας, καὶ τίς ὁ ταῦτα ἐπιψηφίζων Πρόεδρος*[25]); Mirum autem, ubi consignata sint ista nomina Epistatarum, nisi in ipsis Psephismatis, de quibus populum in suffragium ire jusserant. Id-

---

ibid. *Αριστοκρατος* pro *Ἀριστοκράτης*, lin 8. *ΟΙΝ.* abbreviatum pro *Οἰνοεὺς* uti l. 10. *ΘΡΙΑΣ}-* pro *Θριάσιος; Ναυσικράτος* pro *Ναυσικράτους.*

23) Praeterquam in una lege ap. Demosthenem adv. Timocr. p. 723.

24) Aeschin. de fals. legat. p. 266. Assentior Reiskio, qui malit: *τὰ ψηφίσματα καὶ τοὺς χρόνους.*

25) Adv. Ctesiphont. p. 465.

circo putavit Dodwellus[26]), eos, qui in horum Psephismatum praescriptionibus nominantur Archontes, pro Prytanum Epistatis habendos esse, eamque opinionem hoc imprimis argumento corfirmari arbitratur, quod nemo ex iis omnibus in Fastis suo anno reperitur, quamquam sunt hi in hac quidem aetate integerrimi et satis certi. Nam qui apud Demosthenem nominatur Archon Demonicus, et nusquam apparet in Fastis, et adscriptus est Psephismati, quod scriptum videtur Olymp. CV. 3. cujus anni Eponymus est Cephisodotus[27]). Duo Psephismata, quibus inscriptus est Mnesiphilus, ad Olymp. CVIII. 2. pertinent, Archonte Eponymo Themistocle[28]). Tria, quibus Nicocles aut Neocles et Chaerondas, ad Olymp. CIX. 4. Eponymo Nicomacho[29]). Tria, quibus Heropythus et Nausicles, ad Olymp. CX. 2. Eponymo Lysimachide[30]). Unum, cui Eu-

---

26) De Cyclis. Dissert. III. sect. 41.

27) De Coron. p. 265. In Psephismatum temporibus definiendis secutus sum Corsinium, Fast. Att. Diss. VII. a quo ubi discessero semper in notis indicabo.

28) De Coron. p. 255 et 258. Scribitur quidem posteriore loco *Μνησίφυλος* non *Μνησίφιλος*; sed dubium esse non potest, quin haec recta sit scriptura.

29) Nicocles aut Neocles, de Coron. p. 249 et 250. Utroque loco libri inter *Νεοκλέους* et *Νικοκλέους* variant. Recte Reiskius utrobique *Νεοκλέους* reposuit. Chaerondas, de Coron. p. 253. Sed hoc Psephisma Corsinius ad Ol. CX. 1. refert. Sed bellum Euboicum Demosthenis consilio susceptum et feliciter gestum Ol. CIX. 4. expulsi tyranni, liberatae, quam ob rem et ab Atheniensibus et ab Euboeensibus honores Demotstheni decreti. Nequaquam autem credi potest, cum Ol. XIX. 4. bellum gestum esset, et quidem aestivo tempore, insequentis demum anni hieme, mense Gamelione, Psephisma latum esse de coronando Demosthene. cf. Diodor. XVI. c. 74.

30) De Coron. p. 282 et 288.

thycles, ad Olymp. CX. 3. Eponymo Chaeronda [31]. Unum, cui Polycles, ad Olymp. CIX. 3. Eponymo Sosigene [32]. His adnumerandi videntur Mnesithides, Chaerondas atque Xenias. Mnesithidis nomen apud Demosthenem exstat, e Psephismatis, ut puto, praescriptione repetitum. Loquitur orator de Amphictyonum bello contra Locros Amphissaeos, quod Aeschinis artificiis conflatum esse contendit. Dein, *λέγε δὴ*, inquit, *καὶ τοὺς χρόνους, ἐν οἷς ταῦτ' ἐγίγνετο· εἰσὶ γὰρ καθ' οὓς ἐπυλαγόρησεν οὗτος. λέγε. Χρόνοι. Ἄρχων Μνησιθείδης, μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος ἕκτη ἐπὶ δεκάτη* [33]. Haec ex eo Psephismate recitata esse puto, quod de Aeschine Pylagora creato conscriptum erat. Referendus itaque erit Mnesithides ille ad Ol. CX. 1. cujus anni Eponymus est Theophrastus [34]. — Chaerondas nominatur ab Aeschine: *Ἐπὶ γὰρ Χαιρώνδου Ἄρχοντος, Θαργηλιῶνος μηνὸς δευτέρᾳ φθίνοντος, ἐκκλησίας οὔσης, ἔγραψε ψήφισμα Δημοσθένης, ἀγορὰν ποιῆσαι τῶν φυλῶν Σκιῤῥοφοριῶνος δευτέρᾳ ἱσταμένου καὶ τρίτῃ, καὶ ἐπέταξεν ἐν τῷ ψηφίσματι ἑκάστῃ τῶν φυλῶν ἑλέσθαι τοὺς ἐπιμελησομένους τῶν ἔργων [ἐπὶ τὰ τείχη] καὶ ταμίας κ. τ. λ.* [35]. Hanc temporis designationem repetitam esse ex ipso Demosthenis Psephismate, dubitari nequit. Acta autem haec sunt aut Olymp. CX. 1. aut fortassis CX. 2. [36], certe ante

---

31) Ibid. p. 266. Secundum Corsinium ad Ol. CX. 2. a qua sententia, cur mihi discedendum putem, infra dicam.

32) Ib. p. 261.

33) Ib. p. 279. Obscurissima est omnis harum rerum historia propter Aeschinis et Demosthenis in ea tradenda repugnantiam, de qua dijudicanda, quoniam satis hoc loco dici nequit, praestat tacere, quam parum dicere.

34) Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 505. 506.

35) Adv. Ctesiphont. p. 420. sq.

36) Olymp. CX. 1. Archonte Theophrasto. cum bellum

CX. 3. quo anno Eponymus erat Chaerondas; illis autem annis, primo et secundo hujus Olympiadis, Eponymi erant, secundum Fastos, Theophrastus et Lysimachides. — Xenias denique nominatur a Plutarcho, vel quisquis is est, qui decem oratorum vitas conscripsit, in Hyperide[37]): *Γραψάμενος δὲ (ὁ Ὑπερίδης) τὴν Φωκίωνος δωρεὰν, ἣν εἶπε Μειδίας Μειδίου Ἀναγυράσιος ἐπὶ Ξενίου Ἄρχοντος, Γαμηλιῶνος ἑβδόμῃ φθίνοντος, ἡττήθη.* Haec e praescriptione Psephismatis Midiani esse, mihi quidem veri simillimum videtur. In Fastis autem ante Olymp. CXIV. 3. quo anno obiit Hyperides simul cum Demosthene, nullus est Xenias, sed septemdecim demum post annis, Olymp. CXVIII. 4.

Igitur hi omnes, qui Archontum nomine Psephismatis praescripti sunt, cum in Fastis aut plane non reperiantur, aut certe non iis annis, ad quos illa Psephismata referenda sunt, ex Dodwelli sententia pro Epistatis habendi sunt. Mirum sane com-

---

Philippi imminere videretur, Demosthenem legem tulisse scribit Philochorus (ap. Dionys. Hal. Epist. ad Ammaeum. p. 124. Sylburg.) *ναῦς πληροῦν καὶ τὰ ἄλλα ἐνεργεῖν τὰ τοῦ πολέμου.* Veri itaque simillimum est, eodem tempore etiam illud latum esse de muris reficiendis. Insequente autem anno, Olymp. CX. 2. Archonte Lysimachide, cum omnes republicae pecuniae bello jam non dubio necessariae viderentur, *τὰ μὲν ἔργα τὰ περὶ τοὺς νεωσοίκους καὶ τὴν σκευοθήκην ἀνεβάλοντο διὰ τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Φίλιππον.* Itaque illud quoque murorum reficiendorum opus dilatum esse videtur, et qui ejus curatores creati erant, dilato et imperfecto opere, neque abierunt munere, neque rationes reddiderunt, ideoque evenit, ut Demosthenes, qui unus erat ex curatoribus, cum iniisset munus Ol. CX. 2. initio (nam Ol. CX. 1. ad finem anni creatus erat) adhuc Olymp. CX. 3. mense Pyanepsione, quo tempore lata est Ctesiphontis lex de eo coronando, *Τειχοποιός* esset, Aesch. l. l. p. 400.

37) Tom. II. p. 850.

mentum, in quo illud primum est, quod maxime quemvis offendat, adeo incertas et promiscuas fuisse apud Athenienses magistratuum appellationes, adeoque varium et inconstantem etiam publicum loquendi usum, ut, qui alias semper, etiam in Psephismatis, *'Επιστάται* vel *Πρόεδροι* appellantur, et *ἐπιστατεῖν* ac *προεδρεύειν* dicuntur, iidem in ipsis tabulis publicis atque Psephismatis, eodem loco atque eodem nomine appellati sint, quo alias semper princeps novemvirorum appellari soleat. Nam quod apud Grammaticos nomina *Πρύτανις* et *'Επιστάτης* exponuntur vocabulo *"Αρχων*, id nihil huc pertinere, quivis intelligit. Dein, cum certum sit, Epistatarum munus unius diei spatio definitum fuisse, neque quemquam plus semel Epistatam esse potuisse, qui factum est, ut Mnesiphilus verbi causa, aut Heropythus pluribus ejusdem anni Psephismatis praescripti sint, quae non in iisdem, sed in diversis comitiis lata esse apparet? Denique, qui potuerunt Aeschines, Demosthenes et Plutarchus Epistatarum diurnorum nominibus pro anni designatione uti? Haec aliaque ejusmodi jam ab aliis satis exagitata sunt, neque quisquam est hoc tempore, qui non istam Dodwelli opinionem falsissimam esse censeat. Notissima autem est inter omnes, et a plerisque probata doctissimi et acutissimi Itali, Corsinii, sententia, moris fuisse, ut, si quando Archon Eponymus aut mortuus esset, aut abrogatus, aut aliqua causa impeditus, quo minus Senatui aut comitiis interesset, tunc aliquis e collegio, Rex aut Polemarchus aut unus e Thesmothetis illius vicem expleret, ac Senatui comitiisque praesideret, hujusque nomen, tantisper, dum Eponymi vice fungeretur, Senatus consultis ac Plebiscitis aliisque tabulis publicis, pro Eponymi Archontis nomine praescribe-

retur. At enim equidem magnopere dubito, an, post Solonis quidem aetatem, Archontes Senatus populique conventibus praeesse eosque moderari consueverint, id quod Corsinius vult[38]). Nemo est e veteribus, qui hoc doceat. Proedris eorumque Epistatae primas in Senatu et comitiis partes tribuunt omnes, Archontibus vix ullas. Nam quod Pollux tradit[39]), accusationes illas, quae *εἰσαγγελίαι* dicebantur, ad populum relatas esse per Thesmothetas, id et semel fiebat in prima cujusque Prytaniae ecclesia, et ad Eponymum nihil attinebat, et diversum est a Praesidum officio. In Strategorum creatione Archontum quaedam erant partes, et praecipuae quidem, unde ipsi a Polluce dicuntur *Στρατηγοὺς χειροτονεῖν*; sed hoc semel fiebat quotannis; item magistratuum *ἐπιχειροτονίαν*, quae semel in prima cujusque Prytaniae ecclesia institui solebat, administrabant Archontes; non tamen idcirco praesedisse comitiis dici possunt[40]). Fortassis etiam, ubi calculorum suffragia lata erant, id quod rarius fieri solebat, diribitorum officio fungebantur. Denique ecclesiastica merces a Thesmothetis dividebatur. Sed reliqua omnia in comitiis munera Proedrorum erant, non Archontum; in Senatu hi ne poterant quidem praesidere. Senatus enim quotidie agebatur, exceptis feriis; ipsis autem quotidie exercenda erant judicia, neque utroque munere simul fungi poterant. — Itaque haec quidem Corsiniana sententia, illorum Archontum nomina, qui Eponymorum loco Senatui comitiisve praefuissent, Decretis ac tabulis publicis adscripta esse pro Eponymorum nominibus, mihi

---

38) Fast. Att. Diss. I. no. 24.

39) Lib. VIII. sect. 87. et 95.

40) Ib. s. 87 et 95.

quidem probari non posse videtur. Illud certum est, non aliam propter causam Archontis nomen tabulis publicis inscribi solitum esse, nisi ad designandum annum, quo quaeque res acta esset; neque illius Archontis nomen adscriptum esse, qui ei rei agendae interfuisset, aut praefuisset, sed Eponymi, qui eo tempore novemvirorum princeps erat, qui propter id ipsum ita appellabatur, quod ejus nomine annus designabatur, non in publicis solum scriptis, sed vulgo in omnibus, in quibus temporis quaedam designatio opus erat. Sed cum permultae tabulae publicae, uno eodemque anno conscriptae, non unius alicujus, sed diversorum Archontum nomina praescripta habeant, de his aliter non posse statui videtur, nisi ita: interrupto nonnunquam, quacunque de causa, Archontis Eponymi officio, atque ea potestate, quam per annuum tempus unus habere debebat, inter plures distributa, sive e novemvirorum collegio illi fuerint, sive Eponymo substituti ἐπιλαχόντες aut etiam subrogati, etiam anni partes non illius, qui initio anni Eponymus fuerat, cujus nomen Fasti indicare solent solum, sed eorum, qui postea in illius locum successerant, nominibus designatas esse, prout quisque quoque tempore eam potestatem habuerat. Hanc eandem fere sententiam Corsinius quoque primum amplexus erat, post autem repudiavit, et illam alteram, quam supra exposui, et mihi non probari significavi, probabiliorem putavit. Sed confirmari aliquatenus certe haec posse videtur iis argumentis, quibus Corsinius[41]) ad hanc ipsam probandam usus erat. Nam nihil facilius, depravatis praesertim Atheniensium moribus, fuisse videtur, quam ut Archontum ali-

41) Fast. Att. Dissert. VII. no. 13.

quis, veluti muneris indigne gesti reus, ab aliquo vel sycophanta vel etiam honesto cive publicique boni studioso delatus, in illa Archontum ἐπιχειροτονίᾳ, quae singulis Prytaniis institui solebat, munere abdicare cogeretur, ut illi proinde Archon alius sufficeretur. Poterat illud quoque evenire, ut Archon vel morbo vel alia causa non in totum annum, sed in aliquod tempus, a munere fungendo impediretur, ideoque in illud tempus tantisper alius substitueretur, qui illius vicem expleret, et cujus nomen tamdiu publicis tabulis adscriberetur, donec ille prior rursus munere suo fungi posset. — Quamquam fatendum est, etiamnum restare difficultates, quibus merito quis offendatur. Nam sane permirum illud videri debet, tam saepe evenisse, ut Eponymus Archon ante tempus magistratu decederet, ut non solum in omnibus illis Psephismatis, quae sunt undecim, aut si illa quoque de Mnesithide et Chaeronda apud Demosthenem atque Aeschinem numeres, tredecim, quae omnia viginti annorum spatio scripta sunt, ab Olymp. CV. 3. ad CX. 3., suffectorum Archontum nomina adscripta sint, sed etiam ut illud bis aut ter[42]) uno

42) Non quinquies, ut Corsinius vult, cujus haec est de hujus anni, Ol. CX. 2. Archontibus sententia.

1) Lysimachides, in Fastis.

2) Euthycles, Pyanepsion. d. 22. in Psephism. ap. Dem. de Cor. p. 266.

3) Chaerondas, Elaphebol. d. 6. in Aeschinis libello. ibid. p. 243.

4) Heropythus, Elaphebol. d. 25. et Munych. d. 29. ibid. p. 182.

5) Nausicles. Scirrhophor. d. 16. ibid. p. 188.

6) Lysimachides, ad finem Scirrhophorionis. Nam cum Dionysius doceat, Atheniensium legatos, quos Demosthenes mittendos censuerat d. 16. Scirrhophor. Lysima-

anno accidisse putandum sit, ut v. c. Olymp. CX. 2. cum anni principio Eponymus esset Lysimachides, cujus nomen in Fastis consignatum est, hic aliquot post mensibus magistratu abiret, hujus autem successori, Heropytho, idem faciendum esset

---

chide Archonte, Thebas venisse, ex eo colligit Corsinius, Lysimachidem etiam post Nausiclem, i. e. post d. 16. Scirrhoph. Eponymum fuisse oportere; quod ego contra existimo. Dionysius enim, et quem is sequitur, Philochorus, annum illum ab uno Eponymo, Lysimachide, qui primus eo anno hunc magistratum gesserat, denominant, ut semper solent historici unius tantum Eponymi nomen habere; non autem inde consequitur, Lysimachidem vere in magistratu fuisse illo anni tempore, et Nausiclem, ante anni finem, munere fungi desiisse. Non igitur bis, sed semel tantum in illa tabula ponendus erat Lysimachides. — Euthyclem autem non magis quam Chaerondam ad hunc annum pertinere puto. Recte enim Taylorus (Praefat. ad Aesch. adv. Ctesiph.) ex ipso Aeschine, cujus in hac re sine dubio multo major esse debet auctoritas, quam Ciceronis et Plutarchi, ex ipso igitur Aeschine probavit contra Corsinium, Ctesiphontis illud Psephisma de coronando Demosthene, cui inscriptus est Archon Euthycles, itemque Aeschinis libellum, cui inscriptus est Chaerondas, non ante sed post pugnam Chaeronensem scripta esse, Ol. CX. 3. cujus anni Eponymus in Fastis est Chaerondas. Sed cum eo anno, mense Pyanepsione, Archon nominetur Euthycles, post autem, mense Elaphebolione in Aeschinis libello, Chaerondas; statui debet, interrupto aliqua de causa, morbo fortassis, Chaerondae munere, Euthyclem in ejus locum tantisper successisse, donec ille iterum munus suum suscipere posset. — Itaque Eponymorum Ol. CX. 2. haec evadit series:

1) Lysimachides, in Fastis.
2) Heropythus, Elaphebol. d. 25 et Munych. d. 29.
3) Nausicles, Scirrhophor. d. 16.

Tres igitur hoc anno fuerunt Eponymi; totidem etiam Ol. CIX. 4.

brevi post tempore, ut, cum duobus Psephismatis, Elaphebolione et Munychione scriptis, Heropythi nomen inscriptum sit, post, mense Scirrhophorione, non hujus, sed Nausiclis nomen in Psephismate legatur. Quodsi cui tanta haec difficultas esse videtur, ut propter eam omnem hanc sententiam repudiandam putet; dum ne istam priorem Corsinianam potiorem credat, ego quidem non magnopere repugnabo; neque enim id mihi sumo, ut eam pro certa et indubitata venditem, sed tamen certius aliquid et veri similius inveniri posse despero, et desperabunt, puto, mecum omnes, qui hanc quaestionem diligentius tractaverint.

Sed tempus est, eo, unde digressi sumus, reverti. Epistatarum igitur nomina in omnibus apud Demosthenem Psephismatis non adscripta sunt; neque tamen omissum esse illo tempore hunc morem, credi potest. Itaque, cum Dodwelli opinio probari nequeat, aliud nihil suspicari possumus,

---

1) Nicomachus, in Fastis.

2) Neocles, Boedrom. d. 30. ap. Dem. de Cor. p. 249. 250.

3) Chaerondas, Gamelion. d. 25. ib. p. 253.

Plures autem quam tres uno anno Eponymi nunquam reperiuntur, quod si perspexisset Corsinius, non, puto, priorem suam de his Archontibus sententiam cum illa posteriore de Pseudeponymis, permutandam putasset. — Fortassis autem hoc alicui mirum videbitur, quod in nullo ex hac aetate Psephismatis idem qui in Fastis est, Eponymus reperitur, quod tamen casu evenisse potest; cum in posterioris aetatis Psephismatis consignati sint Eponymi, veluti Nicodorus, Agathocles, qui iidem etiam in Fastis exstant. Quamquam si plura ex his essent unius annis, forsitan in iis quoque suffecti Archontes exstarent, neque affirmari potest, utrum Arrhenides v. c. aut Dionysius suffecti sint, nec ne, quoniam ab Ol. CXXI. Fasti incerti sunt ac mutili.

nisi hoc, omissa ea esse a scriptore, in ipsis vero *αὐτογράφοις* non defuisse; quae quidem conjectura confirmari posse videtur eo, quod una saltem lex superest apud Demosthenem in qua nominatur Epistata:

Ἐπὶ τῆς Πανδιονίδος πρώτης, τῆς Πρυτανείας δωδεκάτῃ, τῶν Προέδρων ἐπεψήφισεν Ἀριστοκλῆς Μυῤῥινούσιος, Τιμοκράτης εἶπε. κ. τ. λ.[43]).

quamquam haec eadem lex paullo ante adscripta est sine Epistatae nomine[44]):

Ἐπὶ τῆς Πανδιονίδος πρώτης, δωδεκάτῃ τῆς Πρυτανείας, Τιμοκράτης εἶπε.

Itaque, quod in hac lege factum videmus, quidni in Psephismatis quoque factum esse statuamus. Nam illud quidem nemo mihi objiciat, legem hanc esse, non in comitiis latam, sed in Nomothetarum conventu, neque proinde ex ea de Psephismatum in comitiis latorum forma conjecturam recte capi posse. Cum enim omnia in istis Nomothetarum conventubus ad verae ecclesiae instar peragi solerent, dubitari non potest, quin legum quoque in iis latarum eadem fuerit forma ac Psephismatum, quae in comitiis perferebantur. Praeterea exstat lex apud Andocidem[45]), cujus eadem plane est praescriptio, quae solet esse illius aetatis Psephismatum.

Sed in eadem illa Timocratis lege etiam Prytaniae numerus ac dies designatur. Quodsi in Psephismatum quoque *αὐτογράφοις* ejusmodi designationem fuisse statuimus, sed omissam in describendo

---

43) Adv. Timocrat. p. 723.

44) Ibid. p. 712.

45) De Myster. p. 13.

a Demosthene, jam nulla fere restat hujus atque tertii generis Psephismatum diversitas, id quod jam supra innui, cum dicerem, leviorem esse istam mutationem, quae Olympiade circiter CXIV. facta esse videretur, quam quis primo adspectu arbitraretur.

CAPUT XIII.

De Comitiis dimittendis.

Peractis omnibus rebus, quarum causa populus convenerat, dimittebantur comitia ab iisdem, a quibus convocata fuerant, Prytanibus, per praeconem. Ita Aristophanes in Acharnensibus praeconem facit dicentem:

Τοὺς Θρᾷκας ἀπιέναι, παρεῖναι δ' εἰς ἔνην·
οἱ γὰρ Πρυτάνεις λύουσι τὴν ἐκκλησίαν[1]).

Sin ad omnia peragenda unus dies non sufficeret, duobus nonnunquam diebus continuis comitia habebantur[2]). Atque, sicut apud Romanos, ita apud Athenienses quoque haud dubie nefas erat, post solis occasum cum populo agere; coibat certe populus nunquam non matutino tempore, non diu post solis ortum[3]), illudque tempus comitiorum legitimum apud omnes Graecos fuisse videtur. Nam Homerus quoque, cum Agamemnonem et Menelaum

---

1) Acharn. v. 171. *λύειν* et *διαλύειν τὴν ἐκκλησίαν* propria hac in re sunt verba. v. Aristoph. Eccles. 377. Aeschin. de fals. leg. p. 262.

2) Aeschin. de fals. leg. p. 243. adv. Ctesiphont. p. 458.

3) Aristoph. Thesmophor. v. 375. Ecclesiaz. v. 85. et 290. Acharn. v. 20.

narrat Achaeos vespertino tempore convocasse, eos temere ait ac contra ordinem fecisse[4]):

— καλεσσαμένω ἀγορὴν ἐς πάντας Ἀχαιούς,
μάψ, ἀτὰρ οὐ κατὰ κόσμον, ἐς ἠέλιον καταδύντα.

Dirimebantur autem comitia etiam propter obnuntiationem, si quis nunciaret se de coelo servasse, tonitru audivisse, fulmen vidisse; propter imbrem, terrae motum, aliasque res, quae διοσημίαι vocabantur[5]). Neque a magistratubus solum, ut apud Romanos, sed a privatis quoque obnuntiari poterat; id quod Dicaeopolis facit apud Aristophanem[6]):

Ἀλλ' ἀπαγορεύω μὴ ποιεῖν ἐκκλησίαν
τοῖς Θρᾳξὶ περὶ μισθοῦ. λέγω δ' ὑμῖν, ὅτι
διοσημί' ἐστι, καὶ ῥανὶς βέβληκέ με.

Plures ejusmodi διοσημίαι enumerantur apud eundem poetam a Nubium choro[7]):

ἢν γὰρ ᾖ τις ἔξοδος
μηδενὶ ξὺν νῷ, τότ' ἢ βροντῶμεν ἢ ψεκάζομεν.
Εἶτα τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν βυρσοδέψην Παφλαγόνα
ἡνίχ' ᾑρεῖσθε στρατηγόν, τὰς ὀφρῦς συνήγομεν
κἀποιοῦμεν δεινά· βροντὴ δ' ἐῤῥάγη δι' ἀστραπῆς·
ἡ σελήνη δ' ἐξέλιπε γε τὰς ὁδούς· ὁ δ' ἥλιος
τὴν θρυαλλίδ' εἰς ἑαυτὸν εὐθέως συνελκύσας
οὐ φανεῖν ἔφασκεν ὑμῖν.

Atque huc referri possunt etiam hi ejusdem poetae versus[8]):

σεισμὸς εἰ γένοιτο πολλάκις
ἢ πῦρ ἀπότροπον, ἢ διάξειεν γαλῆ,
παύσαιντ' ἂν εἰσφέροντες, ὦ 'μβρόντητε σύ.

Propter terrae motum dirempta esse comitia, Thu-

---

4) Odyss. Γ. v. 137.
5) cf. Suid. s. v.
6) Acharn. v. 168.
7) Nub. v. 579. sqq.
8) Ecclesiaz. v. 786.

cydides quoque testatur: *σεισμοῦ δὲ γενομένου, πρίν τι ἐπικυρωθῆναι, ἡ ἐκκλησία αὕτη ἀνεβλήθη*[9]).

Sed si propter ejusmodi causam maturius, necdum peractis negotiis neque facto plebiscito, comitia dimittenda fuerant, alio et quidem proximo nonnunquam die iterum convocabatur populus, ut de iisdem rebus consultaret[10]).

Jam, antequam huic libro finem imponam, reliquum est, ut de loco Andocideo, qui a Reiskio et fortassis ab aliis quoque de comitiorum dimittendorum more falso acceptus est, quaedam a me disputentur. Est is in oratione de Mysteriis, ubi exponit orator, cum indicia quaedam de Mysteriis profanatis Hermisque truncatis facta essent, multique, qui ab indicibus delati essent, comprehensi et in vincula dati aut supplicio affecti, necdum finis inquirendi fieret, quanta tunc omnium civium animis formido injecta sit. *Καὶ ἡ πόλις*, inquit, *οὕτω διέκειτο, ὥστ' ἐπειδὴ τὴν βουλὴν εἰς τὸ βουλευτήριον ὁ κήρυξ ἀνείπῃ ἰέναι καὶ τὸ σημεῖον καθέλῃ, τῷ αὐτῷ σημείῳ ἡ μὲν βουλὴ εἰς τὸ βουλευτήριον ᾔει, οἱ δ' ἐκ τῆς ἀγορᾶς ἔφυγον, δεδιότες εἷς ἕκαστος, μὴ συλληφθείη*[11]). Difficilis est quaestio, quid sit illud *σημεῖον* quod ab oratore memoratur. Reiskius quidem, *signum* interpretatur, *quod quamdiu esset sublatum, concio manebat, detracto autem, concio dissoluta erat. Tale quid*, inquit, *etiam apud Romanos in comitiis obtinuit.* Cogitavit nimirum de illo Romanorum more, centuriatis comitiis praesidii sub vexillo in arce collocandi, cum populus esset in

9) Thucyd. V. 45. cf. Plutarch. Nic. c. 10.

10) Thucyd. l. l. c. 46. cf. Schol. ad Aristoph. Acharn. v. 171.

11) De Myster. p. 6. 5. Steph.

suffragiis ferendis occupatus[12]). Sed longe diversa horum comitiorum ratio erat ab Atheniensium ecclesia. Nam vexillum, ut ait Servius[13]), in arce poni solebat, quod esset specimen imperati exercitus. Exercitum autem imperare nihil aliud est, quam convocare populum dispositum per centurias, et sub signis partem in Campum Martium ducere ad suffragia ferenda, alios praesidii causa locare in arce, h. e. in Janiculo[14]). Neque sine tali praesidio fas erat centuriata comitia haberi, quocirca, si quando, detracto vexillo, praesidium discessisset, comitia dissolvi necesse erat, quemadmodum in Rabirii judicio factum esse legimus, ut Metellus, avulso vexillo, comitia dirimeret, populumque ante lata suffragia discedere cogeret[15]). Neque tamen is legitimus atque ordinarius erat comitiorum dimittendorum modus. Legitimum hoc erat, ut magistratus cum solenni formula: Si vobis videtur, discedite Quirites[16]), populum abire juberet; quo facto simul illi discedebant et praesidium cum vexillo ab arce descendebat. Sed apud Athenienses nullum cum vexillo praesidium propter comitia in arce collocari solebat; itaque, etiamsi fortassis signum aliquod comitiorum, sive illud vexilli simile fuerit, sive alia quapiam forma, proponi consueverit, de quo paullo post videbimus, non debuit is mos cum diverso Romanorum more comparari.

Haec eadem fere contra Reiskium nuper disputavit vir et ingenii subtilitate et doctrinae copia

---

12) Laetus Felix, ap. Gell. N. A. XV. 27.

13) Ad Virgil. Aeneid. VIII. 1.

14) Verba sunt Gronovii, quem conf. Observatt. I. 1.

15) Dio. Cass. XXXVII. 27. 28.

16) Cf. Brisson. de Formull. lib. II. p. 191.

summus, Augustus Boeckhius, atque aliam de isto *σημείῳ* conjecturam proposuit[17]), doctissimam quidem et ingeniosissimam, neque tamen, meo judicio, ex omni parte probabilem. An probabiliora sint, quae a me nunc proferentur, aliorum sit existimatio, neque aequiorem mihi judicem quemquam fore, quam ipsum Boeckhium, certe scio.

Jam primum illud a Boeckhio satis probatum est, neque dubium esse potest cuiquam, qui Andocidis locum paullo accuratius totum perlegerit, nullam esse eo loco comitiorum mentionem. Atque vel haec ipsa verba: *οἱ δ' ἐκ τῆς ἀγορᾶς ἔφυγον*, rem in foro actam esse demonstrant, non in comitiis; neque enim solent unquam hujus aetatis Attici *ἀγοράν* vocare comitiorum locum. Mihi quidem certum videtur, illa Andocidis verba: *καὶ ἡ πόλις οὕτω διέκειτο κ. τ. λ.* non id, quod semel uno quodam die, sed quod per illud omne tempus, dum istae quaestiones exercebantur, saepius fieri solitum sit, indicare; sicut alibi quoque, de iisdem rebus loquens, dicit: *Ἀναμνήσθητε, ἐν οἵῳ κινδύνῳ καὶ ἀμηχανίᾳ καθέστατε, καὶ ὅτι οὕτω σφόδρα σφᾶς αὐτοὺς ἐφόβησεν, ὥστ' οὐδ' εἰς τὴν ἀγορὰν ἔτι ἐξῄειτε, ἕκαστος ὑμῶν οἰόμενος συλληφθῆναι*[18]).

Itaque, cum ad comitia illud *σημεῖον* nihil pertineat, putat Boeckhius, id esse publicum civitatis sigillum, quo obsignari curiae fores solerent. „Igitur," inquit, „quoties Senatus in curiam introiret,

---

17) In Indice lectionum univers. Berolin. p. semestre aestivum, 1817.

18) Andocid. de reditu suo, p. 20, 57. Steph. — Itaque nostro loco, pro conjunctivis, *ἀνείπῃ* — *καθέλῃ*, manifesto falsis, scribendi videntur optativi: *ἀνείποι*, *καθέλοι*.

sigillum revellendum jussu Prytanum per praeconem erat eundem, qui paullo ante Senatores in foro convocaverat: quod nostro judicio est *τὸ σημεῖον καθελεῖν*." Atque quod obsignatas curiae fores esse putat, id quidem mihi quoque vero non absimile videtur. Illud quoque lubens concedo, durum non esse, quod in sequentibus idem vocabulum *σημεῖον* diversa significatione dictum sit. Cur enim Andocides lusum istum in *ὁμωνυμίᾳ* sua sponte oblatum fastidiose vitaverit, quem Cicero studiose arripuit, cum ad Atticum scribens: „Illa signa," inquit, „non bona, si cum signis legiones veniunt e Gallia"[19]). — Sed hoc, fateor, mirum mihi videtur, Andocidem ea locutione usum esse, qua de aperiendis foribus, etiam obsignatis, nemo, quod sciam, uti solet, repudiasse eam, qua vulgo omnes utuntur. Nam Demosthenes quoque, duobus illis locis, quos Boeckhius ipse designavit, *ἀνοίγειν τὴν θύραν* dicit, quamquam fores obsignatae erant[20]). Dein dicitur quidem *ἀφελεῖν τὸ σημεῖον*, sigillum avellere; sed an *καθελεῖν τὸ σημεῖον* dici possit, equidem magnopere dubito; quippe nec de superiore loco detrahebantur ejusmodi sigilla, neque vero subvertebantur.

Mea autem de hoc apud Andocidem *σημείῳ* conjectura haec est: fuisse illud signum quoddam, quacunque demum forma, sed vexillo, ut puto, simi-

---

19) Cic. ad Attic. XIV. ep. 5.

20) Demosth. in Phaenipp. p. 1039. *Ἀντὶ δὲ τοῦ τὰ σημεῖα ἐᾶν τῶν οἰκημάτων, ἃ παρεσημηνάμην, ἐλθὼν εἰς ἀγρὸν ἀνέῳξε, καὶ τὰς κριθὰς ἐξεφόρησε.* Ibid. p. 1041. *παρεσημηνάμην τὰ οἰκήματα, τοῦ νόμου μοι δεδωκότος· οὗτος ἀνέῳξε. καὶ τὸ μὲν ἀφελεῖν τὸ σημεῖον, ὁμολογεῖ· τὸ δὲ ἀνοῖξαι τὴν θύραν, οὐχ ὁμολογεῖ, ὥσπερ ἂν ἄλλου τινὸς ἕνεκα τὰ σημεῖα ἀφαιροῦντας, ἢ τοῦ τὰς θύρας ἀνοῖξαι.*

le, quo sublato indicaretur, tempus jam esse, ut Senatores convenirent, detracto autem, cum omnes jam convenissent, et a praecone vocati, curiam introiissent, ii, qui sero venirent, aditu prohiberentur. In judiciis certe tamen morem obtinuisse, Aristophanes innuit, his versubus, in Vespis[21]):

ὅστις ἂν ὑμῶν
ὕστερος ἔλθῃ τοῦ σημείου, τὸ τριώβολον οὐ
κομιεῖται.

῾Ως ἔθους ὄντος, inquit Scholiastes, πρὸς σημεῖόν τι ἐκκείμενον ἀθροίζεσθαι τοὺς δικαστάς. Et qui sero venirent, exclusos esse, ex his ejusdem fabulae versubus colligi potest, ubi Bdelycleon, praeconis personam gerens, haec ait[22]):

Εἴ τις θύρασιν ἡλιαστής, εἰσίτω·
ὡς ἡνίκ' ἂν λέγωσιν, οὐκ εἰσφρήσομεν.

Itaque in Senatus quoque consessubus simile quid obtinuisse arbitror.

Sed, ut ad comitia revertar, in his quoque σημείου mentio fit ab Aristophane, apud quem in Thesmophoriazusis Euripides muliebrem concionem jam convenire intelligit e signo in Thesmophorio sublato[23]):

῎Εκσπευδε ταχέως· ὡς τὸ τῆς ἐκκλησίας
σημεῖον ἐν τῷ Θεσμοφορίῳ φαίνεται.

Hoc quoque signum sublatum esse puto, ut tempus conveniendi significaretur; id quod Suidas quoque confirmat[24]). ῞Οτε δὲ, inquit, ἔμελλε γίνεσθαι ἐκκλη-

21) Vers. 687. (689. Br.)

22) Vesp. v. 891. Br.

23) Thesmophor. v. 277. Br.

24) Suid. in σημεῖον.

σία, σημεῖον ἐτίθετο. οὕτως οὖν καὶ τῶν γυναικῶν μελλουσῶν ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις ἐκκλησιάζειν, σημεῖον ἐτέθη. Videtur itaque Aristophanes hoc loco, ut alias saepissime, verae ecclesiae morem in ludicro mulierum conventu expressisse.

DE

COMITIIS ATHENIENSIUM
LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De rerum in comitiis tractatarum generibus.

Cum superiore libro agendorum comitiorum rationem et quasi formam externam descripserimus, nunc jam de rerum generibus, quae in iis tractata sint, et qualem potestatem populus in iis exercuerit, quam poterimus accuratissime exponendum est. Quamquam fieri vix potest, ut omnia certo definiantur, cum ne legum quidem praescriptiones certae et immutabiles hoc in genere fuisse videantur, sed variatum esse in Senatus populique potestate negotiisque ab utrovis administrandis, pro rerum ac temporum varia conditione. In universum tamen illud statui debet, nullam fuisse rem, quae quidem aliquo modo ad summam rempublicam pertinere totiusque civitatis interesse videretur, cujus non summum arbitrium universo populo permissum fuerit, ita certe, ut, si non de omnibus ipse consuleret et decerneret, id quod in tanta maximorum negotiorum multitudine ac varietate ne potuit quidem fieri, tamen aut ipse suam potestatem aliis permitteret ac mandaret[1]), aut, si quando opus esse videretur, sibi ipsi eam exercendam sumeret.

---

1) Huc pertinet, quod nonnunquam legimus Senatum a po-

Sed illarum rerum, quae ad summam rempublicam pertinent, tria genera ab Aristotele definiuntur: bellum, pax, foedera, societates; leges ferendae aut abrogandae; judicia exercenda de capite civium, i. e. de morte aut exsilio, et de bonorum publicatione, denique de rationibus a magistratibus repetendis[2]). Sed sunt praeterea aliae quoque res, quae Athenis quidem non minus quam illae a populo in comitiis administrari solebant, velut tributorum et vectigalium imponendorum expendendarumque publicarum pecuniarum ratio, praemia civibus aut etiam peregrinis bene de republica meritis decernenda, quo pertinet etiam civitatis jus peregrinis impertiendum, festorum quoque nonnunquam et sacrorum publice celebrandorum arbitrium, denique multae res, quae subinde incidere solent, neque facile certis generibus nominibusque comprehendi possunt. In universum autem omnes res, quarum summum est penes universum populum arbitrium, ad quatuor genera redigi posse videntur: nam aut judicia exercentur a populo, aut leges feruntur, aut de bello paceque et commerciis cum exteris civitatibus decernitur, aut interna reipublicae administratio procuratur.

Atque harum omnium rerum potestas aut tota erat penes universum populum, aut ex parte tantum, atque aut semper et ordine, aut nonnunquam tantum et extra ordinem a populo exercebatur. Nam

---

pulo *κύριον* alicujus rei factum esse. Demosth. de fals. leg. p. 389. aut Areopagum. Dem. de coron. p. 271. et quod Philocleon ait apud Aristophanem, Vesp. v. 588:

Ἔτι δ' ἡ βουλὴ χὠ δῆμος ὅταν κρῖναι μέγα πρᾶγμ' ἀπορήσῃ
Ἐψήφισται τοὺς ἀδικοῦντας τοῖσι δικασταῖς παραδοῦναι.

2) Aristot. Polit. IV. 14.

judicia quidem ordinaria, non minus publica et capitalia, quam privata, nunquam non ab Heliastis aliisve judicibus ordinariis, sorte lectis, nunnulla etiam ab Areopagitis Ephetisque haberi solebant; extraordinaria tantum a Senatu populoque. Legum ferendarum abrogandarumque ea erat ratio antiquitus descripta, quae minorem hujus rei potestatem universo populo, majorem Nomothetis a populo creatis permitteret; quamquam extremis temporibus saepissime discessum est ab hac ratione. De ceteris rebus non facile est definire, quomodo in singulis Senatus potestas a populi potestate discreta fuerit; illud tamen in universum affirmari posse videtur, majorum rerum omnium summum arbitrium penes populum solum fuisse, in minoribus tantummodo Senatus auctoritatem satis valuisse, neque populi suffragio opus fuisse, ut rata fierent Senatusconsulta[3]).

Ceterum a Julio Polluce haec enumerantur rerum in comitiis tractari solitarum genera. In prima

---

3) Distinguit Ulpianus, ad Demosth. or. adv. Aristocrat. p. 417. inter ea Senatusconsulta, quae populi confirmatione egent, et ea, quibus illa non opus est: atque haec, inquit, erant *ἐπέτεια*; illa non item. *ὅσα μὲν οὖν ἴδια τῆς βουλῆς ψηφίσματα ἦν, ταῦτ' ἦν ἐπέτεια, καὶ συνανῃρεῖτο τῇ βόυλῇ μετ' ἐνιαυτὸν παυομένῃ. ὅσα δὲ ἀπὸ τῆς βουλῆς ἔδει πρὸς τὸν δῆμον πεμφθῆναι, καὶ τὸ κῦρος παρ' αὐτοῦ λαβεῖν, ταῦτα οὐκ ἦν ἐπέτεια.* Sed ex ipso orationis contextu apparet, vanam esse hanc distinctionem, atque omnia omnino Senatusconsulta, etiam ea, quae proprie erant Probuleumata, minimum annua fuisse, nisi si populus in comitiis aliquid contrarii scivisset. Tunc enim statim irrita fuisse Senatusconsulta, sua quisque sponte intelligit. Exstant tamen hodieque Senatusconsulta, quae supra annuum tempus valere debuisse, et ex ipso eorum argumento evinci videtur, et ex eo, quod lapidibus inscripta sunt. vid. Biagi de Decret. Athen. cap. XX.

cujusque Prytaniae ecclesia, quae *κυρία* dicebatur[4], *ἐπιχειροτονία* instituebatur magistratuum, quibus, si male fungi munere suo viderentur, honor abrogabatur; extraordinariorum criminum delationes, *εἰσαγγελίαι*, ad populum deferebantur; bonorum publicatorum tabulae recitabantur; hereditates a civibus captae populo renuntiabantur. In secunda ecclesia concio dabatur iis, qui, supplici ramo proposito, de privatis aut publicis rebus dicendi veniam poscebant. In tertia exterarum civitatum caduceatores et legati ad populum producebantur. In quarta denique de aliis rebus sacris publicisque tractabatur[5].

Sed quod in quibusdam civitatibus, quae aristocratico magis quam populari imperio utebantur, velut apud Lacedaemonios, cautum fuisse accepimus[6], ut omnis populi in comitiis potestas in confirmandis suffragio suo aut rejiciendis Senatusconsultis versaretur, neque liceret cuiquam e populo sententiam proponere Senatus auctoritati contrariam: id multo aliter Athenis fuisse jam supra vidimus. Ne tamen nimis libera esset et effrenata potestas demagogorum seditiosorumque hominum eloquentia in concionibus dominantium, duo erant remedia a Solone sapientissime excogitata: alterum, ne quod Psephisma a quoquam ad populum ferretur, nisi comprobatum antea a Proedris Nomophylacibusque, suggestui assidentibus[7]; alterum autem, ut, qui legem inutilem aut perniciosam tulisset, male rogatae legis, *παρανόμων*, accusari posset a quo-

---

4) Vid. supr. Lib. I. cap. 1.

5) Iul. Pollux VIII. 95. cf. Harpocrat. v. *κυρία ἐκκλησία*.

6) Plutarch. Lycurg. c. 6.

7) V. supr. Lib. I. cap. XI.

libet cive, condemnatoque latore, lex quoque, quam tulisset, irrita esset. Atque de hac quidem actione, s. γραφῇ παρανόμων, pauca praemonenda videntur, antequam ad reliqua singulatim exponenda accedamus.

CAPUT II.

De actione legum male rogatarum.

Γραφὴ παρανόμων.

Primum igitur, si quis in Psephismate ad populum lato sibi videbatur aliquid animadvertisse, quod veteribus legibus contrarium aut bono publico alienum esset, aut aliquo nomine juste reprehendi posset, licebat ei surgere, et male rogatae legis postulaturum se esse latorem coram populo profiteri et jure jurando interposito adfirmare. Vocatur autem illud jusjurandum ὑπωμοσία, quod vocabulum proprie designat jusjurandum quodlibet, quo rei alicujus dilatio et comperendinatio petitur. Ita in judiciis, si quis dilatoria exceptione utitur, jusjurandum, quo adigitur, ὑπωμοσία, dicitur. *Τὸ ὑπερτίθεσθαι*, inquit Harpocratio, *δίκην, προφάσει χρώμενον ἀποδημίᾳ, ἢ νόσῳ, ἤ τινι τῶν παραπλησίων μεθ᾽ ὅρκου, οὕτως ἐλέγετο· καὶ τὸ ποιεῖν τοῦτο ὑπόμνυσθαι, ὡς ἔκ τε ἄλλων δῆλον, καὶ ἐκ τοῦ Δημοσθένους κατ᾽ Ὀλυμπιοδώρου λόγου*[1]). Itaque cum in comitiis quoque, qui sese juraret latorem legis reum esse factu-

---

1) Harpocr. s. v. ὑπωμοσία. cf. ib. Vales. p. 192. Demosthenis locus, quem designat Harp., est: in Olympiod. p. 1174. Ceterum optime de variis ὑπωμοσίας generibus egit Hudtwalcker de Diaetetis. p. 91 — 97.

rum, dilationem interponeret, quo minus perferri lex eo tempore posset, mirum non est, etiam hujusmodi jusjurandum *ὑπωμοσίαν*, ipsum autem, qui intercederet, *ὑπωμόσασθαι* dictum esse[2]). Hanc *ὑπωμοσίαν* Julius Pollux explicat hoc modo: *Ὑπωμοσία δέ ἐστιν, ὅταν τις ἢ ψήφισμα ἢ νόμον γράφοντα γράψηται ὡς ἀνεπιτήδειον*: et alio loco: *Παρανόμων δὲ (ἦν γραφὴ), εἴ τις ψήφισμα γράφοι ἢ νόμον παράνομον. ὑπομοσάμενος γάρ τις τὸ γραφὲν, οὗ ἡ κατηγορία ὑπωμοσία ἐκαλεῖτο, διήλεγχεν ὅτι ἐστὶ παράνομον, ἢ ἄδικον, ἢ ἀσύμφορον*[3]). Non equidem negaverim, verum esse, quod Pollux dicit, ipsam illam actionem *ὑπωμοσίαν* appellatam esse; sed proprie tamen *ὑπωμοσία* nil aliud est, nisi jusjurandum, quo quis actionem legis male rogatae instituturum sese denuntiat. Atque hoc jusjurandum in ipsa ecclesia coram populo datum esse, Xenophonteus locus probare videtur,

2) Ita rectissime hanc vocabuli significationem explicavit Matthiae, de Indic. Athen. P. 2. p. 265.; cf. Luzac. l. l. p. 119. neque audiendus est Lexici Rhetorici auctor in Bekkeri Anecd. I. p. 313. *Ὑπωμοσία: ὁπόταν τις νόμον ὑπ' ἄλλου εἰσηγηθέντα γράψηται παρανόμων, ἢ αὐτὸς ὁ εἰσηγησάμενος καταγνοὺς αὑτοῦ ἐξομόσηται παραλελογίσθαι. ὑπωμοσία δὲ ἐκλήθη, ὅτι ὀμνύντες οἱ εἰσηγησάμενοι, μήτε ἐπ' ἀργυρίῳ τὸν νόμον θέσθαι μήτε κατὰ χάριν, ἀπελύοντο.* Desistere quidem latorem potuisse a rogatione, supra docuimus e Plutarch. Aristid. c. 3. sed hanc *ὑπωμοσίαν* vocatam esse, neque docet nos quisquam praeter hunc nostrum Grammaticum, neque credibile esse videtur. Illud autem plane ridiculum, quod dicit, reum, qui juraret, se neque pretio neque gratia impulsum legem rogasse, absolutum esse. Tunc sane nemo unquam damnatus esset.

3) Pollux. VIII. s. 56 et 44. Hesychius Tom. I. p. 382. *ἀνθυπόμνυσθαι* cum *ὑπόμνυσθαι* confundit: *Ἀνθυπόμνυσθαι, τὸ ἀναβάλλεσθαι δίκην ἢ χειροτονίαν μεθ' ὅρκου.* Quod *χειροτονίαν* memorat, referendum est sine dubio ad nostrum *ὑπωμοσίας* genus.

e narratione de notissimo illo decem praetorum judicio. Sententiam dixerat Euryptolemus, ut de singulis reis seorsim suffragia ferrentur, secundum Cannoni Psephisma, non de omnibus una, quemadmodum Senatus censuerat. *Τούτων δὲ διαχειροτονουμένων, τὸ μὲν πρῶτον ἔκριναν τὴν Εὐρυπτολέμου· ὑπομοσαμένου δὲ Μενεκλέους, καὶ πάλιν διαχειροτονίας γενομένης, ἔκριναν τὴν τῆς βουλῆς*[4]). Haec ita narrantur a Xenophonte, ut eodem die et in iisdem comitiis omnia acta esse videantur. Intercesserat quidem Socrates, qui eo die Epistatae munere fungebatur, quo minus de omnibus una suffragium ferretur, negaveratque, se populum in suffragium missurum esse; sed huic *διαχειροτονίᾳ* de Euryptolemi sententia et de Senatusconsulto, cui obrogabat Euryptolemus, aut non putavit intercedendum esse, aut non audita est ejus intercessio, quod in tam seditiosa concione non magnopere mirum videri potest. Ipsum autem judicium, quo condemnati sunt decem praetores, postridie ejus diei peractum esse videtur, cum Socrates munere defunctus esset[5]). — Ceterum aliud exemplum *γραφῆς παρανό-*

---

4) Xenoph. Hellen. I. c. 7. §. 38.

5) Xenophon quidem tempus non definit. *Καὶ μετὰ ταῦτα*, inquit, *κατεψηφίσαντο τῶν στρατηγῶν*. Sed auctor Achiochi cap. 12. diserte narrat: *τῇ ὑστεραίᾳ Προέδρους ἐγκαθέτους ὑφέντες, κατεχειροτόνησαν τῶν ἀνδρῶν ἄκριτον θάνατον*. Qui sint isti Proedri *ἐγκάθετοι*, docet Luzac. Disq. de Epist. ac Proedr. §. 15. — Omnem autem hujus rei ordinem hunc fuisse puto: Meneclis *ὑπωμοσία* eo tantum spectavit, ut judicium ex Euryptolemi lege haberi eo die nequiret. Res in judicium vocanda erat, Euryptolemus *παρανόμων* accusandus. Ibi si condemnatus esset, tum demum irrita fuisset ejus lex, aliamque rogari aut Senatusconsultum illud iterum ad populum ferri licuisset. Sed legitimus hic ordo non observatus est in hac causa; nulla fit judicii *παρανόμων* mentio, sed iterum

μων in comitiis denuntiatae apud Xenophontem exstat in eadem illa narratione. Nam cum Callixenus e Senatus auctoritate populum rogasset, vellet juberetque, ut de praetoribus una suffragium ferretur, et ut hi, si condemnati forent, undecimviris ad supplicium traderentur, surrexerunt Euryptolemus aliique, et male rogatae legis actionem Callixeno denuntiarunt. *Τὸν δὲ Καλλίξενον προεκαλέσαντο* (leg. *προσεκαλέσαντο*) *παράνομα φάσκοντες ξυγγεγραφέναι, Εὐρυπτόλεμός τε ὁ Πεισιάνακτος κ. τ. λ.* [6]). Sed seditiosis populi clamoribus coacti sunt ab incepto desistere, neque ad ipsam *ὑπωμοσίαν* admissi: *ἐπεθορύβησε πάλιν ὁ ὄχλος, καὶ ἠναγκάσθησαν ἀφιέναι τὰς κλήσεις.* — Denique apud Aristophanem [7]) haec sunt Aesculapii verba, Neoclidi oculos oblinentis:

Ἐνταῦθα νῦν κάθησο καταπεπλασμένος,
Ἵν' ἐπομνύμενον παύσω σε τῆς ἐκκλησίας.

Quid sit illud *ἐπόμνυσθαι*, obscurum est. Nonnulli pro simplici *ὄμνυσθαι* dictum accipiunt, ut haec sit sententia: faciam, ne comitiis interesse et in iis dejerare possis. Sed quid tandem dejerare? Fraudibus et perjuriis rempublicam turbare, inquit Duckerus. At simplici verbo *ἐπόμνυσθαι* non inest haec vis. Spanhemius in hunc modum explicat: Efficiam, ne in concionem postea venire, neque, si dejeres, te morbo impediri, quo minus intersis concionibus,

---

populus de Euryptolemi lege et de Senatusconsulto in suffragium mittitur, quod quin legibus omnibus contrarium fuerit, dubitari non potest. Itaque hanc quoque iteratam *διαχειροτονίαν* aut invito Socrate, aut, quod verius videtur, postero die, cum ille munere abiisset, factam esse patet.

6) Hellen. 1. 7. §. 12. 13. — De *κλήσει* et *προσκαλεῖσθαι* vid. Valckenar. ad Ammon. p. 127. Matthiae de Iudic. Ath. P. 2. p. 257.

7) Plut. v. 725.

pro perjuro haberi possis. Sed haec sententia quonam modo ex Aristophanis verbis elici possit, equidem me non assequi fateor. Duo Scholiastae ea proferunt, ex quibus intelligas, eos *ἐπόμνυσθαι* et *ὑπόμνυσθαι*, *ἐπωμοσίαν* et *ὑπωμοσίαν* permutasse[8]). Equidem illud *ἐπομνύμενον* probabiliter explicari posse despero, et proinde cum Girardo, Brunckio aliisque versum ita legendum esse puto:

Ἵν' ὑπομνύμενον παύσω σε τῆς ἐκκλησίας.

Sensus autem hic erit: cum Neoclides nobilis esset eo tempore sycophanta, qui persaepe illa intercedendi per *ὑπωμοσίαν* licentia malitiose et calumniose abuteretur, oculos ei acidis unguentis oblevit

8) Schol. 1. *Ἀντὶ τοῦ ἐκκαλούμενον. ἐπωμοσία δέ ἐστιν, ἣν ἐπιδίδωσιν ὁ βουλόμενος ἀντειπεῖν ψηφίσματι εἰσφερομένῳ. ἐκκαλοῦνται δὲ εἰς τὸ δικαστήριον πολλάκις.* (Illud *ἐκκαλεῖσθαι* dictum puto ab hoc Grammatico pro eo, quod debebat: *προσκαλεῖσθαι*). *Σαλούστιον δέ φησιν, ὡς μέλλοντες εἰς τινὰ δημοτικὴν ἀποστέλλεσθαι χρείαν παρὰ τοῦ δήμου, πολλάκις ἐπωμνύοντο μὴ δύνασθαι αὐτὸ ποιεῖν, ἵνα συκοφαντῶσιν οἴκοι μένοντες.* — Mirum, si hoc dixit Salustius, cum *ἐξωμοσία* haec sit, non *ἐπωμοσία*. Ideoque etiam recentiorum quorundam interpretatio non potest probari: ut mea opera desinas interesse concioni, possisque eam ejurare. Ejusmodi quoque ejuratio, cujus tamen exempla desidero, dicenda foret *ἐξωμοσία*. — Schol. 2. *Ἐπωμοσία ἐστὶν ἀπόδοσις αἰτίας, δι' ἣν οὐχ ὑπαντᾷ τις πρὸς τὴν δίκην. Ὑπερίδης· καὶ ἐμοὶ μὲν συμβάσης ἀῤῥωστίας, καὶ ὑ π ο μ ο σ θ ε ί σ η ς ταύτης τῆς γραφῆς, ἀνεβλήθη ὁ ἀγών.* Reliqua non opus est adscribere. Apparet autem, maxime ex Hyperidis loco, quem affert, hunc quoque Scholiasten *ὑπόμν.* et *ἐπόμνυσθαι* confudisse, quamquam illud *ὑπωμοσίας* genus, quod indicatur ab eo, ad nostrum locum nihil pertinet. — Tertius Scholiastes meras nugas habet, et ecclesiam cum judicio permutat, de qua permutatione, pervulgatissima apud hosce recentiores Graeculos, supra me dicere memini. Ex eadem permutatione etiam secundi Scholiastae explicationem fluxisse, vix opus est monere.

Aesculapius, φιλόπολις δαίμων καὶ σοφός, ut propter lippitudinem nequiret in posterum interesse comitiis et illa ὑπωμοσίᾳ uti. — Ceterum, cum γραφὴν παρανόμων praecedere soleret haec ὑπωμοσία, inde factum est, ut perinde sit nonnunquam, ὑπομόσασθαι scribas, an γραφὴν παρανόμων γράψασθαι. Ita Pseudo-Plutarchus[9]) de Demosthene scribit: Πρῶτος δὲ ἔγραψε αὐτὸν στεφανωθῆναι χρυσῷ στεφάνῳ Ἀριστόνικος Νικοφάνους Ἀναγυράσιος, ὑπωμόσατο δὲ Διώνδας. Sed idem alio loco[10]) de simili re ita loquitur: Ἔγραψε (ὁ Ὑπερίδης) καὶ Δημοσθένους τιμάς· καὶ τοῦ ψηφίσματος ὑπὸ Διώνδα παρανόμων γραφέντος, ἀπέφυγε. Ideoque recte Julius Pollux docere videtur, ipsam legis male rogatae actionem ὑπωμοσίαν dictam esse[11]).

Atque haec illius actionis instituendae ratio, ut in ipsis comitiis, aut ante ferendum aut post latum suffragium ὑπωμοσία interponeretur[12]), usitatissima fuisse videtur, neque tamen una. Nam dubitari non potest, quin etiam ante comitiorum diem Senatus consulta ad populum ferenda, quae cum programmate aliquot ante diebus promulgata videntur, accusari potuerint[13]); neque minus etiam post co-

9) Vitt. X. Oratt. in Demosth. Tom. II. p. 848. c.

10) In Hyperid. ib. p. 848. E. De historia cf. Demosth. de coron. p. 302.

11) VIII. 44. Hoc sensu vocem accipiendam putaverim ap. Demosth. de Coron. p. 260. καταβαλόντα ἰᾶν τὸν νόμον ἐν ὑπωμοσίᾳ. quamquam is locus aliter explicari potest et solet.

12) Ante suffragium ferendum. Xenoph. Hellen. I. 7. §. 12.: post suffragium latum. Ib. §. 38. Atque prior illa ὑπωμοσία eo valebat, ut διαχειροτονίαν peragi prohiberet; haec autem posterior, ut comprobatum a populo Psephisma ratum (κύριον) fieri non posset, donec res in judicio peracta esset Pollux VIII. 56. Καὶ οὐκ ἦν μετὰ τὴν ὑπωμοσίαν τὸ γραφὲν, πρὶν κριθῆναι κύριον.

13) Certe in Aeschinis oratione adversus Ctesiphontem et

mitia, ubi jam confirmata erant populi suffragiis. Atque haec ratio tum maxime locum habuisse videtur, si quod Psephisma sine Senatus auctoritate ad populum latum erat[14]); quoniam ejusmodi Psephismata ἀπροβούλευτα non promulgari potuerant a Prytanibus ante comitia.

Jam si quis aut in comitiis per ὑπωμοσίαν se παρανόμων γραφὴν instituturum professus erat, aut ante comitia promulgatum Probuleuma, aut post comitia comprobatum a populo Psephisma in judicio impugnare constituerat, in jus vocandus erat lator, adeundus Archon, aut Eponymus aut Thesmotheta[15]), nomenque latoris deferendum et actio postulanda. Dein eodem modo, qui in aliis judiciis publicis solennis erat, res peragi solebat per ἀντωμοσίαν[16]), ἀνάκρισιν, κατηγορίαν, ἀπολογίαν, et quae praeterea erant in iudiciis fieri solita, quae, cum ex

---

in Demosthenis orat. adversus Aristocratem nihil inest, ex quo quis conjiciat, Ctesiphontis Aristocratisque leges latas jam fuisse ad populum.

14) Eiusmodi est Androtionis lex, quam accusat Demosthenes. Hanc jam perlatam fuisse in comitiis, indicant haec ipsius orationis verba, p. 594. Ταῦτ᾽ ἐπήρετο, φησίν, ὁ Ἐπιστάτης. διεχειροτόνησεν ὁ δῆμος. ἔδοξεν. — κατὰ τὸν νόμον ἦν τὰ γινόμενα. — cf. Plutarch. Vitt. X. Oratt. in Lysia Tom. II. p. 835. F.

15) Vid. Petit. p. 183. Wolf. Prolegg. ad Demosth. Lept. p. CXXXIX. not. 143. Vocationem in jus, τὴν κλῆσιν vel πρόσκλησιν, priorem fuisse, quam nominis delationem et actionis postulationem, et in hac παρανόμων causa patet e Xenoph. l. l. §. 12. et in aliis causis ex Aristophan. Vesp. 1397. 1408. Nub. 1225. 1280. Av. 1046. Neque opus erat ad πρόσκλησιν magistratus auctoritate, quod vult Matthiae, de Iudic. Ath. P. 2. p. 257.

16) Hanc, quae in ceteris judiciis ἀντωμοσία dicebatur, in παρανόμων judicio ὑπωμοσίαν dictam esse putat Hudtwalcker, de Diaetetis, p. 96. sine causa.

aliis libris nullo negotio cognosci possint[17]), hic referre supersedemus. Iudices erant Heliastae; eratque haec causa ex iis, in quibus permissa erat accusatori poenae aestimatio, reus contra aliam sibi ipse poenam aestimare poterat, judices autem, utram vellent, eligebant; cujusmodi judicia ab Atheniensibus dicebantur *ἀγῶνες τιμητοί*. Igitur facillime intelligitur, varias fuisse condemnatorum poenas, prout aut gravius aut levius deliquissent, mitiorem aut acerbiorem adversarium nacti essent[18]). Plerumque mulcta irrogabatur; nonnunquam etiam extremum supplicium. Atque ne impune liceret per calumniam et fraudem ejusmodi actionem sine gravi causa intendere, accusator, qui causa ceciderat, neque quintam saltem suffragiorum partem tulerat, mille drachmis mulctabatur, afficiebaturque eo *ἀτιμίας* genere, ut ei in posterum non liceret accusare; id quod in aliis quoque judiciis publicis moris erat. Neque ei, qui institutam *παρανόμων* actionem non exsecutus erat, id impune fuisse videtur[19]).

Solent autem hae Psephismatum accusationes in duobus potissimum locis versari, altero ab ipsorum argumento, altero a ferendi ratione repetito[20]). Atque

17) Imprimis e Matthiae egregio opusculo de Iud. Ath. P. e. p. 256. sqq. cf. Wolf. l. l. p. CXXXVII.

18) Exemplorum copiam v. ap. Boeckh. de Oecon. Ath. I. p. 411.

19) cf. Hudtwalcker, de Diaetet. p. 159. sqq.

20) Possit forsitan aliquis suspicari, etiam tertium mihi numerandum fuisse locum, de latoris persona, cum videat, in oratione adv. Androt. etiam eo nomine impugnari adversarium, quod pudicitiam parum honeste habuerit, neque liceat ei hanc ob causam rogationes ad populum ferre. Sed mihi verum illud esse videtur, quod ab Androtione objici ait orator, hoc crimen ad *γραφὴν παρανόμων* proprie non

ad priorem locum hoc primum pertinet, si quid erat in Psephismate rogatum, quod per leges fieri non liceret. Hoc enim cautum erat a Solone: *Ψήφισμα δὲ μηδὲν, μήτε βουλῆς μήτε δήμου, νόμου κυριώτερον εἶναι* [21]). Legem hanc laudat Demosthenes in oratione adversus Aristocratem, cujus orationis magna pars in hoc loco versatur; neque minus in Androtionia Demosthenes et in Ctesiphontea Aeschines id potissimum agunt, ut demonstrent, legibus contrarium esse, quod Androtion atque Ctesiphon rogarint. — Dein illud quoque huc referendum est, si quis in Psephismate mendacia scripserat, falsisque rationibus usus erat, ut rogationem suam populo commendaret; quo nomine Ctesiphontem incusat Aeschines, mentitum eum esse dicens, cum scriberet, dignum esse Demosthenem coronae honore propter insignia in rempublicam merita. Pessime enim hunc semper de civitate meritum esse contendit, condemnarique oportere Ctesiphontem, qui legem illam migrarit: *Μηδένα ψευδῆ γράφειν ἐν τοῖς δημοσίοις ψηφίσμασι* [22]). Simili criminatione Demosthenes utitur adversus Aristocratem, cum Charidemum indignum eo honore esse arguit, quem ei haberi jusserat ille, ementitaque omnia quae de ejus in civitatem studio ac voluntate jactaverat.

---

pertinere, sed persequendum fuisse in alio judicio per *ἐπαγγελίαν*. V. p. 600. sq. idque ex iis ipsis verisimile fit, quae orator reponit.

21) Demosth. adv. Aristocrat. p. 649. — Ita ut scripsi, legitur in Reiskiana editione; in prioribus: *μήτε νόμου*. de qua lectione disputari nunc non opus est. — Ceterum etiam si qua rogatio aliis Psephismatibus ratis adhuc et *κυρίοις* contraria erant, *παρανόμων* accusari poterat lator, quod colligi potest ex orat. de Halones. p. 82. 83.

22) Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 439.

Denique ex hoc genere illud quoque est, si qua rogatio reipublicae commodis atque utilitatibus contraria erat, quo nomine Androtion et Aristocrates accusantur a Demosthene, et Timocrates quoque et Leptines, quamquam horum duorum accusationes non plane sunt ejus generis, de quo nunc agimus[23]).

Ad alterum autem locum, qui est de rogandi ferendique ratione, hoc unum pertinet, si quis, ejusmodi Psephisma, quod a Senatu ante examinari et comprobari oporteret, sine Senatus auctoritate ad populum tulerat; non enim in omnibus id opus fuisse, jam supra a nobis demonstratum est[24]). Atque hoc in loco magna pars orationis adversus Androtionem versatur, eoque nomine Phanostratus accusavit Aristogitonem, qui sine Senatus auctoritate extremum supplicium Hierocli irrogaverat[25]), et Archinus Thrasybulum, qui, cum civitatem Lysiae oratori peteret, Senatum consulere neglexerat[26]).

Ex his jam satis intelligi potest, quam late patuerit illud accusationum genus, quantumque in eo fuerit momenti ad universam reipublicae administrationem. Nam cum nihil ad populum ferri scicique in comitiis posset, quod non impediri hac ratione aut differri liceret, paratum erat et bonis civibus contra demagogorum furores et plebis temeritatem remedium, et malis perditisque homini-

23) Vix enim opus est, lectorem moneri, nos hoc loco de iis tantum actionibus loqui voluisse, quae contra Psephismata, non contra νόμους instituebantur.

24) Lib. I. cap. 9.

25) V. Liban. in argum. orat. I. adv. Aristogit. p. 767. 768.

26) Plut. Vitt. X. Oratt. in Lysia. Tom. II. p. 835. F.

bus calumniandi et turbandi subsidium. Sed proximis post Solonem temporibus, vigente adhuc antiqua illa et salutari civitatis disciplina, cum neque in comitiis neque in judiciis egenae et levis imperitaeque multitudinis temeritas praevaleret, et rarius opus erat ejusmodi delictorum accusatione, et severius iustiusque in judicio de iis cognoscebatur, et minor erat per fraudem malitiamque nocendi facultas. Post autem, corruptis paullatim illius sapientissimi viri institutis, cum pretio proposito et ad comitia frequentanda et ad judicandi officium suscipiendum egentissimus quisque maxime alliceretur, e publico civitatis consilio prudentia, e judiciis severitas atque religio magisque abire coepissent, apud rudes imperitosque homines, quales erant plerique Heliastae et Ecclesiastae, regnarent oratores seditiosi et venales, suique quam publici boni studiosiores; tunc immensum in modum crevit istarum accusationum numerus, adeo, ut essent, qui plus septagies *παρανόμων* judicium subiissent, et memorabile atque unicum praedicaretur Cephali exemplum, qui, cum plurimum in republica versatus esset, multaque Psephismata rogasset, nunquam erat eo nomine in judicium a quoquam vocatus[27]). Accidit autem id quod in tali civitate accidere necesse erat, ut illud ipsum, quod institutum erat a legislatore et adhibebatur a bonis viris ad reprimendos eludendosque perditorum hominum conatus, haud rarius ab improbis in bonorum malum atque perniciem converteretur[28]). Ita quod aequabiliter temperatae libertati praesidium Solon esse voluerat, post mutatum in deterius reipublicae

27) Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 583.

28) cf. or. in Theocrin. p. 1332. 1333.

statum, augendae democraticae licentiae inserviebat. Non igitur mirum, Senatum illum quadringentorum, qui ad belli Peloponnesiaci finem laboranti immodica libertate reipublicae necessariam medicinam adhibere conabatur, nihil antiquius habuisse, quam ut has παρανόμων γραφάς tolleret [29]); quod exemplum imitati sunt, qui post paullo successerunt, triginta tyranni, ceteroquin illorum dissimillimi [30]).

CAPUT III.

De criminum extraordinariorum delatione, εἰσαγγελία, ad Senatum aut populum.

Ex quatuor rerum generibus, quae a populo in comitiis tractari solita esse supra diximus, primum nunc agendum videtur de judiciis. Erat autem, id quod notissimum est et a nobis jam ante commemoratum, judiciorum ratio ita a Solone descripta, ut ordinaria causarum tam publicarum quam privatarum cognitio aut Heliasticis judicibus aut Areopagitis Ephetisque permitteretur; populus autem in comitiis non nisi extra ordinem de gravissimis criminibus publicis judicaret aut quomodo judicia exercenda essent, juberet. Erant enim publica quaedam crimina extraordinaria, quae ad Senatum populumve deferri oporteret, aut saltem liceret, quo aut ab ipsis rei judicarentur, aut ad Heliasticum judicium rejicerentur. Horum ratio quo melius perspici possit, breviter disputandum videtur de

29) Thucyd. VIII. c. 67.

30) Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 58.

publicis delictis publicisque judiciis in universum; quae disputatio non id quidem assequi poterit, ut omnes hujus rei difficultates expediat, quippe quod neque hujus loci sit, neque mearum virium. Existunt enim illae non paucae neque parvae, ubi quaeras, quid secuti Athenienses quave ratione ducti, aliud delictum alio modo persequendum statuerint, ac simillimorum saepe aut unius criminis diversas actiones esse voluerint. Neque certam ac stabilem rationem eos in omnibus secutos esse apparet. Multa ad reipublicae suae formam, ad civium mores vitamque privatam et publicam accommodarunt, multa eo consilio instituerunt, ut commoditati et rationibus eorum, qui reum aliquem facere vellent, consuleretur, et facilior iis fieret minusque molesta et periculosa criminum ulciscendorum facultas[1]). Atque hic illud imprimis tenendum est, eas, quae a nobis hodie dici solent actiones fiscales et inquisitorias, veteribus Atheniensibus et Romanis quoque fere nullas fuisse[2]). Quare

---

1) Cf. Demosth. adv. Androt. p. 601. *Δεῖν δ' ᾤετο (ὁ Σόλων) μηδένα ἀποστερεῖσθαι τοῦ δίκης τυχεῖν, ὡς ἕκαστος δύναται. πῶς οὖν ἔσται τοῦτο; ἐὰν πολλὰς ὁδοὺς δῷ διὰ τῶν νόμων ἐπὶ τοὺς ἠδικηκότας.* Atque id statim variarum actionum de furto et de impietate exemplis confirmat. Deinde addit: *περὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων τὸν αὐτὸν τρόπον σχεδόν.*

2) Fere nullas, dixi; nam non desunt exempla delationum et inquisitionum a publicis personis aut ex officio aut populi jussu factarum. Ita v. c. in eos, qui suffragii jus temere usurpassent, inquirebatur a Lexiarchis; v. lib. I. c. 6. qui in Senatu aut comitiis seditiosos et turbulentos se gessissent, a Proedris aut mulctabantur, aut ad Senatum populumque deferebantur v. ib. c. 10. Nonnunquam a populo creabantur inquisitores, *ζητηταί.* v. Andocid. de Myster. p. 5. aut Areopagitis mandabantur inquisitiones. v. Dinarch. in Demosth. p. 90. l. 19. Steph. ib. 97. 26. aut ab ipsis sua sponte insti-

quae apud nos sunt judicia criminalia, longe diversa erant apud illos. Nam plerumque reum in judicium vocabat privatus, cui liberum erat, e pluribus actionibus, (et erant in plerisque causis plures,) quam intendere vellet, eligendi. Probationes illi et testimonia procuranda erant, et si causa cecidisset, neque quintam saltem suffragiorum partem tulisset, multabatur. — Tamen operae pretium est, explorare generalem aliquam in delictorum et causarum generibus describendis rationem, quae, etsi non verbis expressa, tamen tacite quodammodo et obscure legislatorum veterum mentibus obversata esse videatur.

Publica igitur delicta generatim habentur ea, quibus non privatus aliquis sed respublica ipsa laesa esse videtur, aut in quibus, etiamsi privatus aliquis laesus sit, tamen non id tantopere spectatur, quatenus in illum privatum, sed quatenus in leges ipsas et in universorum civium jus et libertatem peccatum sit. In ipsam autem rempublicam peccari potest multis modis. Nam si quis sacra religionesque violarit et profanarit, aut officium, quod reipublicae praestare debebat, deseruerit, aut hostiliter in rempublicam animatus, ejus commoda imminuerit hostibusve prodiderit, aut damnum reipublicae intulerit, aut civitatis jura temere sibi usurpaverit, aut ad reipublicae administrationem, qua leges ei interdixerant, accesserit, aut in administranda re publica leges migraverit, aut Senatum, conciones, judicia corruperit, aut denique malis et inhonestis moribus reipublicae dedecus et infamiam

---

tuebantur. ib. 96. 28. — De Romanis vid. I. A. Bachii Divus Trajanus s. Commentarius de Legibus Trajani, p. 77. sq.

attulerit; haec omnia delicta dici possunt non contra privatum aliquem, sed contra ipsam rempublicam commissa esse. Publica igitur habentur haec et similia crimina: *Ἱεροσυλίας, ἀσεβείας, λειποστρατίου, λειποταξίου, ἀστρατείας, λειποναυτίου, ἀναυμαχίου, τοῦ ῥίψαι τὴν ἀσπίδα, προδοσίας, παραπρεσβείας, ἀγραφίου, ξενίας, δωροξενίας, παρανόμων, δεκασμοῦ, δώρων, ἀργίας, ἑταιρήσεως* aliaque plura; non enim omnia certis et propriis nominibus comprehendi et designari possunt[3]).

Sed ex iis quoque delictis, quibus proprie non ipsa respublica, sed privatus aliquis laeditur, multa pro publicis habentur, quoniam privatorum saepe laesiones ad rempublicam aliquo modo pertinere possunt. Ita, verbi causa, qui alienam uxorem corrumpit, is proprie quidem injuriam facit ei, cujus ea est uxor; sed quoniam nihil magis interesse reipublicae debet, quam ut matrimonii sanctitas incorrupta et inviolata maneat, neque perturbentur familiarum jura et proles civium incerta fiat, quod si fit, omnem rempublicam turbari et labefactari necesse est; ideo et Solon apud Athenienses, et Augustus apud Romanos adulterii crimen publicum habendum esse duxerunt, et publice persequendum. Item injuriae proprie eum tantum laedunt, cui inferuntur; itaque privatae injuriarum actiones dantur, *αἰκίας* et *κακηγορίας*. Sed quia, qui atrocem injuriam alteri infert, verberibus puta, quam realem hodie injuriam dicere solent, non illius solum corpori malum dat, sed communem libertatem et civilem dignitatem laedit atque imminuit, (est enim in quovis liberae reipublicae statu civi pars quaedam summae majestatis), ideo delictum illud, quo haec laeduntur,

3) v. Iul. Pollux. VIII. 40 — 54.

ad omnes cives, cum quibus aequum illi est jus, aequa libertas et quasi majestas, pertinere videtur, daturque ejus actio publica, ὕβρεως γραφή[4]). Multo magis autem homicidia, veneficia, vulnera cum occidendi consilio inflicta, incendia publicorum delictorum loco censenda esse, sua quisque sponte intelligit. Sed etiam furti crimine non solum privatis damnum infertur, sed publica securitas laeditur, quamobrem furti quoque actio datur publica. Porro qui calumniose in alterius accusatione versatur, qui falsos κλητῆρας, i. e. testes in jus vocationis, libello suo inscribit, qui alterius nomen falso inter aerarios refert, is, cum judiciorum rationem perturbet atque corrumpat, et publicarum tabularum auctoritatem elevet atque incertam reddat, non minus in ipsam rempublicam quam in adversarium suum peccat; ideoque haec quoque delicta publice persequenda sunt. Denique malae parentum, epiclerorum et pupillorum tractationis publicae actiones institutae sunt[5]), quoniam consentaneum est, ab eo, qui contra parentes suos graviter delinquat, cum pietatem et humanitatem ipsam laedat, publice poenas repeti; eorum autem, qui se ipsi contra injurias et fraudes defendere non possunt, mulierum et minorum, publicae curam geri, aequum est et necessarium. — Atque haec nunc quidem sufficiant; omnia enim enumerare longum est. Sunt autem eorum, quae enumeravi delictorum, quorum publicae actiones sunt, haec in foro Attico nomina: *Μοιχεία*, ὕβρις, φόνος,

---

4) De actionibus ὕβρεως, αἰκίας et κακηγορίας v. Herald. Observ. et Emend. c. 48. (in Ev. Ottonis Thesauro T. R. Tom. II. p. 1378) et ejusd. Animadv. in Salmas. Observ. ad I. A. et R. Lib. II. c. 9 — 13. cf. III. c. 5. §. 15. 16. 17.

5) Vid. Herald. Animadv. in Salmasium. Lib. III. c. 14. 15. et Lib. VII. cap. 23.

φάρμακα, τραῦμα ἐκ προνοίας, πυρκαϊά, κλοπή, συκοφαντία, ψευδοκλητεία, ψευδεγγραφή, κάκωσις γονέων, ἐπικλήρων, ὀρφανῶν[6]).

Omnes autem publicae actiones haec habent communia, quod a quovis cive, praeter ἀτίμους, intendi possunt, non solum ab iis, qui proprie laesi sunt; dein, quod omnes poenales sunt[7]), et si in mulctam reus condemnatus est, quod poenae genus usitatissimum, haec non accusatori cedit, sed reipublicae[8]); denique quod accusatori causa cadenti mulcta imponi solet mille plerumque drachmarum, eademque summa eum quoque leges mulctari jusserunt, qui institutam actionem desereret; quamquam id non semper observari solet[9]).

Sed ex his publicis actionibus usitatissimae erant in foro Attico γραφή, φάσις et ἔνδειξις. Atque ἔνδειξις proprie erat delatio eorum, qui legibus aut judicum sententiis aliquo aut loco aut munere aut jure exclusi, tamen eum locum adierant, aut jus

6) Cf. Iul. Pollux. l. l.

7) Illa una fortasse, quae φάσις dicebatur, excepta. Haec enim nonnunquam persecutoria erat (v. Iul. Pollux. VIII. 48. cf. Böckh. l. l. I. p. 376. sq.) an semper, equidem magnopere dubito. Qua de re hic non est dicendi locus.

8) Tamen hic quoque φάσις excipienda est. Nam qui fraudem circa importatas exportatasve merces commissam indicaverat, dimidium ejus pecuniae, qua illae aestimatae erant, praemio accipere solebat. Demosth. in Theocrin. p. 1325. Atque huc illud quoque pertinet, quod e Demosth. in Macart. p. 1074. discimus, ei, qui oleas plures, quam per leges licebat, ab aliquo excisas indicasset, centenarum in singulas drachmarum summam a reo solvi oportuisse, totidemque reipublicae. Etiam aliae quaedam accusationes praemium propositum habebant. Dem. in Neaer. p. 1350. 1363.

9) Vid. Hudtwalcker de Diaetet. p. 159 — 166.

illud atque munus usurpaverant[10]). Ita v. c. huic delationi locus erat, si aerarii debitores, cum *ἄτιμοι* essent, magistratus ceperant, aut judicarant, aut in comitiis cum populo egerant, aut omnino rempublicam capessiverant; porro, si quis exsul clam in patriam redierat; si quis impietatis convictus, templa et loca publica, quae eum adire nefas erat, frequentaverat[11]). Aliae *ἐνδείξεις* erant eorum, qui institutam actionem publicam pretio corrupti aut calumniae sibi conscii deseruerant[12]), Proedrorum, qui sine justa causa populo in comitiis suffragium dare recusaverant[13]), aut de annua legum recensione ad populum ferre neglexerant, Prytanum, qui populum istius recensionis causa non convocaverant[14]), aliaeque fortassis plures. Atque

10) Taylor. Lectt. Lysiac. cap. 6. p. 259.

11) Vid. Herald. Animadv. Lib. IV. c. 9. p. 316. sqq.

12) Demosth. in Theocrin. p. 1325. *Φημὶ δὴ κατὰ ταύτην τὴν ἔνδειξιν ἔνοχον εἶναι Θεοκρίνην τῷ, φήσαντα Μικίωνα Χολλίδην, μὴ ἐπεξελθεῖν, ἀλλ' ἀργύριον λαβόντα ἀποδόσθαι τὸ πρᾶγμα.* Non hoc ait orator, Theocrinem desertae actionis (liceat mihi hoc nomine uti) convictum, debitorem aerarii et *ἄτιμον* esse, sed pollicetur, se eum, *κατὰ τὴν ἔνδειξιν*, ejus criminis convicturum eoque effecturum, ut aerarius fiat. Hoc monendum putavi, ne quis hunc locum perperam acciperet. Ceterum quae proxime praecedunt: *ὁ νόμος οὗτος — τοῖς προαιρουμένοις ἢ γράφεσθαι γραφὰς ἢ φαίνειν ἢ ἄλλο τι ποιεῖν τῶν ἐν τῷ νόμῳ τούτῳ γεγραμμένων προλέγει διαῤῥήδην, ἐφ' οἷς ἕκαστόν ἐστι τούτων ποιητέον* — demonstrare videntur, non eum solum, qui *φάσιν*, sed etiam qui *γραφὴν* aliamve actionem deseruisset, huic delationi obnoxium fuisse. Alter locus, p. 1325. nominatim de *φάσει* tantum loquitur, ut incertum sit, an in aliis quoque actionibus publicis idem jus fuerit.

13) Vid. sup. Lib. I. c. 11.

14) Demosth. adv. Timocrat. p. 707.

omnino, si quis aliquem tanquam in graviore delicto manifesto deprehensum ad magistratus defert, ea delatio nonnunquam generali nomine ἔνδειξις dicitur[15]. Quod autem Julius Pollux dicit: *Ἔνδειξις, ὁμολογουμένου ἀδικήματος, οὐ κρίσεως ἀλλὰ τιμωρίας δεομένου*[16], verum dicere videtur, etsi non satis distincte loquitur. Quamquam enim per leges is tantum ἔνδειξιν deferre poterat, qui sibi videretur alterum criminis manifestum habere, ut jam de facto nulla amplius cognitione opus esset, sed poena tantum a reo repetenda, fieri tamen saepissime solebat, ut hic aut factum, cujus insimularetur, negaret, aut jure factum esse contenderet. — Deferebantur autem hae delationes scripto consignatae ad aliquem ex Archontibus, sive Eponymum sive Regem sive Thesmothetas, pro causarum diversitate[17]; ab eo res ordinario judicio cognoscenda tradebatur; delator, si calumniatus esse videretur, i. e. nisi quintam suffragiorum partem tulisset, mulctabatur[18].

Φάσις erat delatio eorum, qui in mercibus importandis exportandisve peccaverant, aut circa portoria aut circa metalla fraudem reipublicae fecerant,

---

15) Heraldus l. l. §. 2.

16) VIII. 49. Heraldus quidem, l. l. §. 12. putat, Pollucem de iis tantum cogitasse, qui ad condemnationem evitandam, solum vertissent; horum enim de crimine, cum ipsi voluntario exilio confessi esse viderentur, nulla amplius quaestione opus fuisse. Sed ego vix crediderim, Pollucem de una aliqua ἐνδείξεως specie non de universo genere, cogitasse definitionemque suam ad illam solam applicuisse.

17) Pollux VIII. 49. *τὸν ἄρχοντα* nominat, i. e. Eponymum; Demosth. adv. Timocr. p. 707. Thesmothetas. Ad regem pertinebant sine dubio delationes eorum, qui impietatis convicti, loca ea ingressi erant, a quibus per leges arcebantur. cf. Andocid. de Myst. p. 15. 5.

18) cf. Herald. l. l. §. 12. 13.

aut peculatum commiserant, bonorum publicorum possessionem sine justo titulo usurparant, calumniando reipublicae, aut vectigalium redemtoribus, aut mercatoribus damnum intulerant, denique tutorum, qui in administrandis pupillorum bonis perfidiose aut negligenter se gerebant[19]). Delator in jus vocabat reum per πρόσκλησιν[20]), et ei magistratui, ad quem ea causa pertinebat[21]), libellum suum cum eorum, quos in jus vocationis testes adhibuerat, nominibus et damni a reo facti aestimatione exhibebat[22]). Inde causa in judicio cognoscebatur. Reo condemnato, aestimatio iis cedebat, qui laesi erant, ita tamen, ut, si damnum reipublicae factum erat, dimidium aestimationis delator praemio acciperet[23]). Absoluto autem reo, sexta aestimationis parte, quam ἐπωβελίαν vocabant, delator mulctabatur[24]), nisi quintam suffragiorum partem tulerat.

---

19) Vid. Pollux VIII. 47. Etymol. s. v. φάσις. Lexic. Rhet. in Bekkeri Anecd. I. 313. et 315. cf. Böckh. I. p. 376. sq. — Apud Pollucem ita interpungendum puto: Φάσις δὲ ἦν τὸ φαίνειν τοὺς περὶ τὰ μέταλλα ἀδικοῦντας, ἢ περὶ τὸ ἐμπόριον κακουργοῦντας ἢ περὶ τὰ τέλη, ἢ τῶν δημοσίων τὶ νενοσφισμένους, ἢ συκοφαντοῦντας. Atque τοῖς συκοφ. non omnes in universum Sycophantas esse puto, sed τοὺς περὶ τὰ μέταλλα ἢ περὶ τὸ ἐμπόριον ἢ περὶ τὰ τέλη συκοφαντοῦντας. Quod autem additur a Polluce: κοινῶς δὲ φάσεις ἐκαλοῦντο πᾶσαι αἱ μηνύσεις τῶν λανθανόντων ἀδικημάτων· de eo vid. Sluiter. Lectt. Andocid. p. 185.

20) Demosth. in Theocrin. p. 1324.

21) Non enim omnes has φάσεις ad Eponymum delatas esse, quod e Pollucis verbis: ἐφαίνοντο δὲ πρὸς τὸν Ἄρχοντα· conjecit Matthiae, de Iud. Ath. P. 2. p. 243.; patet e Demosth. l. l. Ibi enim φάσις delata dicitur ad portus curatores, τοὺς τοῦ ἐμπορίου ἐπιμελητάς. Ad Eponymum sine dubio tutores tantum deferebantur.

22) Vid. Iul. Pollux l. l. s. 47.

23) Demosth. in Theocrin. p. 1325.

24) Pollux s. 48.

Reliquae actiones publicae ordinariae omnes γραφαί dicuntur, quo nomine latius accepto nonnunquam etiam ἔνδειξις et φάσις et quoddam εἰσαγγελίας genus, de quo mox dicendum erit, comprehenduntur[25]). Atque ipsum γραφῶν nomen ostendit, eas ita institutas esse, ut accusatores libellos traderent iis magistratibus, ad quorum jurisdictionem quaeque causa pertineret. Γραφή enim proprie nil aliud est, quam accusatoris libellus· Huic inscribi oportebat[26]) primum temporis designationem, dein, apud quem magistratum, cujus nomen a quo accusatore delatum esset, tum ipsius accusationis capita praecipua, et poenae aestimationem, si ejusmodi erat delictum, de quo nulla certa poena legibus constituta esset; alioquin illi aestimationi locus non erat; denique κλητήρων nomina. Post exhibitum magistratui libellum sequebatur primum ἀνάκρισις, tum instructa et contestata causa Heliastarum suffragiis permittebatur. Cetera singulatim persequi nunc non opus est.

Quae autem praeterea a Polluce memorantur[27]): δοκιμασία, εὐθύνη, ἀπαγωγή, ἐφηγεῖσθαι (ἐφήγησις ap. Suid. et Etymol.) ἀνδρολήψιον, προβολή, εἰσαγγελία, diversi sunt generis. Nam δοκιμασία et εὐθύνη proprie non actionum nomina sunt, sed ipsorum judiciorum, quae de magistratubus aut oratoribus habentur[28]). Ἀπαγωγή autem et ἐφήγησις est, si quis manifestum maleficum aut ipse in vincula ducit, aut arcessitis magistratibus in vincula ducendum

---

25) Pollux VIII. 40. 41. cf. Matthiae, p. 230. n. 1.

26) Illustrissimum talis libelli exemplum est Aeschinis γραφή apud Demosthenem de coron. p. 243.

27) VIII. 40. 41.

28) Pollux VIII. 44. 45.

curat[29]). *Ἀνδρολήψιον* autem clarigatio quaedam est, inter diversarum urbium cives, ad caedis ultionem, quae aliter obtineri nequit, consequendam[30]). *Προβολή* quid sit, paullo post explicabimus. De *εἰσαγγελία* autem nunc jam accuratius agendum est.

Ex iis, quae de publicorum criminum natura ac ratione paullo ante a nobis disputata sunt, facile intelligi potest, innumeris modis ita delinqui posse, ut respublica ipsa laedi, ideoque publicum delictum committi videatur. Possunt autem subinde fieri, quae futura esse legislator providere nequiit; possunt tam singularia delicta existere, ut generales legum praescriptiones ad ea applicari non facile possint. *Leges enim ita scribi non possunt, ut omnia, quae quandoque inciderint, comprehendantur.* Denique fieri saepissime potest, ut eadem facinora, pro infinita hominum, rerum atque temporum varietate, modo leviora videantur et minora, modo, cum ab aliis hominibus, alio tempore aliis de causis admissa sint, majora multo et graviora, ideoque accuratius et severius, quam vulgo, persequenda et vindicanda. Haec igitur delicta, cum a vulgari ratione recedant, et certis legum praescriptionibus non comprehendantur, neque in judicium deduci possunt ordinario modo, neque cognosci de iis et judicari potest ex veteribus legibus. Iudicum enim officium est, ut quae legibus generatim praescripta sint, ad singulas causas applicent; quod quoniam in his aut summas difficultates habet, aut plane fieri nequit, necessarium est, si quando aliquid ejusmodi inciderit, ut ab iis, penes quos summum est in republica arbitrium, aliquid singulare

---

29) Pollux VIII. 49. 50.

30) cf. Hug. Grot. de I. B. et P. III. 2. 3.

statuatur. Haec est extraordinariorum judiciorum ratio. Apud Athenienses autem illud aliter fieri non potuit, nisi ut, si quod crimen extraordinarium esse videretur, accusator illud ad Senatum populumve deferret, hique, quid de eo faciendum esset, statuerent. Jam Senatus populusve aut sibi ipsi judicandi munus sumserunt, aut, quod saepius fieri solebat, cognitionem ad Heliasticum judicium rejecerunt, ita tamen, ut simul statuerent, quo nomine reus in judicium ducendus, et quibus ex legibus judicandus et puniendus esset, atque accusatores quoque crearet, qui eum, reipublicae, in quam peccaverat, nomine accusarent. Atque illa extraordinariorum delictorum ad Senatum populumve delatio proprio nomine *εἰσαγγελία* vocatur; quamquam, cum hujus vocabuli vis per se ipsa non minus late pateat, quam Latinorum *delationis*, mirum esse non potest, etiam de aliis delationum generibus nomen *εἰσαγγελίαν* et verbum *εἰσαγγέλλειν* haud raro a scriptoribus usurpari[31]). Imprimis autem, praeter hoc de quo nos nunc agimus, duo alia erant *εἰσαγγελιῶν* genera in foro Attico usitatissima, alterum, de mala parentum, epiclerorum, pupillorum tractatione, apud Archontem Eponymum, alterum de Diaetetarum seu arbitrorum injuriis apud Senatum[32]). Atque haec quidem a proposito nostro aliena sunt; illa autem, de qua dicere instituimus, *εἰσαγγελία* ab Harpocratione ita definitur: *Εἰσαγγελία*, inquit, *δημοσίας τινὸς δίκης ὄνομά ἐστι·*

---

31) Ita v. c. Lysias in Agorat. p. 134. 20. Steph. *εἰσαγγεῖλαι* dicit, quod antea, p. 134. 11 et 17 et alibi saepius dixerat *μηνῦσαι*. cf. Id. in Eratosthen. p. 124. 32. 33. Andocid. de Myster. p. 6. l. 6 et 39. cf. Herald. Animadv. in Salmas. III, 7. §. 4. p. 221.

32) Vid. Harpocrat. et Suid. s. v. *εἰσαγγελία*. Herald. l. l. c. 14 et 15. Hudtwalcker. de Diaetet. 19. sqq.

τρία δέ ἐστιν εἴδη εἰσαγγελιῶν. ἡ μὲν γὰρ, ἐπὶ δημοσίοις ἀδικήμασι μεγίστοις καὶ ἀναβολὴν μὴ ἐπιδεχομένοις, καὶ ἐφ' οἷς μήτε ἀρχὴ καθίστηκε, μήτε νόμοι κεῖνται τοῖς ἄρχουσι, καθ' οὓς εἰσάξουσιν, ἀλλὰ πρὸς τὴν βουλὴν ἢ τὸν δῆμον ἡ πρώτη κατάστασις ἔστω (scrib. *ἐστί.* Suid. *γίνεται* habet.) *καὶ ἐφ' οἷς τῷ μὲν φεύγοντι, ἐὰν ἁλῷ, μέγισται ζημίαι ἐπίκεινται, ὁ δὲ διώκων, ἐὰν μὴ ἕλῃ, οὐδὲν ζημιοῦται, πλὴν ἐὰν τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων μὴ μεταλάβῃ, τότε χιλίας ἐκτίνει· τὸ δὲ παλαιὸν καὶ οὗτοι μειζόνως ἐκολάζοντο.* Quod dicit, magistratus non fuisse constitutos, ad quod ejusmodi crimina deferenda essent, neque leges, ex quibus in judicium ducenda essent a magistratibus, id in extraordinaria illa, de quibus supra locuti sumus, delicta, necessario cadit. An haec semper maxima fuerint, et tam perniciosa, ut moram nullam paterentur, post videbimus. — Cum Harpocrationis definitione conjungenda est Pollucis, quae est hujuscemodi: *Ἡ δ' εἰσαγγελία τέτακται ἐπὶ τῶν ἀγράφων δημοσίων ἀδικημάτων, κατὰ τὸν νόμον τὸν εἰσαγγελτικόν*[53]). Quae sequuntur ad explicationem *τῶν ἀγράφων ἀδικημάτων*, ita sunt corrupta, ut emendari vix possint, quapropter ea adscribere supersedeo. Id tamen ex iis patet, Pollucem *ἄγραφα ἀδικήματα* dici velle ea, *περὶ ὧν οὐκ εἰσὶ νόμοι.* Atque in eadem cum Polluce sententia sunt etiam Hesychius, Suidas et qui aut exscripsit Suidam, aut ex eodem atque ille fonte hausit, incertus auctor Lexici Rhetorici, nuper a Bekkero vulgati. Hesychius enim: *Ἄγραφα*, inquit, *ἀδικήματα, περὶ ὧν νόμος οὐ γέγραπται.* Suidas autem et Lexici Rhetorici auctor[54])

---

53) Pollux VIII. 51.

54) Hesych. s. v. *Ἄγραφα.* Suid. s. v. ***Εἰσαγγελία.*** Lex. Rhet. in Bekkeri Anecdot. I. p. 244.

aliquanto plenius: *Εἰσαγγελία κυρίως ἡ περὶ καινῶν*[35]) *καὶ δημοσίων ἀδικημάτων εἰσαγομένη δίκη ὑπὸ τῶν Πρυτάνεων, περὶ ὧν διαῤῥήδην μὲν οὐδὲν λέγουσιν οἱ νόμοι, συγχωροῦσι δὲ κρίσεις γίνεσθαι. καὶ τοῦτό ἐστιν οἷον τὸ ἐν ταῖς τῶν σοφιστῶν διατριβαῖς μελετώμενον, τὸ τῶν ἀγράφων ἀδικημάτων.* Hi itaque *καινά* vocant illa crimina, nova et inusitata, quae nos extraordinaria diximus, eaque *ἄγραφα* dicta esse docent in Sophistarum ac Rhetorum scholis, qui in talium criminum accusationibus et defensionibus, aptissimo declamationum scholasticarum argumento, discipulos exercere solerent. Eodem plane modo etiam Latini Rhetores de similibus criminibus inscriptorum maleficiorum nomen invenerunt[36]). Atque hoc *ἀγράφων ἀδικημάτων* et inscriptorum maleficiorum nomen sua natura non minus privatis quam publicis delictis convenit, dum illa sint ejusmodi, quae certis le-

35) *Καινῶν*, non *κοινῶν*, quod apud Suidam exstat, scriptum est in Lex. Rhet. quae scriptura sine dubio rectior, et apud Suidam quoque reponenda esse videtur.

36) „Apud declamatores actio quaedam proponitur, e qua eorum quaedam oriuntur causae, inscripti maleficii: ut apud Senecam lib. 5. Declam. 1. Inscripti maleficii sit actio. Ea, ut opinor, maleficii erat legibus nominatim comprehensi neque cauti, cujus tamen actio dabatur. Quae quidem moribus Graecorum videtur comparata fuisse, non Romanorum, apud quos scholasticum hoc et declamatorium erat, non in republica usitatum. etc.“ Turneb. Adversar. Lib. X. cap. 6. — „Pleraque alia aliter in schola Rhetorum, aliter in foro nuncupantur. Inscripti maleficii actio in schola, stellionatus in foro. etc.“ Cujac. Observatt. Lib. IX. cap. 15. Ex hoc fonte fluxit Salmasianus ille stellionatus, quem exagitavit Heraldus. Quod autem Cujacius scholasticam inscripti maleficii actionem cum forensi stellionatus comparavit, recte id fecit, cum Latinos tantum Rhetores ante oculos haberet, apud quos de privatis delictis hoc nomen usurpatur, non de publicis, ut apud Graecos.

gum praescriptionibus non nominatim comprehendantur. Sed publica delicta, quae *ἄγραφα* sunt, omnia ad *εἰσαγγελίαν* pertinent, etsi non omnia, quae ad *εἰσαγγελίαν* pertinent, *ἄγραφα* sunt. Illud autem certissimum esse puto, *ἀγράφων ἀδικημάτων* nomen, quod apud nullum antiquum scriptorem invenitur, solis Rhetorum ac Sophistarum ingeniis deberi, et in foro Attico non magis exauditum unquam esse, quam inscriptorum maleficiorum in Romano. Lycurgus quidem, in oratione in Leocratem[57]), ad designanda ejusmodi extraordinaria atque inscripta maleficia, circumlocutione quadam utitur. *Ὅσα μὲν γὰρ τῶν ἀδικημάτων*, inquit, *νόμος τις διώρικε, ῥάδιον τούτῳ κανόνι χρωμένους, κολάζειν τοὺς παρανομοῦντας· ὅσα δὲ μὴ σφόδρα περιείληφεν ἑνὶ ὀνόματι προσαγορεύσας, μείζω δὲ τούτων τὶς ἠδίκηκεν, ἅπασι δὲ ὁμοίως ἔνοχός ἐστιν, ἀναγκαῖον τὴν ὑμετέραν κρίσιν καταλείπεσθαι παράδειγμα τοῖς ἐπιγιγνομένοις.* Quid enim ista, quae lex uno nomine non comprehendat, delicta, quae majora sint iis, de quibus leges nominatim statuerint, quid haec esse dicamus, nisi extraordinaria atque inscripta? Atque, cum ejusmodi esse contendat orator ea delicta, quorum accusatur ab eo Leocrates, delatus autem sit Leocrates per *εἰσαγγελίαν*, haec dici potest *εἰσαγγελία ἀγράφων ἀδικημάτων.*

At Desiderius Heraldus, vir et doctrina et ingenio eximius, et unus omnium de Iuris Attici scientia praeclarissime meritus, cum falsam Salmasii opinionem, *εἰσαγγελίαν* simillimam esse Romanorum stellionatui, refutaret, longe aliam *ἀγράφων ἀδικημάτων* explicationem proposuit, et probare ita studiose conatus est, ut omnem Grammaticorum auctorita-

57) Lycurg. in Leocr. p, 149. Steph.

tem, ad quos Salmasius provocaverat, et in quibus aliquod saltem quamvis infirmum illius opinionis praesidium positum esse videbatur, plane contemneret ac rejiceret.[38]). In quo vereor, ne, Salmasii refutandi studio ulterius quam par erat, se abripi passus sit. Nam quod contendit, ἄγραφα ἀδικήματα non esse inscripta illa atque extraordinaria crimina, sed certa quaedam et definita et nominatim legibus comprehensa, quae tamen ἄγραφα dicta sint, non quod nihil de iis nominatim et singulatim in legibus perscriptum esset, sed quoniam, cum poenam haberent legibus definitam, neque accusatoris aestimationi locus esset, actio illa, quae γραφή dicebatur, de iis institui non posset, cum γραφή nulla esset sine poenae aestimatione: primum id tum demum esset aliquid, si certum esset, illud nomen in ipso foro Attico usitatum fuisse, non solum in schola, et a Jurisconsultis inventum esse, non a Rhetoribus. Quodsi id non ita est, (quis autem ita esse adseruerit?) nihil causae est, cur Grammaticis fidem habendam esse negemus in iis, quae de Rhetorum definitionibus tradunt, qui eorum quasi propinqui sunt et consanguinei. Hi sine dubio nulla alia ἄγραφα ἀδικήματα norant, quam ea, de quibus Grammatici loquuntur.

Dein, etiamsi concedendum esset, eum, qui primus hoc nomen invenerit, illud ipsum designare voluisse, quod designari putet Heraldus, errasse eum contenderem. Neque enim verum est, in iis delictis, quae per εἰσαγγελίαν ad Senatum populumve deferri solebant, γραφήν nunquam locum habuisse, et falsum est illud utriusque actionis discrimen, quod ab Heraldo proponitur. Quid enim? Prodi-

38) Herald. Animadv. in Salmasium Lib. III. c. 7. §. 6. p. 222.

tionis sane erat *εἰσαγγελία*, quam et e veteribus nonnulli memorant[39]), et Heraldus ipse quam copiosissime explicavit[40]). Tamen etiam *γραφὴν προδοσίας* nominat Julius Pollux[41]). Calumniae et *γραφήν* fuisse apud Thesmothetas et *εἰσαγγελίαν* ad Senatum, docemur ab Isocrate[42]). Si quis populi imperium labefactaret atque eversum iret, ejus criminis *εἰσαγγελίαν* fuisse Theophrastus tradit apud Pollucem, *γραφήν* Demosthenes[43]). *Ξενίας γραφήν* fuisse, dubium non est; tamen etiam *εἰσαγγελία ξενίας* memoratur a Dionysio Halicarnasseo[44]). Caedis denique ordinaria accusatio erat *γραφή*; tamen etiam caedis *εἰσαγγελίαν* ad Senatum delatam legimus apud Demosthenem[45]). Haec exempla, quibus plura etiam addi poterant, de quibus infra commodior dicendi locus erit, apertissime, puto, ostendunt, eadem delictorum genera nunc per *εἰσαγγελίαν*, nunc per ordinariam *γραφήν* in judicium vocari potuisse. Et sane, quod supra jam dixi, omnia omnino delicta publica,

---

39) Demosth. adv. Leptin. p. 481. cf. Pollux VIII. 52.

40) Herald. l. l. cap. 10 — 12.

41) VIII. 40.

42) De Permut. p. 820. ed. Wolf. *κατὰ δὲ τούτων (τῶν συκοφαντῶν) γραφὰς μὲν πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας, εἰσαγγελίας δ' εἰς τὴν βουλὴν, προβολὰς δ' ἐν τῷ δήμῳ (οἱ πρόγονοι ἐποιήσαντο.)*

43) Pollux VIII. 52. cf. Dinarch. in Dem. p. 102, 14. — Demosth. or. 2. in Stephanum, p. 1137. *Νόμος. Ἐάν τις συνίστηται ἢ συνδεκάζῃ τὴν Ἡλιαίαν, ἢ τῶν δικαστηρίων τι τῶν Ἀθήνησιν, ἢ τὴν βουλὴν, ἐπὶ δωροδοκίᾳ χρήματα διδοὺς ἢ δεχόμενος, ἢ ἑταιρίαν συνίστῃ ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου, — — τούτων εἶναι τὰς γραφὰς πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας.*

44) Dionysius in Dinarcho, p. 116. 31. ed. Sylburg. inter Dinarchi *δημοσίους λόγους γνησίους* enumerat orationem *κατὰ Πεισικλέους, εἰσαγγελίαν ξενίας.*

45) Demosth. in Midiam, p. 554.

etiamsi ipsa per se simpliciter spectata ad id genus pertinerent, quod e certis ac definitis legum praescriptionibus, in ordinario judicio, ordinario modo, persequi et vindicare posses, tamen, ubicunque aut temporum aut hominum ipsorum, qui deliquissent, conditio, aut aliae quaevis rationes id postulare videbantur, pro extraordinariis haberi, et extraordinario modo, per *εἰσαγγελίαν*, ad Senatum populumve deferri poterant. — Jam videndum est de illo *γραφῶν* et *εἰσαγγελιῶν* discrimine, quod falsum esse diximus. Haec enim est Heraldi sententia, in *γραφαῖς* omnibus poenam ab accusatore aestimandam fuisse, neque de ullis aliis criminibus *γραφήν* institui potuisse, quam de iis, quorum nulla poena legibus esset definita; in *εἰσαγγελίαις* contra poenae aestimationem fuisse nullam, sed eorum tantum delictorum fuisse *εἰσαγγελίαν*, quae certam legibusque definitam poenam haberent. At *ξενίας* certe erat *γραφή*, poena autem legitima, servitus [46]). Porro, si quis peregrinus civem Atticam uxorem duxisset, quacunque fraude et fallacia, hujus criminis *γραφή* erat apud Thesmothetas, poena autem legibus constituta, ut venderetur ipse, pecunia autem publicaretur, cujus tertia pars accusatori cederet [47]). Eodem modo et accusabatur et puniebatur peregrina, quae civi Attico nupserat. Item, si quis civis peregrinam, tanquam sibi propinquam, civi Attico elocasset, accusabatur per *γραφήν* apud Thesmothetas, poenam autem subibat, lege definitam, *ἀτιμίαν* et bonorum publicationem [48]). *Ψευδεγγραφῆς*

46) Ulpian. ad Demosth. adv. Timocrat. p. 467.

47) Demosth. in Neaeram, p. 1550.

48) Demosth. in Neaer. p. 1363.

aut *βουλεύσεως* accusatio erat *γραφή*[49]), poena autem legitima, ut is, qui alterum falso inter aerarios retulisse convictus esset, ipse ejus loco inscriberetur[50]). *Ἀπροστασίου* accusatio *γραφή* erat, poena servitus[51]). *Ἀστρατείας* denique, *λειποταξίου*, *δειλίας* erant *γραφαί*, poena autem infamia[52]). Atque haec satis, opinor, demonstrant, non in omnibus *γραφαῖς* poenam ab accusatore aestimandam fuisse. Jam eorum delictorum, in quibus *εἰσαγγελία* locum haberet, poenam non semper legibus definitam fuisse, ea ipsa ostendunt, quae de extraordinariorum criminum ratione a nobis disputata sunt. Fuerunt enim illa aut vere inscripta, *ἄγραφα*, de quibus nihil nominatim in legibus constitutum esset, aut non quidem prorsus inscripta, sed tamen extraordinaria, id est majora atque graviora, quam ut ordinario modo persequenda et vindicanda esse viderentur. Itaque poenam aut ab actore aestimari, aut a Senatu vel populo aut a judicio constitui oportebat; qua de re infra dicendum erit.

Jam, ut ad Grammaticos nostros revertamur, satis perspicuum esse puto, et quid illud sit, quod dicunt, *εἰσαγγελίαν* fuisse *τῶν ἀγράφων ἀδικημάτων*, et quatenus ea definitio vera sit. Videlicet in omnibus publicis maleficiis inscriptis *εἰσαγγελία* locum habebat, non autem illa sola erant et praeterea nulla, in quibus locum haberet. Quin nemo est, qui non sua sponte intelligat, multo rarissima esse opor-

---

49) Pollux VIII. 40. 43. et ibi Interp.

50) Demosth. adv. Aristogiton. p. 792. et Liban. in argument. p. 769.

51) Pollux VIII. 35. Demosth. l. l. p. 790. ubi in editt. legitur *ἀποστασίου*. Sed *ἀπροστασίου* legendum esse jam Valckenarius vidit, ad Ammon. p. 19.

52) Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 566.

tere ejusmodi delicta, quae certis legibus cauta non sint, aut ad quae legum praescriptiones non sine difficultate applicari queant; illa contra longe frequentiora, in quibus, propter hominum, rerum, temporum conditionem, ordinaria ac vulgaris judiciorum ratio deserenda esse videretur. Atque nimio saepius, quam opus erat, id faciendum videbatur potentibus factiosisque hominibus, qui, deferendis ad Senatum populumque criminibus, etiam levioribus, aut sibi majorem gratiam atque auctoritatem quaererent, aut adversariis majorem invidiam atque periculum creare studerent. Et libenter plerumque accipiebantur ejusmodi delationes ab hominibus imperitis, suspicacibus, majestatem suam ac popularem statum etiam levissimis ex causis imminutum et labefactatum iri timentibus, aut publicatis reorum bonis aerarium augeri cupientibus[53]. In universum autem quibus praecipue de causis *εἰσαγγελίαι* instituti solitae sint, Julius Pollux docet[54]), auctorem secutus Theophrastum: *Ἐγίγνοντο δὲ καὶ εἰσαγγελίαι κατὰ τῶν καταλυόντων τὸν δῆμον ῥητόρων, ἢ μὴ τὰ ἄριστα τῷ δήμῳ λεγόντων, ἢ πρὸς τοὺς πολεμίους ἄνευ τοῦ πεμφθῆναι ἀπελθόντων, ἢ προδόντων φρούριον ἢ στρατιὰν ἢ ναῦς, ὡς Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ Νόμων*[55]).

---

53) Lepidissime hos civium suorum mores perstringit Aristophanes, Vesp. v. 486 — 505. cf. Lysias adv. Nicomachum, p. 185. 21.

54) VIII. 52.

55) De toto hoc Pollucis loco copiose disserit Heraldus l. l. cap. 9 — 13. Quid sit: *καταλύειν τὸν δῆμον*, optime idem explicat, cap. 9. §. 5. „*Κατάλυσις τῆς πολιτείας* est crimen majestatis. Si *πολιτεία* illa democratia est, quodcunque fit ad eam dissolvendam aut minuendam, dicitur *τοῦ δήμου κατάλυσις*, et crimen est majestatis.“ Quod autem idem cap.

Nunc, quo haec omnia magis illustrentur, insignia quaedam εἰσαγγελιῶν exempla e veteribus ipsis scriptoribus proponenda esse videntur[56]). Ac primum sit exemplum Alcibiadis, qui profanatorum mysteriorum accusatus est per εἰσαγγελίαν ad Senatum. Rem his verbis narrat Isocrates, in ea, quam Alcibiadis filio conscripsit, oratione de bigis: *Εἰδότες δὲ (οἱ τοῦ πατρὸς ἐχθροὶ) τὴν πόλιν τῶν μὲν περὶ τοὺς θεοὺς μάλιστ' ἂν ὀργισθεῖσαν, εἴ τις εἰς τὰ μυστήρια φαίνοιτο ἐξαμαρτάνων, τῶν δ' ἄλλων, εἴ τις τολμώη τὸν δῆμον καταλύειν, ἀμφοτέρας ταύτας συνθέντες τὰς αἰτίας, εἰσήγγελλον εἰς τὴν βουλὴν, λέγοντες ὡς ὁ πατὴρ συνάγει μὲν τὴν ἑταιρίαν ἐπὶ νεωτέροις πράγμασιν, οὗτοι δὲ ἐν τῇ Πολυτίωνος οἰκίᾳ συνδειπνοῦντες τὰ μυστήρια ποιήσειεν*[57]). Duo igitur erant crimina, quorum insimulatus est Alcibiades; alterum, quod sodalitatem contraxisset ad evertendum statum popularem, cujus criminis ordinariam accusationem γραφήν apud Thesmothetas fuisse, supra e Demosthene

---

13. §. 1. pro eo, quod in antiquioribus editionibus vulgatum erat: ἢ πρὸς τοὺς πολέμους ἀ. τ. π. ἀπελθόντων, legendum putat: ἢ τῶν τοῦ πολέμου — ἀπελθ. (debebat sane ἐκ τοῦ πολ.) non opus est, moneri, quanto melior et certior sit emendatio, τοὺς πολεμίους, a Jungermanno et Kuhnio prolata, et Mstis probata. Capitale illud crimen fuisse, Demosthenes quoque indicat, de falsa leg. p. 380.

56) Magnam horum partem congessit jam vir praeclarissimus et de universo nostrarum litterarum genere optime meritus, A. Matthiae, in libello de Iudic. Ath. P. 2. p. 250 — 258. quod opusculum cum in ceteris omnibus partibus, tum in hac praecipue, quae est de εἰσαγγελίᾳ, egregium est cognoscendi Iuris Attici subsidium. Poterant tamen et plura exempla addi, et ea, quae allata sunt, paullo accuratius explicari.

57) Isocrat. de Bigis p. 828.

docuimus[58]); alterum, quod mysteria profanasset, quod crimen proprie ἀσέβεια erat, eoque nomine appellatur in ipsa Thessali contra Alcibiadem εἰσαγγελίᾳ, cujus partem servavit nobis Plutarchus[59]), Atque ἀσεβείας erat γραφή apud regem sacrorum[60]). Nunc autem, in hac Alcibiadis causa, cum duo crimina conjuncta essent, ipse autem, qui deliquerat, clarus imprimis et potens in civitate vir, tempus autem reipublicae periculosissimum, deserendum putarunt ordinariam utriusque criminis persequendi viam, institueruntque εἰσαγγελίαν ad Senatum. Inde res ad judicium rejecta; Alcibiades absens capitis damnatus est.

Alterum sit Antiphontis oratoris, Archeptolemi et Onomaclis exemplum. Hos narrat Pseudo-Plutarchus[61]) per εἰσαγγελίαν ad Senatum delatos esse, quod sine publica auctoritate et contra rempublicam e castris hostili nave vecti et per Deceleam, ab hostibus occupatam, pedibus profecti, Lacedaemonem tanquam legati abiissent[62]). Hac delatione accepta Senatus eos prehendendos, in judicium sistendos et a creatis publice accusatoribus et si quis alius vellet, proditionis accusandos esse censuit. Condemnati supplicio affecti sunt, ipsi sepulturae honore privati, bona eorum publicata, aedes diru-

58) Demosth. or. 2. in Stephan. p. 1137.

59) Vit. Alcibiad. cap. 22. cf. ib. cap. 19. et Pseudo-Plutarch. Vitt. X. Oratt. in Andocid. Tom. II. p. 834.

60) Lysias in Andocid. p. 104. 13. cf. Demosth. adv. Timocrat. p. 702. adv. Androt. p. 601. Pollux VIII. 40. 90.

61) Vitt. X. Oratt. in Antiphonte, p. 833. E. cf. Herald. cap. 10. 11.

62) Erat igitur haec εἰσαγγελία ex eo genere, quod Pollux VIII. 52. memorat: κατὰ τῶν πρὸς τοὺς πολεμίους ἄνευ τοῦ πεμφθῆναι ἀπελθόντων.

tae, posteri omnes infames facti. Proditio hoc crimen in ipso Senatusconsulto vocatur; proditionis autem erat etiam γραφή[63]). Nunc autem extra ordinem per εἰσαγγελίαν illi delati sunt, propterea, quod viri erant auctoritate et potentia magna, et, si perfecissent consilium, rempublicam in maximum discrimen adducturi fuisse videbantur.

Etiam Leocratis causa huc pertinet. Is enim post proelium Chaeronense Athenis fugerat et Rhodum se contulerat; inde aliquo post tempore Megaram migraverat, et in Megarensis alicujus clientelam receptus, frumentariam negotiationem exercuerat, in Thesaliam et Corinthum frumentum venditans. Hunc sexto demum anno Athenas reversum, proditionis reum fecit Lycurgus per εἰσαγγελίαν[64]). Atqui neutrum eorum criminum, quae Leocrates commiserat, per se ipsum proditio vocari potuit; sed quod, cum ad arma omnes vocarentur, militiam detrectaverat et patriam deseruerat, ἀστρατεία haec erat, cujus criminis accusatio erat γραφή[65]); quod autem frumentum alio quam Athenas vexerat, quod per leges non licebat civibus Atticis, ejus criminis ordinaria accusatio erat φάσις[66]). Atque usus est Leocrates etiam hac exceptione, ut diceret, proditionem ne potuisse quidem a se committi, quippe qui neque navalium, neque portarum, neque castrorum, neque omnino ullius earum rerum potestatem habuerit, quibus in rebus proditio versari soleret[67]).

63) Pollux VIII. 40.

64) Lycurg. in Leocrat. p. 149. 39 — 151. 21. ed. Steph.

65) Pollux l. l. cf. Lys. in Alcibiad. p. 144. 20. et Markland. ad h. or. p. 554. sq. ed. Reisk.

66) Vid. Liban. in argum. or. in Theocrin. 321. cf. Böckh. I. p. 93.

67) Lycurg. in Leocrat. p. 155. 23.

Et vere hoc dixit, si propriam ac vulgarem hujus vocabuli vim spectemus. Sed reponit Lycurgus, Leocratem non unam aliquam reipublicae partem, sed, quantum quidem in ipso fuerit, universam rempublicam hostibus prodidisse. Gravissimo enim casu afflicta civitate, cum victor hostium exercitus propediem adventurus videretur ad urbem ipsam oppugnandam, cum omnes omnium ordinum atque aetatum homines ad arma vocati essent, ipsum exuta omni patriae caritate, omni civium suorum amore, omni in Deos patrios atque penates pietate, clam, contra populi decretum, aufugisse, et ita aufugisse, ut qui nunquam esset rediturus[68]). Atque de tali facinore statuisse jam dudum populum, quid esset sentiendum: nam in Autolyci cujusdam causa, qui similis, quamquam minus atrocis criminis accusatus erat, decretum esse, eos, qui patriam in discrimine versantem deseruissent, proditionis teneri[69]). At vero hoc uno delicto non contentum Leocratem in voluntario illo quinque annorum exilio, Megarensis nescio cujus cum summo et suo et patriae dedecore clientem, alio etiam modo in rempublicam peccasse, frumento Corinthum non Athenas vehendo[70]). Itaque tam multiplicia, tamque magna esse ejus delicta, tam supra omnem vulgarem modum atrocia, ut nullae eorum poenae veteribus legibus constitutae sint. Neque enim unquam fuisse quemquam, qui tam graviter delinqueret, neque futurum aliquando providere legislatores potuisse[71]). — Haec paullo accuratius exponenda putavi, quia hocce

68) Ibid. p. 152. 27.

69) Ibid. p. 154. 31.

70) Ibid. p. 151. 18.

71) Ibid. p. 148. 41.

Leocratis exemplum unum omnium maxime extraordinariorum delictorum rationem declarare posse videbatur. In reliquis breviorem esse licebit.

Proditionis per *εἰσαγγελίαν* accusari solebant etiam imperatores, qui in bello gerendo aut ignavi ac negligentes, aut perfidi ac perduelles fuisse videbantur. Ita v. c. Miltiades propter omissam Pariam expeditionem, quod, cum insulam expugnare posset, a rege corruptus, infectis rebus discessisset, proditionis accusatus est apud populum, et quinquaginta talentis mulctatus[72]); quin in barathrum dejectus foret, nisi intercessisset Epistata, qui eo die comitiis praeerat[73]). — Similiter Timotheus Cononis filius propter expeditionem quandam omissam reus factus est apud populum, ipse imperio privatus, quaestor autem ejus, Antimachus, capitis damnatus[74]). Atque huc pertinet, quod Demosthenes dicit, de Chabria loquens: *Μίαν μὲν πόλιν εἰ ἀπώλεσεν ἢ ναῦς δέκα μόνας, περὶ προδοσίας ἂν αὐτὸν εἰσήγγελον οὗτοι.* — Sed alia quoque imperatorum delicta eodem modo deferri solebant; veluti, si quis socios vexarat aut naves eorum mercatorias praedatus erat[75]), quod delictum omnium frequen-

72) Nepos Miltiad. cap. 7. cf. Herodot. VI. cap. 136.

73) Plato Gorg. p. 516. D. *Μιλτιάδην δὲ τὸν ἐν Μαραθῶνι εἰς τὸ βάραθρον ἐμβαλεῖν ἐψηφίσαντο, καὶ εἰ μὴ διὰ τὸν Πρύτανιν, ἐνέπεσεν ἄν.* Acta igitur est haec causa in comitiis, et a populo ipso judicata: ex quo colligi posse videtur, Miltiadem per *εἰσαγγελίαν* delatum esse.

74) Demosth. in Timoth. p. 1187. cf. Nepos vit. Timoth. cap. 4.

75) Demosth. de Chersones. p. 96. 97. — Ejusdem generis est Ergoclis causa, qui Lysiae oratione accusatur sociorum vexationis, peculatus, proditionis. (Lys. p. 179 — 181.) Actam enim hanc causam esse apud populum, et ex hac ipsa oratione apparet, p. 180. 14. et e proxima in Philocratem, p. 182. 27.

tissimum erat oratorum nostrorum tempore in illis mercenariorum militum ducibus, qui cum neque a republica pecuniam in stipendium acciperent, neque sine stipendio milites continere possent, necessitate coacti ad praedas rapinasque faciendas se convertebant. Denique illam quoque *εἰσαγγελίαν* fuisse puto, qua in populi judicium vocati sunt decem praetores propter neglectam militum ad Arginusas insulas occisorum sepulturam[76]).

Etiam legatorum, qui aut sine publica auctoritate legationem susceperant, aut in administranda legatione, pecunia corrupti aut alia quacunque de causa reipublicae commoda neglexerant atque prodiderant, aut in renuntianda legatione populum mendaciis in fraudem induxerant, horum igitur delicta per *εἰσαγγελίαν* deferri potuisse, auctor est inter alios Aeschines, qui in oratione de falsa legatione ita alloquitur Demosthenem: *Πρεσβεύσαντος*, inquit, *ἐμοῦ τὴν τρίτην ἤδη πρεσβείαν ἐπὶ τὸ κοινὸν τῶν Ἀμφικτυόνων — τολμᾷς με λέγειν, ὡς οὐ χειροτονηθεὶς ᾠχόμην, ἐχθρὸς δ' ὢν οὔπω καὶ τήμερον τεθέληκάς με εἰσαγγεῖλαι παραπρεσβεύσαντα*[77]). Et Demosthenes quoque de legatione ad Philippum et male gesta ab Aeschine et male renunciata loquens, *καὶ*, inquit, *εἴ γέ τι τῶν προσηκόντων ἐγίνετο, ἐν εἰσαγγελίᾳ πάλαι ἂν ἦν*[78]). Eodem crimine per *εἰσαγγελίαν* accusatus est ab Hyperide Philocrates et in exilium actus[79]); et Timagoras, qui in legatione a Persarum rege corruptus erat, reus

76) Xenoph. Hellen. I. cap. 7. §. 3. sqq. Fuit autem horum accusatio et judicium tumultuarium et praeter consuetum morem.

77) Aeschin. de fals. leg. p. 306.

78) Demosth. de fals. leg. p. 374.

79) Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 470. et 473. cf. Demosth. d. f. l. p. 376.

apud populum factus est a collega suo Leonte, et extremo supplicio affectus[80]). — Erat autem ejusmodi delictorum etiam ordinaria accusatio, γραφὴ παραπρεσβείας[81]), ut, utram harum actionum eligere vellet, liberum esset accusatori, prout aut gravius aut levius delictum esse existimaret, aut hanc vel illam suis aut reipublicae rationibus magis convenire.

Porro, si quis orator populo male et perfidiose consuluisse, aut rempublicam consiliis suis in periculum et perniciem induxisse videretur, hujus quoque criminis, quod sane varium ac multiplex existere potuit, neque de communi ac vulgari delictorum genere censeri, εἰσαγγελίαν fuisse legimus apud Pollucem[82]). Atque huc illud quoque pertinet, quod Demosthenes atque Isocrates testantur, legem fuisse, ut, qui populum falsis promissis, mendaciis et calumniis in fraudem induxissent, per εἰσαγγελίαν accusarentur[83]).

Restant quaedam εἰσαγγελιῶν exempla, quae praeterire nolo, breviter autem attigisse satis habebo. Primum est apud Demosthenem, in oratione in Euergum[84]). Narrat ibi is, cui scripta est haec oratio, se trierarchum et symmoriae suae curatorem, cum a Theophemo, qui antea trierarchus

80) Demosth. l. l. p. 350. 383. 400.

81) Ordinarium de legatis judicium generali nomine εὐθύνη aut εὔθυνα vocabatur, exercebatur autem aut ab Heliastis aut ab Euthynis; et qui in ejusmodi judicium legatum aliquem adduxit, is eum παρανόμων γράψασθαι dicebatur. v. Iul. Pollux VIII. 45. 46. cf. Demosth. d. f. l. p. 374. et 363. Harpocr. s. v. εὔθυναι.

82) VIII. 52.

83) Demosth. in Timoth. p. 1204. cf. id. adv. Leptin. p. 487. 498. Petit. Legg. Att. p. 527. sqq. Isocrat. de Permut.

84) Dem. in Euerg. p. 1149 — 1152.

fuisset, armamenta nautica, quae ab eo reipublicae deberentur, e Senatus consulto exigeret, illo autem ea reddere recusante, pignora ex ejus domo caperet, per vim prohibitum esse a Theophemo, et pugnis contusum. Adiisse igitur ad Senatum, ut de hac injuria conquereretur; Senatum autem vehementer commotum, existimantemque, non tam ad ipsum, qui pulsatus esset, sed ad rempublicam ac leges illam injuriam pertinere, εἰσαγγελίαν hac de re ad se deferri jussisse. Delata εἰσαγγελίᾳ Theophemum a Senatu et ad reddenda armamenta condemnatum, et insuper viginti quinque drachmis mulctatum esse. — Extraordinarium hoc fuisse delictum, nemo non intelligit. —

Alterum exemplum exstat apud Lysiam[85]). Cum institutum esset Athenis, ut pauperiores cives, qui victum ipsi quaerere per corporis imbecillitatem non possent, stipendium quoddam ex aerario acciperent[86]), accusatus est nescio quis, quod, cum corpore satis valeret, atque etiam artem calleret, unde quaestum facere posset, tamen stipendium illud immerito accepisset. Accusatus autem est apud Senatum[87]) per εἰσαγγελίαν, siquidem fides haberi debet vulgato illius orationis titulo, quam pro isto invalido Lysias conscripsit: πρὸς τὴν εἰσαγγελίαν περὶ τοῦ μὴ δίδοσθαι τῷ ἀδυνάτῳ ἀργύριον. nam in ipsa oratione nulla est εἰσαγγελίας mentio[88]).

---

85) Orat. XXIV. p. 168.

86) cf. Boeckh. Staatshaushalt. d. Ath. I. p. 260.

87) cf. Herald. Animadv. III. 8. §. 2.

88) Boeckhius quidem, l. l. p. 261. not. 404. hanc orationem μελέτην tantum, non verum ἀγῶνα esse putat; sed quam affert rationem, eam me non satis assequi fateor.

Tertium exemplum item e Lysia repetitur[89]). Lex enim erat Athenis, ut ne quis supra quinquaginta frumenti phormos coemeret; (est autem ea mensura incertae magnitudinis). Hanc legem frumentarii quidam migraverant; delati sunt ad Senatum; Senatus causam ad judicium rejecit. Haec quoque εἰσαγγελία fuisse videtur[90]).

Denique apud eundem Lysiam in oratione in Theomnestum[91]) εἰσαγγελία memoratur contra eum delata, qui cum abjecto scuto infamis factus esset, tamen in comitiis cum populo agere auderet. Propria hujus criminis delatio erat ἔνδειξις; igitur quod nunc εἰσαγγελίαν institutam legimus, factum id est extra ordinem, sive propter Theomnesti illius personam, sive alia quacunque de causa.

De his εἰσαγγελίαις exstabat lex quaedam, νόμος εἰσαγγελτικός, cujus mentio est apud Demosthenem atque Pollucem. Definiebatur, opinor, hac lege, primum, in quibus delictorum generibus illa delatio locum haberet, dein, quae essent delatoris in deferendo, quae Senatus et populi in judicando officia ac jura[92]). Atque de generibus delictorum quam po-

89) Lys. κατὰ τῶν σιτοπωλ. p. 164.

90) cf. Matthiae de Iudic. Ath. P. 2. p. 252. not. 7.

91) Pag. 116. l. 17.

92) Pollux VIII. 51. Ἡ δ' εἰσαγγελία τέτακται ἐπὶ τῶν ἀγράφων δημοσίων ἀδικημάτων, κατὰ τὸν νόμον τὸν εἰσαγγελτικόν. Demosth. de Chersones. p. 96. extr. εἰ γὰρ δεινὰ ποιεῖ Διοπείθης, καὶ κατάγει τὰ πλοῖα, μικρὸν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μικρὸν πινάκιον ταῦτα πάντα κωλῦσαι δύναιτ' ἄν. καὶ λέγουσιν οἱ νόμοι ταῦτα, τοὺς ἀδικοῦντας εἰσαγγέλλειν. Loquitur autem orator de imperatorum delictis, vexationibus sociorum, navium capturis. Haec igitur erant delicta ex eo genere, in quo τῇ εἰσαγγελίᾳ locum esse leges statuerant. — Alius locus est adv. Timocrat. p. 720. quem infra adscribemus.

tuit accuratissime disseruimus; nunc ad alterum locum accedimus.

Itaque omnes εἰσαγγελίαι non ad Archontem aliquem, sicut γραφαί, φάσεις et ἐνδείξεις, sed aut ad Senatum aut ad populum deferebantur; πρὸς τὴν βουλὴν, inquit Harpocratio, ἢ πρὸς τὸν δῆμον ἡ πρώτη κατάστασίς ἐστιν. Hi causam primum cognoscebant; dein quid ultra faciendum esset, statuebant. Ac Senatus quidem in hujuscemodi causis munera satis cognosci possunt e Demosthenis oratione in Euergum. Ibi enim actor, postquam narravit, se de Theophemi injuriis conquestum esse apud Senatum, in hunc fere modum pergit. „Senatus igi„tur," inquit, „his injuriis vehementer commotus, „cum non mihi, sed sibi ipsi, populo ac legi con„tumeliam factam existimaret, eum me jussit εἰσαγ„γέλλειν, prytanesque ei, quippe qui in rempublicam „deliquisset et expeditionem navalem moratus esset, „intra biduum diem dicere ob armamenta non red„dita, pignora vi erepta, meque, cum reipublicae „inservirem, graviter pulsatum. Cum haberetur igi„tur in curia de Theophemo judicium, secundum „εἰσαγγελίαν, qua eum ego detuleram, facta utriqui „dicendi copia ac suffragiis occultis a Senatoribus „datis, criminis eum teneri judicarunt: Et cum in „eo curia esset, ut deliberaret, judicibusne eum tra„deret, an quingentis drachmis mulctaret, quanta „eum summa mulctare per leges ipsi licebat, de„precantibus istis omnibus et supplicantibus et quem „non alium deprecatorem allegantibus, atque arma„mentorum indicem in ipsa curia statim redditi„bus, et de plagis mihi illatis quemcunque ego vel„lem arbitrum se accepturos esse pollicentibus, con„cessi eorum precibus et viginti quinque drachmis „eum mulctari passus sum." Ex hac narratione

hoc primum colligi potest, εἰσαγγελίαν certis formulis concipiendam fuisse, et conscribendam quoque sine dubio, id quod aliis quoque rationibus probatur[93]). Dein, si accepta esset εἰσαγγελία, [liberum enim Senatui in quibusdam certe causis fuisse videtur arbitrium, velletne eam accipere, nec ne][94]); diem reo dictam esse a Prytanibus ad causam dicendam. Interim, nisi vades dabat, in vinculis haberi potuit; atque in majestatis et peculatus crimine, etiamsi vades dare paratus esset[95]). Iudicii die, accusato reo atque defenso, suffragia ferebantur a Senatoribus occulta, quemadmodum in ordinariis quoque judiciis ab Heliastis ferri solebant. Condemnato reo, sequebatur altera deliberatio, de mulcta, quam, si non majorem quingentis drachmis imponi placuisset, Senatus ipse dicebat; sin graviore mulcta aut capitali poena crimen dignum esse videretur, quoniam ultra quingentas drachmas Senatui mulctare non licebat, ad Heliaeam causa rejiciebatur

---

93) Isaeus, de Pyrrhi haereditate, p. 49. l. 25. Steph. hac utitur locutione: ἀπογραφεὶς εἰς τὴν βουλὴν κακουργῶν, ὑποχωρῶν ᾤχετο. perinde sine dubio hoc est, ac si dixisset εἰσαγγελθείς. cf. Matth. de Iud. Ath. p. 237. not. 15. Perscriptae εἰσαγγελίας exemplum, ejus, qua Alcibiadem Thessalus detulit, adhuc superest apud Plutarch. vit. Alcib. cap. 22.

94) Eadem est Heraldi sententia, III. 9. §. 1. Cum quis, inquit, delatus fuerat, sive in Senatu sive in populi conventu, prima disceptatio erat, an εἰσαγγελία esset recipienda. De populo incerta res est; de Senatu auctor est etiam Lysias in Nicomach. p. 185. 20. ἡ βουλὴ, ὅταν μὲν ἔχῃ ἱκανὰ χρήματα εἰς διοίκησιν, οὐδὲν ἐξαμαρτάνει· ὅταν δὲ εἰς ἀπορίαν καταστῇ, ἀναγκάζεται εἰσαγγελίας δέχεσθαι κ. τ. λ. Ita loqui non potuisset, nisi liberum fuisset Senatus arbitrium.

95) Demosth. adv. Timocr. p. 720. cf. Herald. III. 10. 5. sqq. et Matthiae de Iud. Ath. p. 233. not. 11.

tur[96]); cujus rei legitimus ordo is fuisse videtur, qui indicatur in Timocratis lege apud Demosthenem[97]). *Τιμοκράτης εἶπεν· ὁπόσοι Ἀθηναίων κατ' εἰσαγγελίαν ἐκ τῆς βουλῆς ἢ νῦν εἰσὶν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, ἢ τὸ λοιπὸν κατατεθῶσι, καὶ μὴ παραδοθῇ ἡ κατάγνωσις αὐτῶν τοῖς Θεσμοθέταις ὑπὸ τοῦ γραμματέως τοῦ κατὰ πρυτανείαν κατὰ τὸν εἰσαγγελτικὸν νόμον, δεδόχθαι, τοῖς Θεσμοθέταις εἰσάγειν τοὺς ἕνδεκα εἰς τὸ δικαστήριον*[98]) *ἐντὸς τριάκονθ' ἡμερῶν, ἀφ' ἧς ἂν παραλάβωσιν, ἐὰν μή τι δημοσίᾳ κωλύῃ. ἐὰν δὲ μὴ, ὅταν πρῶτον οἷόντ' ᾖ. κατηγορεῖν δ' Ἀθηναίων τὸν βουλόμενον οἷς ἔξεστιν. ἐὰν δ' ἁλῷ, τιμάτω ἡ Ἡλιαία περὶ αὐτοῦ, ὅ, τι ἂν δοκῇ ἄξιος εἶναι παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι. ἐὰν δ' ἀργυρίου*

---

96) Cf. Jul. Pollux VIII. 52. *κἂν μὲν μέτρια ἀδικεῖν δοκῇ, ἡ βουλὴ ποιεῖται ζημίας ἐπιβολήν· ἂν δὲ μείζω, παραδίδωσι δικαστηρίῳ· τὸ δὲ τίμημα, ὅ, τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτίσαι.* Ex his satis apertum esse puto, verum non esse, quod Heraldus contendit, eorum omnium criminum, in quibus *εἰσαγγελία* locum haberet, poenam fuisse legibus definitam; id quod extraordinariorum criminum naturae nullo modo consentaneum est. Quamquam quae fuerint in poena aestimanda accusatoris partes, nescire me fateor. Heraldus III. 8. §. 9. 10. nullam fuisse putat accusatoris *τίμησιν*, nullam rei *ἀντιτίμησιν* sed solos judices, Senatores puta, aut populum aut Heliastas, de poena statuisse; cui sententiae, vel opinioni potius, dum certius aliquid afferatur, equidem acquiescere non recuso.

97) Advers. Timocrat. p. 720.

98) Locus, in editionibus falso interpunctus: *δεδόχθαι τοῖς Θεσμοθέταις, εἰσάγειν τοὺς ἕνδεκα,* mutata interpunctione commodum sensum, eum quem paullo infra exposui, habere videtur, ut opus non sit Heraldi correctione, III. 10. 7. p. 232. *δεδόχθω, τοὺς Θεσμοθέτας εἰσάγειν τοὺς ἕνδεκα εἰς τ. δικ.* quasi ipsi undecimviri in judicium introducti sint a Thesmothetis, cujus sententiae neque auctoritatem Heraldus affert, neque rationem ego perspicere possum. Introduci in judicium, *εἰσάγεσθαι εἰς τὸ δικαστήριον*, eos tantum dici posse existimo, qui aut accusant aut accusantur, i. e. quorum causa in judicio agitur, quod in Undecimviros non quadrat.

τιμηθῇ, δεδέσθω τέως, ἕως ἂν ἐκτίσῃ ὅ, τι ἂν αυτοῦ καταγνωσθῇ. Constitutum igitur erat lege illa, τῷ εἰσαγγελτικῷ νόμῳ, ut, si quis esset per εἰσαγγελίαν ad Senatum delatus et a Senatu in vincula conjectus, Senatusconsultum illud, quo eum criminis teneri Senatus judicasset, a scriba Prytaniae traderetur Thesmothetis, hique reum in judicium deducerent[99]). Huic veteri legi alia nova subrogata est a Timocrate, ut, si quando Senatusconsultum illud, ἡ κατάγνωσις, Thesmothetis a scriba tradita non esset, undecimvirorum esset officium, intra triginta dies, ex quo reus ipsis traditus, i. e. in vincula datus esset, eum Thesmothetis adducere judicioque sistere, nisi si quid publici impedimenti incidisset. Accusare autem reum in judicio liceret cuivis civi, qui statu esset integro. Condemnato reo poena aestimaretur ab Heliaea. Si mulcta dicta es , in vinculis haberetur, donec eam solvisset.

Sed ab hoc vulgari et legitimo ordine discessit nonnunquam Senatus in gravissimis criminibus, ubi statim, et sine ulla deliberatione appareret, reum, si convictus esset, aut capitali poena, aut certe majore quam quingentarum drachmarum mulcta dignum esse. In his enim, cum Senatus cognitio et praejudicium supervacaneum esse videretur, statim res ad Heliasticum judicium rejici solebat, ita tamen, ut Senatusconsulto statueretur, quomodo deducendus in judicium reus esset, quomodo accusandus et quomodo judicandus. Haec commodissime intelligi poterunt ex illo Senatusconsulto, quod in Antiphontis vita servavit Pseudo-Plutarchus[100]):

---

99) Hoc Thesmothetarum munus indicat etiam Jul. Pollux VIII. 88. οἱ Θεσμοθέται — εἰσάγουσι τὰς ἐκ τῆς βουλῆς καταγνώσεις.

100) Vitt. X. Oratt. p. 833.

Ἔδοξε τῇ βουλῇ, μιᾷ καὶ εἰκοστῇ τῆς Πρυτανείας, Δημόνικος Ἀλωπεκῆθεν ἐγραμμάτευε, Φιλόστρατος Παλληνεὺς ἐπεστάτει, Ἄνδρων εἶπε περὶ τῶν ἀνδρῶν, οὓς ἀποφαίνουσιν οἱ Στρατηγοὶ πρεσβευομένους εἰς Λακεδαίμονα ἐπὶ κακῷ τῆς πόλεως τῆς Ἀθηναίων, καὶ ἐκ τοῦ στρατοπέδου πλεῖν ἐπὶ πολεμίας νεώς, καὶ πεζεῦσαι διὰ Δεκελείας, Ἀρχεπτόλεμον καὶ Ὀνομακλέα καὶ Ἀντιφῶντα συλλαβεῖν καὶ ἀποδοῦναι εἰς τὸ δικαστήριον, ὅπως δῶσι δίκην. παρασχόντων δ' αὐτοὺς οἱ Στρατηγοὶ καὶ ἐκ τῆς βουλῆς οὕστινας ἂν δοκῇ τοῖς Στρατηγοῖς προσελομένοις μέχρι δέκα, ὅπως ἂν περὶ παρόντων γένηται ἡ κρίσις. προσκαλεσάσθωσαν δ' αὐτοὺς οἱ Θεσμοθέται ἐν τῇ αὔριον ἡμέρᾳ, καὶ εἰσαγόντων, ἐπειδὰν αἱ κλήσεις ἐξήκωσιν, εἰς τὸ δικαστήριον. περὶ προδοσίας κατηγορεῖν τοὺς ᾑρημένους καὶ τοὺς Στρατηγοὺς καὶ ἄλλους, ἄν τις βούληται. ὅτου δ' ἂν καταψηφίσηται τὸ δικαστήριον, περὶ αὐτοῦ ποιεῖν κατὰ τὸν νόμον, ὃς κεῖται περὶ τῶν προδόντων. — Nulla in hoc Decreto mentio est praejudicii Senatus, sed cum tam gravia crimina in Archeptolemum, Antiphontem et Onomaclem intenta essent a delatoribus, ut statim appareret, si vera esset delatio, multo eos majore poena, quam cujus imponendae potestatem Senatus haberet, afficiendos fore, nihil aliud sibi statuendum Senatus existimavit, quam comprehendendos esse reos et Heliastico judicio tradendos. Id autem hoc modo faciendum esse decrevit, ut iidem illi imperatores, qui eos detulerant, aliique e Senatu, quos illi sibi adsumsissent, usque ad decem, eos judicio sisterent, quo de praesentibus judices cognoscerent. Singulare hoc fuit, et, ut videtur, propterea tantum in hac causa a Senatu decretum, quoniam a magistratibus, non a privatis delatio facta erat; alias, si privati essent delatores, undecimvirorum fuisse videtur, eos, qui apud ipsos in custodia essent, judicio si-

stere. Decrevit porro Senatus, ut proximo statim die judicium de iis haberi Thesmothetae curarent; ut imperatores creatique accusatores[101]) et si quis alius vellet, proditionis eos accusarent; ut, si criminis teneri visi essent, judices eam poenam iis imponerent, qua proditionem leges vindicari juberent.

Sed etiam populum ipsum nonnunquam in comitiis de *εἰσαγγελίαις* cognovisse legimus, factumque id duplici ratione videtur. Primum enim accidit subinde, ut, delatione ad Senatum facta, propter criminum magnitudinem aut maleficorum potentiam atque amplitudinem, Senatui opus esse videretur etiam ad populum de ea delatione referri, eique, quid de reo faciendum statueret, permitti[102]). Deinde haec quoque ratio invaluit, ut delator ipse non ad Senatum sed ad populum *εἰσαγγελίαν* suam deferret. Id in prima cujusque Prytaniae concione ordinaria, *τῇ κυρίᾳ ἐκκλησίᾳ*, factum esse, Harpocration et Julius Pollux tradunt[103]). *Τῶν δ' ἐκκλησιῶν*, Pollucis sunt verba, *ἡ μὲν κυρία, — ἐν ᾗ τὰς εἰσαγγελίας ὁ βουλόμενος εἰσαγγέλλει.* Illud ipsum, quod dicit, *ὁ βουλόμενος εἰσαγγέλλει*, satis ostendit, non eas *εἰσαγγελίας* designari, quas Senatus, ad se primo loco delatas, post ad populum quoque ferendas decreverit (in his enim Senatus arbitrium va-

101) A Senatu, ut videtur Heraldo, III. 10. §. 9. Quamquam possint etiam ii designari, qui ab imperatoribus e Senatu assumti essent, ut et in judicium simul producerent reos, et in judicio accusarent. Id quoque extra ordinem foret; alias enim accusatores isti sine dubio a Senatu creari solebant, sicut in aliis *εἰσαγγελίαις*, de quibus statim agendum erit, a populo.

102) cf. Mathiae, de Iud. Ath. P. 3. p. 241.

103) Harpocrat. s. v. *κυρία ἐκκλησία*. Pollux VIII. 95.

lebat, non delatoris voluntas), sed id quod a me supra dictum est, delatorem ipsum εἰσαγγελίαν suam non Senatui sed populo ad cognoscendum detulisse; quamquam id non sine Senatus venia factum esse crediderim; quae tamen venia non alio pertinuisse videtur, quam ut et ante comitia in programmate εἰσαγγελία illa denuntiaretur, et in comitiis cum populo agendi potestatem delatori facerent Proedri. — Sed idem Pollux alio loco Thesmothetarum id munus fuisse tradit, ut εἰσαγγελίας ad populum deferrent. *Οἱ Θεσμοθέται*, inquit, *τὰς εἰσαγγελίας εἰσαγγέλλουσιν εἰς τὸν δῆμον*[104]). Hic locus cum priore illo pugnare videtur; nam, quod antea τὸν βουλόμενον fecisse dixerat, id nunc Thesmothetis tribuit. Conciliari tamen haec facile possunt, si statuas, adeundos primum a delatore fuisse Thesmothetas, interrogandosque, utrum ad se aut ad aliquem e collegio nomen deferri, an εἰσαγγελίαν institui oportere existimarent. Si εἰσαγγελίαν institui aut posse aut debere respondissent, tunc aut ipsos rem ad populum tulisse, aut delatorem; quamquam potuit is quoque εἰσαγγέλλειν dici, qui εἰσαγγελίαν suo nomine a Thesmothetis deferendam curarit.

Jam quomodo res sive a Senatu sive a Thesmothetis sive ab ipso delatore ad populum lata, in comitiis peragi solita sit, quam poterimus accuratissime persequemur. Sed est hic locus paullo obscurior, in quo multa non nisi conjectura assequi liceat, cum neque a Grammaticis res satis explicetur, et paucissima exstent apud scriptores judiciorum populi exempla, et brevius ea narrentur, quam ut rei gerendae ordinem recte ex iis cognoscere possis, unum autem illud decem praetorum judicium, quod paullo accuratius a Xenophonte descri-

104) VIII. 87.

bitur, turbulentum et legitimo ordini non plane consentaneum fuisse videatur. Illud tamen dubium esse vix potest, primam post delatum in comitiis crimen fuisse disceptationem, suscipiendane populo esset caussae cognitio, nec ne[105]). Verba faciebant delator aliique oratores, ut *εἰσαγγελίαν* illam populo probarent, quaestionemque habendam suaderent; reus contra ejusque amici commissum esse maleficium negabant, neque quaestionem institui opus esse contendebant. Ita Theramenes decem praetores accusans haec dicit apud Xenophontem: *δικαίους εἶναι (τοὺς στρατηγοὺς) λόγον ὑποσχεῖν, διότι οὐκ ἀνείλοντο τοὺς ναυαγούς.* Persuadere igitur populo conatur, instituendam esse quaestionem. Illi contra in culpa se esse negant[106]). — Ubi satis in utramque partem disputatum erat, populus in suffragium mittebatur, videreturne reus crimine teneri, quaestioque instituenda esse, nec ne. Quodsi non teneri visus esset, dimittebatur, neque ulla amplius quaestione opus erat; sin contra, quaestionis et judicii dies constituendus erat, quo et accusaretur reus et defenderetur, et suffragium a populo ferretur[107]). Neque enim illae in prima ec-

105) Hunc, qui in sequentibus describitur, ordinem legitimum fuisse in iis *εἰσαγγελίαις*, quae statim ac primo loco ad populum delatae essent, veri videtur simillimum; earum autem, quae a Senatu ad populum latae essent, non unam semper rationem fuisse putarim, sed varias, prout Senatus aut jam ad liquidum rem perduxisset, aut integram populo reliquisset.

106) Xenoph. Hellen. I. 7. §. 5. sq.

107) Legitimum hunc fuisse ordinem, Euryptolemi verba declarant apud Xenophontem, l. l. §. 29. *Δεινὰ δ' ἂν ποιήσητε* (scrib. *ποιήσαιτε*) *εἰ Ἀριστάρχῳ μὲν, πρότερον τὸν δῆμον καταλύοντι, εἶτα δὲ Οἰνόην προδιδόντι Θηβαίοις, πολεμίοις οὖσιν, ἔδοτε ἡμέραν ἀπολογήσασθαι, ᾗ ἐβούλετο, καὶ τἄλλα*

clesia orationes pro justa accusatione et defensione habebantur, non magis quam populi illud praejudicium pro justa condemnatione. Interim reus, nisi vades daret in vincula aut jam conjectus erat a Senatu[108]), aut nunc conjiciebatur; rogabatur populus, quomodo exerceri judicium quaque poena condemnatum reum affici vellet[109]); actor ad accusa-

---

κατὰ τὸν νόμον προὔθετε· τοὺς δὲ στρατηγοὺς τοὺς πάντα ὑμῖν κατὰ γνώμην πράξαντας, νικήσαντας δὲ τοὺς πολεμίους, τῶν αὐτῶν τούτων ἀποστερήσετε. Apparet ex his, orationem illam, qua in priore ecclesia praetores crimen diluere conati erant, non pro justa defensione haberi, quod Xenophontis quoque verba indicant, §. 5. οὐ γὰρ προυτέθη σφίσι λόγος κατὰ τὸν νόμον. Non autem eodem statim die, quo εἰσαγγελία ad populum delata esset, accusationem et defensionem rite peragi potuisse, sua quisque sponte intelligit. Necessarium ergo erat, aliam ei rei concionem dari.

108) Xenoph. l. l. §. 3.

109 Ita in decem praetorum causa decretum est: τὴν βουλὴν προβουλεύσασαν ἐσενεγκεῖν, ὅτῳ τρόπῳ οἱ ἄνδρες κρίνοιντο. Senatus autem ita censuit: ἐπειδὴ τῶν τε κατηγορούντων κατὰ τῶν στρατηγῶν καὶ ἐκείνων ἀπολογουμένων ἐν τῇ προτέρᾳ ἐκκλησίᾳ, ἀκηκόασι, διαψηφίσασθαι Ἀθηναίους πάντας κατὰ φυλὰς, θεῖναι δὲ ἐς τὴν φυλὴν ἑκάστην δύο ὑδρίας. ἐφ᾽ ἑκάστῃ δὲ τῇ φυλῇ κήρυκα κηρύττειν, ὅτῳ δοκοῦσιν ἀδικεῖν οἱ στρατηγοὶ, οὐκ ἀνελόμενοι τοὺς νικήσαντας ἐν τῇ ναυμαχίᾳ, ἐς τὴν προτέραν ψηφίσασθαι, ὅτῳ δὲ μὴ, ἐς τὴν ὑστέραν. ἂν δὲ δόξωσιν ἀδικεῖν, θανάτῳ ζημιῶσαι, καὶ τοῖς ἕνδεκα παραδοῦναι, καὶ τὰ χρήματα δημοσιεῦσαι, τὸ δ᾽ ἐπιδέκατον τῆς θεοῦ εἶναι. Duo in hoc Senatusconsulto sunt legibus contraria; primum, quod illas in priore ecclesia orationes pro justa accusatione ac defensione Senatus haberi voluit; dein, quod de omnibus una suffragium ferendum censuit. Contradicit igitur Euryptolemus, juris ac legum propugnator, rogatque populum, primum, ut aut plures, aut unus saltem dies reis ad causam dicendam detur, dein, ut de singulis suffragium feratur. §. §. 20. 27. — Ceterum rogationes ejusmodi, de exercendi judicii forma, poenaque a condemnatis repetenda, non nisi Senatusconsulto

tionem, reus ejusque patroni ad defensionem omnia praeparabant, testimonia providebant, populo causam suam omni modo commendare studebant. Ubi dies judicii advenit, accusabant reum actor et si quis alius vellet[110]); causam ipse dicebat, et quidem nonnunquam ex vinculis, adstantibus utrinque, qui vinctum tenerent[111]). Tum de-

antea facto (cf. Lib. I. cap. 9.) ad populum ferri licuisse, Aristogitonis exemplum demonstrat, qui propter similem rogationem ἀπροβούλευτον, παρανόμων accusatus et quinque talentis mulctatus est, auctore Libanio, in argum. Orat. I. adv. Aristogiton. p. 767. 8. (Hausit autem haec Libanius sine dubio e deperdita Lycurgi adversus Aristogitonem oratione). Inde illud quoque perspicuum est, non in eadem statim concione, in qua εἰσαγγελία ad populum delata esset, ejusmodi rogationes ferri potuisse, sed aliquot post diebus, nonnunquam fortassis ipso demum judicii die. Alioquin enim necessario ἀπροβούλευτοι fuissent, in iis videlicet causis, quae non a Senatu, sed ab ipso delatore ad populum latae essent.

110) Euryptolemus apud Xenophont. l. l. §. 24. κρινέσθωσαν οἱ ἄνδρες κατὰ ἕνα ἕκαστον, διῃρημένων τῆς ἡμέρας τριῶν μερῶν· ἑνὸς μὲν, ἐν ᾧ ξυλλέγεσθαι ὑμᾶς δεῖ καὶ διαψηφίζεσθαι, ἐάν τε ἀδικεῖν δοκῶσιν ἐάν τε μή· ἑτέρου δὲ, ἐν ᾧ κατηγορῆσαι· ἑτέρου δὲ, ἐν ᾧ ἀπολογήσασθαι· Quod ante accusationem defensionemque suffragium ferri vult, videanturne rei crimine teneri, quaestioque de iis instituenda esse, nec ne, id eo sine dubio factum est, quia in priore concione illa διαχειροτονία populique praejudicium non rite factum erat. vid. §. 7.

111) In crimine majestatis, ἐάν τις τὸν δῆμον ἀδικῇ, e Cannoni cujusdam Psephismate, cujus praeter Xenophontem l. l. §. §. 21 et 57, meminerunt etiam Aristophanes Ecclesiaz. v. 1031 et Scholiastes ad h. l. cujus haec sunt verba: Ψήφισμα ἐγέγραφει, κατεχόμενον ἑκατέρωθεν ἀπολογεῖσθαι τὸν κατ' εἰσαγγελίαν κρινόμενον. Κρατῖνος δὲ καὶ πρὸς κλεψύδραν κελεῦσαι. Ξενοφῶν δὲ (l. l. §. 21.) εἰς τὸ βάραθρον ἐμβληθέντα ἀποθανεῖν. (perperam Xenophontem intellexit; non enim hoc dicit, sed ἀποθανόντας ἐς τὸ βάραθρον ἐμβληθῆναι i. e. post mortem, cadavera eorum.) quae sequuntur, corruptissima sunt,

mum suffragium populo dabatur, dispositis binis in tribus singulas urnis, altera absolutoriis, condemnatoriis altera calculis recipiendis destinata. Condemnatus reus ea poena afficiebatur, quae ante irrogata erat.

Non semper tamen criminum ad se delatorum populus ipse judicium exercere, sed Heliastis exercendum mandare solebat; itaque fiebat haud raro, ut una causa tribus locis, in Senatu, in comitiis, in Heliaea ageretur[112]). Quodsi ad Heliaeam rejicienda res esse videretur, Psephisma scribebatur eadem aut simillima haud dubie forma, atque ejusdemmodi Senatusconsulta; quae qualis fuerit, ex Antiphonteo illo Senatusconsulto supra cognovimus. Definiebatur igitur illo Psephismate primum, a quibus et quomodo reus in judicium ducendus, dein quo tempore judicium habendum, a quibus et quo crimine accusandus, denique condemnatus, qua poena afficiendus esset. Deduci autem in judicium, nisi quid extraordinarii populus statuisset, vulgo solebat a Thesmothetis[113]), accusari autem, praeter

---

neque emendare nunc vacat. Ceterum de isto Cannoni psephismate ingeniosissime disputavit Hudtwalcker, de Diaetet. p. 94. sq.

112) Cf. Matthiae de Iud. Ath. P. 2. p. 241.

113) Pollux VIII. 87. *οἱ Θεσμοθέται — τὰς εἰσαγγελίας εἰσαγγέλλουσιν εἰς τὸν δῆμον· καὶ τὰς χειροτονίας καὶ τὰς προβολὰς εἰσάγουσιν.* (scil. *εἰς τὸ δικαστήριον.*) Ita hic locus interpungendus est, non, ut vulgo: *τὰς εἰσαγγελίας εἰσαγγέλλουσιν εἰς τ. δ., καὶ τὰς χειροτονίας.* Quid enim illud est: *τὰς χειροτονίας εἰσαγγέλλειν?* *χειροτονίας* autem h. l. dici puto populi praejudicia, de quibus suffragium judicibus ferendum esset, i. e. quae aut probanda judicum sententiis aut corrigenda essent. Eodem modo infra Thesmothetae *τὰς τῆς βουλῆς καταγνώσεις εἰσάγειν* dicuntur. Quamquam nostro loco si quis pro *χειροτονίας* legi malit *καταχειροτονίας*, equidem non repugnem. De *προβολῇ* infra agendum erit.

ipsum delatorem[114]), ab oratoribus, decem plerumque, ad hanc ipsam accusationem a populo creatis, qui συνήγοροι aut κατήγοροι etiam appellabantur, drachmamque de publico honorarium accipiebant[115]).

---

114) Ejus enim primas in accusando partes fuisse, rei ipsi consentaneum videtur, neque idonea ulla causa est, cur cum Heraldo, III. 10. §. 9. statuamus, delatorem ipsum non, nisi a populo συνήγορος creatus esset, in judicio reum a se delatum accusasse. Qui εἰσαγγελίαν instituit, etiam probandi criminis officium suscepit, sicut in aliis actionibus publicis. Alioquin μήνυσις erat, non εἰσαγγελία. In μηνύσει enim, nisi res per se ipsa manifesta esset, ζητηταί a populo creabantur; qua de re infra dicéndum erit.

115) Cf. Lib. I. cap. 10. Plutarch. Pericl. c. 10. Ἦν μὲν γὰρ εἷς τῶν (τοῦ Κίμωνος) κατηγόρων ὁ Περικλῆς ὑπὸ τοῦ δήμου προβεβλημένος. Loquitur de Cimonis judicio, qui, cum Macedoniam invadere et bona ejus parte potiri posset, corruptus ab Alexandro expeditionem omisisse arguebatur. Plut. Cimon. c. 14. Simillimum hoc crimen erat ei, quo patrem ejus, Miltiadem, reum κατ᾽ εἰσαγγελίαν apud populum factum esse, supra ostendimus. Itaque Cimonem quoque κατ᾽ εἰσαγγελίαν accusatum esse, dubitari non potest. — Plutarch. Demosth. cap. 14. τῶν Ἀθηναίων ἐπί τινα προβαλλομένων αὐτὸν κατηγορίαν — οὐχ᾽ ὑπήκουε. Ita apud Dinarchum quoque, adv. Demosth. p. 58. 43 et adv. Aristogiton. p. 79. Reisk. memorantur accusatores a populo creati, quamquam Demosthenes, Aristogiton, ceterique, qui ab Harpalo corrupti dicebantur, non κατ᾽ εἰσαγγελίαν delati erant. Συνήγοροι hi accusatores vocantur in Senatusconsulto ap. Pseudo-Plutarch. in vit. Antiphontis. Huc pertinet etiam Aristoph. Vesp. v. 480.

Ἀλλὰ νῦν μὲν οὐδὲν ἀλγεῖς, ἀλλ᾽ ὅταν ξυνήγορος
Ταὐτὰ ταῦτά σου καταντλῇ καὶ ξυνωμότας καλῇ.

Hic quoque συνήγορος est accusator publicus, in crimine majestatis. De nominis ratione vid. Herald. III. 10. §. 12. De mercede, Scholiast. ad Aristoph. Vesp. v. 689. ἐλάμβανον γὰρ οἱ ῥήτορες δραχμὴν, ὅτε συνηγόρουν ὑπὲρ τῆς πόλεως. Decem plerumque fuisse conjicio e Dinarch. adv. Aristogiton. p. 79. nam Aristotelis auctoritatem, quae ab Aristophanis

Delator, si causa cecidisset, neque quintam saltem suffragiorum partem tulisset, mille drachmis mulctabatur; antiquitus majore etiam poena affici solebat. Perspicua res est apud Harpocrationem: ὁ δὲ διώκων, ἐὰν μὴ ἕλῃ, οὐδὲν ζημιοῦται, πλὴν ἐὰν τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων μὴ μεταλάβῃ, τότε χιλίας ἐκτίνει· τὸ δὲ παλαιὸν καὶ οὗτοι μειζόνως ἐκολάζοντο[116]). paullo impeditior apud Pollucem: ὅτι δὲ ὁ εἰσαγγείλας καὶ οὐχ ἑλὼν ἀζήμιος ἦν, Ὑπερίδης ἐν τῷ ὑπὲρ Λυκόφρονός φησι. καίτοιγε ὁ Θεόφραστος τοὺς μὲν ἄλλας γραφὰς γραψαμένους χιλίας τ' ὀφλισκάνειν, εἰ τοῦ πέμπτου τῶν ψήφων μὴ μεταλάβοιεν (ita scrib. pro vulg. καταλάβ.) καὶ προσατιμοῦσθαι· τοὺς δὲ εἰσαγγέλλοντας μὴ ἀτιμοῦσθαι μὲν, ὀφλεῖν δὲ τὰς χιλίας. ἔοικε δὲ τοῦτο διὰ τοὺς ῥᾳδίως εἰσαγγέλλοντας ὕστερον προσγεγράφθαι[117]). Hyperidem itaque auctorem citat, impunem delatori εἰσαγγελίαν fuisse, etiam si quintam suffragiorum partem non tulisset; eamque sententiam Heraldus[118]) quoque amplexus est, persuasitque sibi, hoc quoque εἰσαγγελίαν a γραφῇ distinctam fuisse, quod in actorem causa cadentem mulcta nulla constituta fuerit, neque esse potuerit, quoniam saepissime non is, qui εἰσαγγελίαν detulisset, sed alii a populo creati accusatores reum in judicio persecuti sint; quam quidem opinionem, cum auctoritate plane careat, tantisper pro falsa habere licebit, donec idoneis ra-

---

Scholiaste affertur, alio pertinere, supra I. 10. demonstravi. Ceterum non modo perpetuum, sed ne annuum quidem hoc munus fuisse, id quod nonnulli putare videntur, ex allatis a me exemplis perspicuum est. — De alio συνηγόρων genere vid. Lex. Rhetor. in Bekkeri Anecdott. I. p. 301. Aristot. Polit. VI. 8. Böckh. Staatshaush. d. Ath. I. p. 207.

116) Harpocrat. s. v. εἰσαγγελία.

117) Pollux VIII. 52. 53.

118) Lib. III. cap. 14. §. 5.

tionibus probabitur; quod equidem nunquam fore praestiterim. Sed illi sententiae, cujus Hyperidem auctorem Pollux dicit, repugnat primum Harpocratio, in oratoribus Atticis non sane minus quam Pollux versatus, juris autem et universae antiquitatis Atticae sine controversia longe peritior; repugnat porro Theophrastus, qui in legum Atticarum cognitione singularem operam collocavit, praeque ceteris excelluit. Dubitare igitur non possumus, quin hi potius quam ille auctores nobis sequendi sint. Et ne quis Hyperidis auctoritate commoveatur, nihil veri similius videtur, quam diversa *εἰσαγγελιῶν* genera a Polluce non recte distincta esse. Erat enim, ut supra jam monuimus, alia *εἰσαγγελία*, de mala parentum, epiclerorum et pupillorum tractatione, eaque impunis actori, etiamsi causa caderet. *Ἑτέρα δὲ εἰσαγγελία λέγεται ἐπὶ ταῖς κακώσεσιν· αὗται δέ εἰσι πρὸς τὸν ἄρχοντα, καὶ τῷ διώκοντι ἀζήμιοι, κἂν μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων* [119]). Atque ad hanc sine dubio *εἰσαγγελίαν* Hyperidis ille locus pertinuit, quem Pollux imperite ad universum *εἰσαγγελιῶν* genus traxit. Quodsi ita est, non indigemus illa conjectura, quae ad conciliandam istam Hyperidis et Theophrasti dissensionem a Polluce affertur, posterioribus demum temporibus poenam in delatorem constitutam esse, quae antiquitus nulla fuerit, ad coercendam videlicet calumniatorum licentiam. Neque enim pugnant inter se illi, cum de diversis *εἰσαγγελιῶν* speciebus loquantur, et poena ista tantum abest ut recentius invecta sit, ut, cum antiquitus major fuisset, post imminuta sit [120]).

---

119) Harpocrat. l. l. cf. Isaeus de Pyrrhi haered. p. 42. l. 30. Steph. Demosth. in Pantaenet. p. 979. 980.

120) His ita satis, ut puto, probabiliter explicatis, veren-

Judices de his causis sedere solebant e Solonis lege mille, post autem, Demetrii Phalerei tempore [121]), mille et quingenti, duobus aut tribus dicasteriis in unum conjunctis, id quod in aliis quoque gravioribus causis publicis usitatum erat [122]). Mirum autem est Luzacii commentum, cum εἰσαγ-

dum non est, ne quis Luzacii opinionem, de Socrate cive, p. 110. amplectendam putet. „Scilicet," inquit ille, „ut recte Pollux, poena infamiae aliis in causis praeter mulctam statuta contra illos, qui per calumniam accusabant, seriori Reip. aetate abrogata fuit in accusationibus publicis, quae εἰσαγγελίαι dicebantur, *ut eo tutius faciliusque calumniatores contra innocentem quemvis grassarentur.* Id est, quod ajunt Harpocration et Suidas: καὶ οὗτοι τὸ παλαιὸν μειζόνως ἐκολάζοντο." Qua in opinione, ut alia taceam, illud sane permirum est, quod προσγέγραφθαι dici vult a Polluce non id, quod, cum olim non scriptum esset, post legi adscriptum sit, sed quod, cum olim scriptum esset, post omissum sit.

121) Ambiguus est Pollucis locus, VIII. 53. χίλιοι δὲ κατὰ μὲν τὸν Σόλωνα τὰς εἰσαγγελίας ἔκρινον, κατὰ δὲ τὸν Φαληρέα καὶ πρὸς πεντακόσιοι. Possis enim cum Kühnio κατὰ τὸν Φαλ. interpretari: *Phalerei lege*, quemadmodum illud κατὰ τὸν Σόλωνα, Solonis lege; possis cum Luzacio, de Socr. civ. p. 110, vertere: *secundum Demetrium Phalereum, in libris de legibus Atheniensium.* Proprie autem praepositio ista κατά idem h. l. significat, quod ἐπί, hoc Pollucis loco: τῆς δὲ ἀργίας, ἐπὶ μὲν Δράκοντος, ἀτιμία ἦν τὸ τίμημα, ἐπὶ δὲ Σόλωνος, εἰ τρὶς τις ἁλῴη, ἠτιμοῦτο. (VIII. 42.) Sed quod Draconis aut Solonis tempore valuit, id dubium non est, quin eorum legibus valuerit; quod Demetrii tempore valuit, id non statim ejus lege valuisse necessarium est. Malim tamen, hoc quidem loco, cum Kühnio facere, propter praecedens illud κατὰ τὸν Σόλωνα, cum praesertim, si id Pollux dicere non voluisset, in promtu fuissent aliae constructiones ad vitandam ambiguitatem. De Demetrio legislatore cf. Richter. Specim. Animadv. de vett. legum latt. p. 61.

122) cf. Matthiae de Iud. Ath. P. 2. p. 251. sq. ex quo corrigi possunt Luzacii errores, de Socr. civ. p. 111.

γελία aliqua a Senatu ad populum delata esse dicatur, non universum populum intelligendum esse, sed Heliastas, non divisos in sua tribunalia, sed ita congregatos collectosque, ut congregari et colligi solebant, quando judicium universi populi nomine erat pronuntiandum[123]). Huic commento aliud paullo post adjungit: in plerisque delictis publicis magnum istud Ἡλιαίας δικαστήριον ipsius populi in judicando vices sustinuisse, ideoque et ritu solemni procuratisque prodigiis, ut ipsam concionem, congregari consuevisse[124]). In hac itaque concione, quae tamen non vera esset concio, sed magnum Heliaeae judicium, in modum concionis congregatum, Senatus nomine εἰσαγωγέων munere functos esse, i. e. causam a se prius examinatam judicibus cognoscendam tradidisse Proedros decem contribules cum praeside suo, seu Epistata, praefuisse autem populari illi judicio noven illos Proedros non-contribules, tanquam judices extra partes positos, cum isti alteri accusatoris partes gererent[125]). Haec omnia tam sunt ab omni veterum auctoritate destituta, tam iis omnibus, quae certis veterum testimoniis constant, contraria, tam denique male inter se ipsa cohaerentia tamque absurda, ut nemo sane, qui ea, quae nos de εἰσαγγελίᾳ paullo ante disputavimus, attente legerit, refutari a nobis ista commenta postulare possit, sed explicari fortassis, qui factum sit, ut Luzacius, vir alioquin doctissimus et satis ingeniosus in tales errores induceretur. Unum commenti sui auctorem habet, aut habere potius sibi videtur, Suidam. Is enim, de Epistatis

---

123) De Socr. civ. p. 109.

124) Ibid. p. 111.

125) Ibid. p. 109. et 111.

loquens, haec habet: *ἐπειδὰν δὲ οἱ Πρυτάνεις συναγάγωσι τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον* (ita enim pro vulgato: *ἢ τὸν δῆμον* immerito Luzacius rescribit) *ὁ Ἐπιστάτης κληροῖ Προέδρους ἐννέα, ἀπὸ φυλῆς ἑκάστης ἕνα, πλὴν τῆς πρυτανευούσης· καὶ πάλιν ἐκ τῶν ἐννέα τούτων Ἐπιστάτην ἕνα κληροῖ καὶ τὸ πρᾶγμα παραδίδωσιν. αὐτὸς δὲ εἰσάγει τὴν δίκην καὶ ἐπιμελεῖται τοῦ κατὰ τὸν νόμον πάντα γίνεσθαι καὶ μηδὲν παραλειφθῆναι πρὸς τὸ διδαχθῆναι τοὺς δικαστάς.* „Ergo," inquit Luzacius, „negotium istud quod Epistates Senatus, Prytanum nomine, ulterius curandum committebat alteri Epistatae Novem-viro, *δίκη* erat, judicium aliquod, ab ipso populo ferendum, seu talis causa, in qua ipse populus sedebat judex, aut (ut verius forsitan dicamus) de qua illi cognoscebant *δικασταί*, qui universi populi vices in judiciis istis publicis peragebant." *Εἰσαγγελίαν* itaque hoc loco a Suida designari putavit, ejusque sententiae egregium firmamentum invenire sibi visus est in iis, quae ab eodem Suida de *εἰσαγγελίᾳ* proferuntur: *εἰσαγγελία κυρίως ἡ περὶ κοινῶν* (mel. *καινῶν*) *καὶ δημοσίων ἀδικημάτων εἰσαγομένη ὑπὸ τῶν Πρυτανέων δίκη κ. τ. λ.* Jam cum meminisset et ab aliis scriptoribus et a Polluce in causis *εἰσαγγελίας* Heliasticorum judicum mentionem fieri, Suidam autem, priore illo loco, de *εἰσαγγελίαις* a populo judicatis loqui arbitraretur, et Harpocrationem quoque videret *εἰσαγγελίας* dicere ad populum deferri solitas esse, haec a se conciliari nullo negotio posse putavit, si statueret, *τὸν δῆμον*, populum i. e. comitia in his causis nil aliud esse, quam magnum judicium Heliasticum, universi populi vice fungens. Dein, cum Prytanum Epistatam *εἰσάγειν τὴν δίκην* Suidas dicat, sed administrationem negotii, *τὸ πρᾶγμα*, novem illis Proedris non-contribulibus tradere, perspicuum ei visum est, in istis

judiciis, quae, cum re vera judicum consessus essent, populi tamen comitia dicerentur, Prytanes quidem εἰσαγωγέων, eosdemque etiam accusatorum munere functos esse, praesidere autem non potuisse, sed novem istis Proedris loco cedere debuisse. Ita omnia optime constare videbantur. — Sed, ut ea tantum hoc loco dicamus, quae superiore nostra disputatione non continentur, primum Suidae ille de Epistatis locus non minus ad quamvis aliam rem in comitiis tractatam, quam ad εἰσαγγελίαν pertinet. Etenim antea jam demonstravi[126]), apud sequiores Grammaticos, qui neque tempora satis distinguere, et quidquid occurrit, promiscue compilare solent, nil frequentius esse, quam comitiorum cum judiciis, ἐκκλησιαστῶν cum Heliastis commutationem, cujus commutationis haec est causa, quod postremis reipublicae temporibus, pleraeque causae judiciariae paullo graviores ad populum ferebantur, omnisque comitiorum potestas, fracto civitatis robore et amissa imperii magnitudine, in his causis judicandis versabatur. Itaque δίκην h. l. Suidas dixit, speciem pro genere, unum aliquod et praecipuum quidem negotium pro quavis re in comitiis a populo tractari solita; neque δικασταί h. l. alii sunt quam ἐκκλησιασταί. Ex quo apparet, falsa esse, quae de novem Proedrorum, in his praecipue judiciis populi, tamquam judicum extra partes positorum, officio disputantur a Luzacio. Jam illum alterum Suidae locum, de εἰσαγγελίᾳ, cum isto priore nequaquam conjungendum esse apparet. Meminisse oportet, plerasque εἰσαγγελίας primum ad Senatum deferri solitas esse; ibi sane εἰσαγωγέων munere Prytanes fungebantur, neque minus in iis εἰσαγγελίαις, quae a Se-

126) Vid. Lib. I. cap. 5.

natu ad populum ferebantur in comitiis, minime autem in iis quae aut ab ipso delatore statim ad populum ferebantur, aut a Senatu populove ad judicium Heliasticum rejiciebantur. In his enim εἰσαγώγεις fuisse Thesmothetas demonstravimus.

Eversis itaque Luzacianae opinionis fundamentis, omnia, quae iis superstructa sunt, corruant necesse est; nobis autem, his pertractatis, ad alia progredi licet.

CAPUT IV.

De aliis judiciis populi extraordinariis et de indiciis ad populum factis.

Exstant quaedam apud scriptores causarum a populo judicatarum exempla, in quibus tamen neque εἰσαγγελίας mentio fit, neque propter alias rationes probabile est, eas per εἰσαγγελίαν delatas esse. De his hoc capite agere propositum est. Itaque, ut una definitione omnia comprehendamus, agebatur nonnunquam in comitiis de criminibus publicis majoribus aut extraordinariis, quorum justa accusatio a privato instituta non erat, (εἰσαγγελίαν autem justis accusationibus accensendam esse, e superiore capite patet) sed aut magistratus quispiam erat, qui, ut hodie vulgo loqui solent, ex officio reum persequebatur, aut privatus indicium detulerat aut reum in ipso facinore manifesto deprehensum magistratubus adduxerat, hi autem in concionem eum producendum existimaverant, aut denique pervulgati alicujus omnibusque noti maleficii, cujus justam accusationem aut tempora expectare vetarent aut

privato consilio instituere nemo auderet, in comitiis mentio injecta erat, quaestionemque populus exercendam decreverat.

Ad primum genus lex illa pertinet apud Aeschinem, de oratoribus in Senatu aut in concione petulanter, proterve et turbulenter se gerentibus, quam, alio jam loco laudatam[1]), nunc integram, sed latine versam, adscribemus. Est igitur hujuscemodi: *Si quis orator in Senatu aut in concione verba fecerit de rebus non propositis aut non seorsum de singulis, aut bis de eadem, aut conviciatus fuerit aut maledixerit alicui, aut dicentem interpellaverit, aut agentibus cum populo Prytanibus surrexerit verbaque fecerit de rebus a suggestu alienis*[2]), *aut seditiosis vociferationibus usus fuerit, aut Epistatam per vim protraxerit; dimissa concione aut Senatu Proedris jus esto, quinquaginta non amplius drachmarum pro unoquoque delicto mulctam ei irrogare, nomenque ejus exactorum tabulis inscribere*[3]). *Quodsi majore poena dignus fuerit, referunto ad Senatum aut ad proximam concionem. In Senatu, post peractas citationes, judicanto. Si condemnatus fuerit, occulto suffragio a Senatoribus lato, Proedri nomen ejus exactoribus exhibento.* — Itaque

1) Lib. I. cap. 10. ubi graeca ipsa passim emendata adscripsi.

2) *ἀνεστηκὼς λέγῃ περὶ τῶν μὴ ἐπὶ τοῦ βήματος.* Sensum horum verborum mihi obscurum esse, mutilumque locum videri, supra significavi. Quodsi tamen integer alicui videatur, non dubito, quin is ex duabus explicationibus, supra I. 10. a me propositis, eam potiorem judicet, quam vertendo expressi, priores interpretes omnes secutus.

3) *ἐγγράφειν τοῖς πράκτορσιν.* Hoc quid sit, vid. [ap. Böckh. Staatshaushalt. d. Ath. I. p. 167.

qui contra hanc legem deliquissent, poterant a Proedris in proximam concionem produci, quo aut judicarentur a populo, aut, si forte populus ipse judicium exercere nollet, ad Heliacam rejicerentur. Videtur autem id tum imprimis factum esse, si aut majore quam quingentarum drachmarum poena digni essent, aut in concione, non in Senatu deliquissent. — Ceterum an alia praeter hoc unum exstent exempla delictorum a magistratubus ex officio in concione persequendorum, equidem magnopere dubito.

Indiciorum a privatis ad populum in concione delatorum, plura commemorantur a scriptoribus exempla. Imprimis memorabile illud est, quod de Agorato Lysias narrat[4]). Devictis enim ad Aegos flumen Atheniensibus, cum de pace cum Lacedaemoniis ageretur, essentque, qui quavis conditione pacem fieri oportere contenderent, quod ex ea novarum rerum evertendique popularis status occasionem sibi fore sperabant, alii contra, Strategi maxime et Taxiarchi, perspecto eorum consilio, summopere iis adversarentur; hos illi ut opprimerent, fictis criminibus eos aggredi statuerunt, et Agoratum quendam, servilis conditionis hominem, falsum indicem subornarunt. Is igitur primum in Senatu, post autem etiam in concione, plurimorum nomina detulit. *Οὕτω σφόδρα*, Lysiae sunt verba, *τινὲς ἐπεμελοῦντο, ὅπως καὶ ἐν τῷ δήμῳ περὶ τῶν στρατηγῶν καὶ τῶν ταξιαρχῶν μήνυσις γένοιτο, ὥστε καὶ ἐκεῖ παράγουσιν εἰς τὸν δῆμον.* Populus, ab ista factione in fraudem inductus, reos in vincula dandos, et perduellionem iis a magno judicio Heliastico, e judicibus bis mille, i. e. quatuor dicasteriis conflato,

---

4) Or. in Agorat. p. 130. 15 — 132. 6.

judicandam decrevit [5]). — Haud minus illustre indicii ad populum delati exemplum Andocides narrat in oratione de mysteriis [6]). Nam de profanatis mysteriis, quorum et ipse insimulatus et Alcibiades aliique plurimi condemnati erant, primam delationem ad populum hoc modo factam esse ait. Surrexisse in comitiis Pythonicum quendam, compertum sibi esse dicentem de mysteriis ab Alcibiade

5) Neque ipsum Psephisma Lysias adscripsit, neque argumentum ejus aperte indicavit. Tamen id ipsum, quod dixi, decretum a populo esse, apparet ex ejus verbis, p. 153. 3. Narrat enim, post pacem confectam et constitutos XXX tyrannos non obtemperatum esse populi voluntati, sed in Senatu judicium peractum. *Ἐπειδὴ τοίνυν*, inquit, *οἱ τριάκοντα κατεστάθησαν, εὐθέως κρίσιν τοῖς ἀνδράσι τούτοις ἐποίουν ἐν τῇ βουλῇ· ὁ δὲ δῆμος ἐν τῷ δικαστηρίῳ ἐν δισχιλίοις ἐψηφίσατο.* Perperam hunc locum Reiskius vertit: populus autem in tribunali per bis mille virorum, personam populi gerentium suffragia pronuntiabat, scil. in Senatu judicium habendum esse. Vertendum erat: populus autem jusserat, in judicio a bis mille judicibus, causam eorum judicandam esse.

6) P. 2, 29 — 3, 35. — At Isocrat. de Big. p. 828 et Plutarch. vit. Alcib. cap. 19 et 22. Alcibiadem profanatorum mysteriorum reum per *εἰσαγγελίαν* factum esse tradunt. Horum narratio ne cui cum Andocide pugnare videatur, hoc tenendum est: Indicium illud, de quo Andocides loquitur, delatum est ante quam Alcibiades cum classe in Siciliam abierat. Postulavit quidem hic, ut, si quid de se agi vellent, nunc potius de praesente quaestio haberetur, quam absens accusaretur. Inimici vero ejus quiescendum in praesenti, quia noceri non posse intelligebant, et illud tempus exspectandum decreverunt, quo exisset; ut sic absentem adgrederentur. Corn. Nep. vit. Alcib. cap. 4. cf. Thucyd. VI. cap. 29. Itaque, postquam in Siciliam eum pervenisse crediderunt, absens a Thessalo, Cimonis filio, per *εἰσαγγελίαν* reus factus est. cf. Thucyd. VI. 61. Aliter haec conciliari non posse videntur. Isocrates, utpote orator, non historicus, rem minus accurate exposuit.

aliisque compluribus in domo privata factis, et, si impunitatem indici populus decrevisset, servum unum ex iis, qui ei sacrilegio interfuissent, de tota illa re indicium delaturum esse. Placuisse igitur Prytanibus, omnes, qui non initiati essent, e concione summovere, et servum illum arcessere. Hunc deinde, cum impunitas data esset, multorum, qui affuissent, nomina detulisse. — Ita indicio in comitiis facto, post totum illud negotium Senatus arbitrio permissum est[7]), et, cum plures indies deferrentur, inquisitores, *ζητηταί*, creati sunt, qui in illos inquirerent, indiciaque examinarent[8]). Rei in vincula dati, in judicio Heliastico, sed iis tantum, qui initiati essent, judicibus, causam dixerunt[9]); plurimi morte mulctati sunt[10]). — Apparet igitur ex his exemplis primum, quid inter indicium, (*μήνυσιν*, et delationem, *εἰσαγγελίαν*, intersit, quae vocabula a scriptoribus nonnunquam commutari solent[11]). Nam qui *εἰσαγγελίαν* instituit, is

---

7) Andocid. p. 3, 13. *ψηφισαμένης δὲ τῆς βουλῆς, ἦν γὰρ αὐτοκράτωρ κ. τ. λ.*

8) Ibid. p. 5, 6. cf. 6, 22.

9) Ib. p. 3, 27.

10) Alia indiciorum in comitiis ad populum delatorum exempla sunt ap. Plutarch. vit. Pericl. cap. 31. *Μένωνά τινα τῶν Φειδίου συνεργῶν πείσαντες ἱκέτην ἐν ἀγορᾷ καθίζουσιν, αἰτούμενον ἄδειαν ἐπὶ μηνύσει καὶ κατηγορίᾳ τοῦ Φειδίου. Προσδεξαμένου δὲ τοῦ δήμου τὸν ἄνθρωπον, καὶ γενομένης ἐν ἐκκλησίᾳ διώξεως, κλοπαὶ μὲν οὐκ ἠλέγχοντο κ. τ. λ.* Dinarch. in Demosth. p. 102, 16. *ἐν δὲ τῇ ἐκκλησίᾳ ταύτῃ τῇ πρώην γεγενημένῃ προσάγων καὶ κατασκευάζων ψευδῆ μηνυτὴν, ὡς ἐπιβουλευομένων τῶν νεωρίων.*

11) Cf. supr. II. cap. 3. Lycurg. in Leocr. p. 168. 34. *ἐγὼ τοίνυν ὑμῖν μηνύω τὸν ἀφανίζοντα ταῦτα πάντα.* cf. Pseudo-Plut. vit. Andocid. in Vitt. X. Oratt. p. 834. C. qui *εἰσαγγελθέντα* Andocidem dicit pro *μηνυθέντα*. Ceterum *μήνυ-*

justi accusatoris personam sustinet, reum etiam in judicio persequitur, convincere conatur, probationes et testimonia conquirit, et, si causa cadit, neque quintam saltem suffragiorum partem fert, mille drachmis mulctatur. Index contra plerumque aut culpae affinis est, aut servus. Utrique accusare proprie non possunt; neque igitur rei in judicio persequendi, neque probationum testimoniorumque, si quibus opus esse videtur, conquirendorum officium iis impositum est, sed creatis a populo inquisitoribus, ζητηταῖς. Denique, si vera detulisse videntur, impunitatem habent, etiamsi ipsi deliquerunt[12]; nonnunquam etiam praemiis donantur[13]. Ceterum hujusmodi causae plerumque ad Heliaeam rejiciebantur; sed tamen ipsum etiam populum quaestionem habere et judicum partes sibi sumere potuisse, causa nulla est, cur dubitemus.

Maleficos manifesto deprehensos abductos nonnunquam esse ad Prytanes, ab his autem in concionem productos, Hieroclis cujusdam exemplum probat, a Libanio commemoratum[14]. Is enim, cum sacras vestes aliquo portaret, arreptus a Pythangelo et Scaphone et ad Prytanes abductus est. Hi eum postridie in concionem stiterunt. Ibi cum se a sa-

---

σιν etiam ἀπογραφὴν dici Hesychius observat: ἀπογραφὴ, ἀρίθμησις, ἢ ἡ γινομένη μήνυσις. Scripto enim ista indicia consignari solebant, unde et ἀπογράφειν pro μηνύειν. Andocid. de Myst. 2, 44. 3, 14. et 25. et alibi passim. cf. Lys. in Agorat. 132, 26, 30, 32, 41.

12) Andocid. de Myst. 2, 40. 3, 11. 4, 4. Lys. in Andocid. p. 105, 19.

13) Andocid. p. 4, 36. Lys. p. 109. 38. cf. Taylor. Lectt. Lys. p. 314. Plut. Pericl. cap. 31.

14) In argument. orat. 1. adv. Aristogit. p. 767. sq.

cerdote missum vestes illas sacrum in usum aliquo [15]) portasse defenderet, Aristogiton rogationem ad populum tulit, ut, si confiteretur se vestes illas asportasse, statim supplicium de eo sumeretur; sin negaret, quaestio haberetur. Neque tamen perlata est ea rogatio. Nam cum neque Senatusconsultum ante ea de re factum esset, et atrocissima esset Aristogitonis sententia, *παρανόμων* accusatus a Phanostrato, Hieroclis patre, et quinque talentis a judicio condemnatus. De Hierocle quid populus statuerit, Libanius commemorare supersedit. Id tamen satis patet, eandem in his causis populi potestatem fuisse, quam in *εἰσαγγελίαις*. — Ejusdem generis exemplum est, quod a Demosthene narratur [16]), Antiphontem quendam, qui Philippo recepisset, se navalia Atheniensium incensurum, comprehensum a se, cum in Piraeeo latitaret, et in concionem productum esse. Inde cum, Aeschinis maxime opera, invidiose Demosthenem criminantis, dimissus esset, Areopagitas eum, re cognita, quaesivisse comprehensumque judicibus tradidisse [17]). Non potuit eum Demosthenes per se solus in concionem trahere, sed ad Prytanes prius adducere debuit atque ab iis petere, ut se ilumque, quem comprehenderat, producerent. Id, etiamsi non diserte dicitur, res tamen ipsa ac ratio evincit. Areopagitis autem id

---

15) *ἵνα κομίσῃ πρὸς τὸ ἱερὸν κυνηγέσιον.* Hoc quid sit, nescire me fateor cum Tayloro. H. Wolfio proprium alicujus loci nomen esse videtur.

16) De Coron. p. 271.

17) Huc respicit Dinarch. in Demosth. p. 98. 15. *ἐστρέβλωσαν Ἀντιφῶντα καὶ ἀπέκτειναν ουτοι (οἱ δικασταὶ) τῇ τῆς βουλῆς ἀποφάσει πειοθέντες.*

jus fuit, ut, etiam injussu populi, in maleficos inquirerent et judicio eos traderent[18]).

Denique de gravioribus vulgoque notis criminibus, ubi accusator nullus existeret, populus nonnunquam, sed e Senatus auctoritate, sine qua in comitiis nulla de re agi poterat, quaestionem aut ipse habuit, aut habendam a judicio decrevit. Ita, ut hoc primo exemplo utar maxime insigni, cum satis inter omnes constaret, plurimos oratores ab Harpalo pecunia corruptos esse, populus metuens, ne quando ea res damnum sibi et perniciem afferret, ratioque istius pecuniae a se repeteretur, in omnes illos, in quos pecuniae acceptae suspicio cadebat, inquirendum statuit. Pervestigantur igitur primo singulorum domus; post, legem Demosthene ferente, inquisitio illa Areopagitis a populo mandatur[19]), id quod in hujusmodi causis usitatissimum fuisse Dinarchus docet[20]). Areopagitae eos, quos corruptos esse compererant, populo indicant; *ἀποφαίνειν* hoc dicitur, ipsumque indicium, *ἀπόφασις*. Hi a populo ad magnum judicium Heliasticum, mille quingentis judicibus seu tribus dicasteriis conflatum, rejiciuntur, creatis decem oratoribus, qui eos, populi nomine, accusarent[21]). Iu-

18) V. Dinarch. in Demosth. p. 96. 28. *Ἀνάγκη τὴν βουλὴν τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου κατὰ δύο τρόπους ποιεῖσθαι τὰς ἀποφάσεις πάσας. τίνας τούτους; ἤτοι αὐτὴν προελομένην καὶ ζητήσασαν, ἢ τοῦ δήμου προστάξαντος αὐτῇ.*

19) Vid. Plutarch. vit. Demosth. capp. 25. 26.

20) Dinarch. in Demosth. p. 90, 24. *ζητεῖν τὴν βουλὴν περὶ αὐτῶν, ὡς αὐτῇ πάτριόν ἐστιν.* cf. ib. 97, 26. 98, 8. sq.

21) Id. ib. p. 96, 34. Decem illos fuisse dicit in Aristogiton. p. 105, 37. Legitimam hanc creantorum a populo accusatorum rationem fuisse, ostendit in Demosth. p. 97, 28.

dices aut absolvunt reum aut condemnant; condemnatis poenae plebiscito constitutae erant, ex quibus judices eam, quae ipsis pro delicti qualitate convenire videtur, eligunt[22]). — Hunc rei gerendae ordinem et in Harpalea ista causa observatum, et in similibus omnibus consuetum fuisse ex Dinarchi orationibus discimus[23]). Sed tamen illud quoque nonnunquam accidit, turbulentis praesertim reipublicae temporibus, cum praevalentis factionis ira adversarii alicujus interitum posceret, ut neque inquisitoribus neque accusatoribus creatis, neque ullo legitimorum judiciorum more servato, de capite civium in comitiis suffragium ferretur, quasi in crimine manifesto, quod cum omnes et commissum et puniendum esse scirent, non cognitione sed condemnatione tantum opus esset. Erant itaque ejusmodi judicia, si tamen judicia vocanda sunt, omnia tumultuosa et legibus contraria. Ita

---

22) Id. in Philocl. p. 109, 5. *οὐδὲ τὰς ἀποφάσεις οἶμαι νῦν κρίνεσθαι, πότερον ἀληθεῖς εἰσιν ἢ ψευδεῖς — ἀλλὰ περὶ μὲν τῆς τιμωρίας ὑμᾶς δεῖ τῆς ἐν τῷ ψηφίσματι γεγραμμένης δικάσαι νῦν, πότερα δεῖ χρημάτων τιμῆσαι τῷ τηλικαῦτα ἠδικηκότι τὴν πόλιν, ἢ θανάτῳ ζημιώσαντας — ἢ δημεῦσαι τὴν οὐσίαν.*

23) Singulare fuit illud de Phrynichi caede judicium, quod a populo institutum esse Lycurgus narrat, in Leocrat. p. 164. *Φρυνίχου ἀποσφαγέντος νύκτωρ παρὰ τὴν κρήνην τὴν ἐν τοῖς Οἰσυίοις ὑπὸ Ἀπολλοδώρου καὶ Θρασυβούλου, καὶ τούτων ληφθέντων καὶ εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀποτεθέντων ὑπὸ τῶν Φρυνίχου φίλων, αἰσθανόμενος ὁ δῆμος τὸ γεγονὸς, τοὺς εἰρχθέντας ἐξῆγε, καὶ βασάνων γενομένων ἀνέκρινε· καὶ ζητῶν τὸ πρᾶγμα, εὗρε τὸν μὲν Φρύνιχον προδιδόντα τὴν πόλιν, τοὺς δ' ἀποκτείναντας αὐτὸν ἀδίκως εἰρχθέντας· καὶ ψηφίζεται ὁ δῆμος, Κριτίου εἰπόντος, τὸν μὲν νεκρὸν κρίνειν προδοσίας, κἂν δόξῃ προδότης ὢν, ἐν τῇ χώρᾳ μὴ τετάφθαι, τά τε ὀστᾶ αὐτοῦ ἀνορύξαι καὶ ἐξορίσαι ἔξω τῆς Ἀττικῆς κ. τ. λ.* cf. Lys. in Agorat. p. 136. 20.

devictis ad Cranonem ab Antipatro Atheniensibus, cum victores jam appropinquare urbi nunciarentur, civitasque terrore et timore trepidaret, Demosthenis adversarii, idoneam ejus opprimendi occasionem nacti, per Demadem oratorem capitale supplicium ipsi aliisque quibusdam, qui earundem in republica partium fuerant, irrogarunt. Populus autem puniendis belli auctoribus victoris ultionem expleri iramque ejus illorum sanguine quasi expiari posse sperans, absentes capitis damnavit. Aufugerant enim, illud ipsum, quod accidit, metuentes; sed mox conquisiti ab Antipatro et interfecti sunt[24]). — Non dissimili ratione Phocion quatuor circiter post annis a populo damnatus est. Nam cum, post Antipatri mortem, Polysperchon summa rerum potitus, Atheniensibus reliquisque Graeciae civitatibus, quo eas a Cassandri partibus abstraheret, pristinae libertatis, ab Antipatro sublatae restitutionem pollicitus esset; popularis factionis principes, Phocioni, optimatium fautori, jam diu infensissimi, et opprimendi ejus cupidissimi, omni modo eum criminari plebisque in eum odium quantum poterant incendere coeperunt[25]). Phocion igitur hanc invidiae flammam metuens, ex urbe ad Polysperchontem in Phocide tunc commorantem concessit, tutiorem se apud hunc quam apud cives suos fore ratus. Illi interim Psephisma, Archestrato rogante, pertulerunt, ut legationem populus ad Polysperchontem mitteret, quae, populi nomine, Phocionem accusaret. Polysperchon autem ipsi populo judicium

24) v. Plutarch. Demosth. capp. 28. 29. Phoc. cap. 26.

25) Plutarch. Phoc. cap. 33. *Ἀγνωνίδης ὁ ῥήτωρ εὐθὺς ἐπεφύετο τοῖς περὶ τὸν Φωκίωνα καὶ κατηγορεῖ προδοσίας.* Hoc de justa accusatione, *γραφῇ* aut *εἰσαγγελίᾳ*, accipienda non sunt.

de eo permisit. Itaque in custodiam datus et Athenas reductus est, verbo, ut judicaretur, re vera, ut supplicio afficeretur. Huc ubi perventum est, concio advocatur tumultuarie et contra leges, ne servis quidem et peregrinis exclusis. Producto Phocioni prae clamore et tumultu nulla fit causae dicendae potestas. Agnonides rogationem ad plebem fert, ut suffragia ferrentur, videreturne Phocion crimine teneri, nec ne; atque, si teneri videretur, ut capite poenas daret. Hanc plebs sciscit, Phocionem condemnat, supplicio afficit. In his omnibus nullum est legitimi ordinis vestigium[26]).

CAPUT V.

De querela apud populum, προβολῇ, et de accusationis denunciatione, ἐπαγγελίᾳ.

Ab his, de quibus adhuc disputatum est, accusationibus delationibusque ad populum diversissima est ea actio, quae *προβολή* dicitur, quam qui instituit, non id quaerit, ut aut judicum partes populus ipse suscipiat, aut certe quaestionem habendam jubeat, accusatores creet, a quot judicibus quove modo judicium habendum sit, plebiscito definiat, sed hoc tantum, ut populi praejudicium de reo fiat, quo praejudicio quasi munitus ipse causae suae,

26) Nisi forte hoc unum, quod suffragium a populo ex more latum est, primum de Agnonidis lege, dein de Phocionis culpa. Quae alia sint ista *legitima*, quae Nepos *confecta esse* dicit, vit. Phoc. cap. 4. difficile est intellectu, certe e Plutarchi narratione, vit. Phocion. cap. 33 — 35.

apud competentes judices, quibus non plebiscito sed veteribus legibus ea quaestio mandata est, agendae majorem et publicam quodammodo auctoritatem conciliet. Talem igitur actionem qui instituit, is *προβάλλεσθαι* dicitur, quod verbum proprie nil aliud significat, quam *proponere populo aliquid, ad disceptandum scilicet et judicandum.* Ita Demosthenes, cum dicit[1]: *προὐβαλόμην ἀδικεῖν τουτονὶ περὶ τὴν ἑορτήν,* hoc dicit: proposui in concione, eum deliquisse, quo populus ea de re disceptaret, praejudiciumque faceret, videreturne deliquisse, nec ne. Inde orta est alia locutio, *προβάλλεσθαί τινα*[2]), sine infinitivo, populo quasi proponere aliquem ut de eo praejudicet, i. e. ad populum deferre, atque ita factum, ut *προβολῆς* nomen delationis significationem acceperit[3]), sed ejus unius delationis,

1) In Mid. p. 514.

2) Ibid. p. 571. *περὶ τὰ μυστήρια ἀδικεῖν Εὐάνδρου κατεχειροτόνησεν ὁ δῆμος, προβαλλομένου αὐτὸν Μενίππου.*

3) Grammatici passim *προβολήν* explicant *κλῆσιν εἰς δίκην*, vel *γραφήν*, (Pollux VIII. 46. Suid. s. v.) quod falsum est. Sequuntur haec *προβολήν*, non sunt ipsa *προβολή*. — Apud Rhetores autem *προβολή* dicitur ea orationis pars, qua id ipsum, de quo agis et de quo judices sententiam ferre oportet, eis proponis, ut optime explicat Sopater ad Hermogen. p. 199. Ald. *προβολή ἐστι τῶν εἰρημένων ἐν τῇ καταστάσει σύντομος ἀπόφασις· εἴρηται δὲ προβολὴ διὰ τὸ τὴν πρότασιν ἔχειν τοῦ πράγματος καὶ ὥσπερ προτείνειν τοῖς δικασταῖς, περὶ οὗ αὐτοὺς δεῖ κρῖναι.* Ex eadem hac proponendi significatione explicandus est ille verbi *προβάλλεσθαι* usus, cum de candidatis dicitur populo ad creandum propositis, ut ap. Demosth. de cor. p. 277. *προβληθεὶς πυλαγόρας οὗτος.* Inde *προβολή* hoc sensu apud Platonem de Legg. p. 765. B. *καὶ τὴν προβολὴν δὴ τὸν αἱρούμενον ἐκ τῶν ἐμπείρων ποιεῖσθαι:* quem locum Ruhnkenius affert ad Timaeum, p. 224. non satis commode. Loquitur enim ibi Timaeus de illa altera *προβολῇ* s. delatione ad populum,

quae quomodo ab aliis, εἰσαγγελίᾳ et μηνύσει, differat, ex iis, quae modo dicta sunt, apparet[4]).

Locus autem erat huic προβολῇ primum in magistratuum injuriis atque delictis. Ἔθος ἦν, inquit Harpocratio, Ἀθήνησι κατὰ τῶν ἀρχόντων — προβολὰς ἐν τῷ δήμῳ τίθεσθαι[5]) Nemo enim, ut videtur, magistratus accusari potuit propter delictum in fungendo munere sive contra ipsam rempublicam sive contra privatum aliquem commissum, nisi cum populi venia[6]). Sed in gravioribus delictis, quae ad summam rempublicam pertinerent, et extra ordinem persequenda viderentur, εἰσαγγελία ad Senatum populumve deferebatur, quemadmodum supra demonstratum est. Haec si accepta esset, Senatus populusve aut sibi ipsi judicandum reum sumse-

---

quamquam hujus apud Platonem nulla, quantum equidem sciam, usquam est mentio. Sed de candidatis et προβάλλεσθαι et προβολή frequentia sunt apud eum. Vid. Legg. VI. 755. c. D. 756. A. (ubi pro ἀντιβολήν leg. ἀντιπροβολήν). Alio sensu populus aliquem προβάλλεσθαι dicitur, cum accusatorem creat, et accusator publicus est προβεβλημένος ὑπὸ τοῦ δήμου. Plutarch. Pericl. c. 10. Demosth. c. 14. Προβάλλεσθαι igitur ibi est *creare*. Sed frustra sunt, qui ab hac significatione illam alteram *deferendi ad populum*, derivant, quae sententia Heynii esse videtur, Opuscc. Acad. Tom. IV. p. 82. not. h.

4) Latinum προβολῆς nomen quaerenti mihi, cum delationis et indicii vocabula aliud significent et jam ad εἰσαγγελίαν et μήνυσιν interpretandam iis usus sim, aptissimum visum est illud, quod Heraldus quoque habet, Animadv. in Salmas. III. 2. §. 6. et 10. §. 10: *querela*.

5) s. v. καταχειροτονία. cf. Lexic. Rhetor. in Bekkeri Anecdot. I. p. 268.

6) Hoc ita esse, etiamsi nullis testimoniis probare possum, ipsum tamen per se veri simillimum videtur. Adde, quod apud Romanos quoque simile erat institutum. v. Sigon. de Iudic. III. cap. 5. extr. et, qui hunc exscripsit, Heinecc. Antiqu. Rom. IV. 18. 57.

runt. aut ad judicium Senatusconsulto aut Plebiscito rejecerunt, accusatoresque crearunt. Itaque hoc ipso, quod aut acceperunt *εἰσαγγελίαν*, aut in judicio rem peragendam esse decreverunt, rei persequendi veniam actori dedisse putandi sunt. In minoribus autem delictis, cum *εἰσαγγελίαν* instituere aut noluit actor aut non potuit, in concionem eum prodire oportuit, rem populo proponere, ac rogare, an illum vel illum magistratum deliquisse censeret, et reum a se fieri permitteret. Si teneri eum crimine et in judicium vocari posse populus judicasset, magistratu abire[7]) cogebatur. Ita libe-

---

7) Hoc quoque sola conjectura ductus asserui; nemo enim e veteribus, quantum equidem meminerim, id nos docet. Videtur tamen isti conjecturae nonnihil firmamenti affere Aeschinis locus, ex quo apparet, si quis Senator delicti alicujus insimulatus esset, eum primum Senatu motum ac tum demum judicatum esse. Est ille locus in oratione adv. Timarch. p. 128. sq. Narrat ibi orator, Pamphilum quemdam Acherdusium Timarcho, tunc temporis Senatori, peculatus crimen in comitiis objecisse. Dein ita pergit: *διδάξας δὴ ταῦτα, τί οὖν ἐστὶν, ὦ Ἀθηναῖοι, ἔφη, ὅ, συμβουλεύω ὑμῖν; ἐὰν μὲν ἡ βουλὴ καταγνοῦσα τουτονὶ ἀδικεῖν καὶ ἐκφυλλοφορήσασα δικαστηρίῳ παραδῷ, δότε τὴν δωρεὰν αὐτοῖς.* (De *ἐκφυλλοφορίᾳ* vid. Harpocrat. s. v.) Itaque quod in Senatoribus obtinuit, id in magistratubus quoque obtinuisse veri simillimum est. Quid? quod contrarium vix credibile cuiquam videri potest. — Quae sequuntur apud Aeschinem, et a Scholiasta et a Tayloro perperam accipiuntur. *Μετὰ ταῦτα*, inquit, *ὡς ἐπανῆλθεν ἡ βουλὴ εἰς τὸ βουλευτήριον, ἐξεφυλλοφόρησε μὲν αὐτὸν, ἐν δὲ τῇ ψήφῳ κατεδέξατο.* Res haec est. Motus quidem Senatu Timarchus erat propter illam Pamphili delationem; post autem, cum Senatus ipse quaestionem haberet, absolutus est, et rursus in Senatum receptus. Si condemnatus esset, altera sequi debuit *διαψήφισις*, de mulcta, et si majore quam quingentarum drachmarum dignum Senatus eum censuisset, Heliastico judicio eum tradere Debuit.

rum erat actori, accusare eum et in judicio persequi.

Traditur autem a Grammaticis, moris fuisse, ut in prima cujusque Prytaniae ecclesia, quae κυρία dicebatur, ἐπιχειροτονίαι de magistratubus fierent, i. e, ut rogaretur a novem Archontibus populus, viderenturne magistratus officio suo recte fungi, an secus; qui probarentur populo, in honore permansisse; qui deliquisse viderentur, magistratu privatos esse[8]). Hae ἐπιχειροτονίαι eo maxime consilio institutae videntur, ut, si quis haberet, quod de magistratus alicujus in rempublicam aut in privatum quempiam delictis quereretur, id hoc die populo proponeret et προβολήν faceret. Neque aliter, ut puto, suffragium de magistratibus a populo ferri poterat, nisi si quis esset, qui eos criminaretur et προβολήν institueret; qui autem a nemine accusarentur, de iis nulla erat ἐπιχειροτονία[9]). Ceterum Ar-

8) Vid. Harpocrat. s. v. κυρία ἐκκλησία. Pollux VIII. 95. et 87. cf. Suid. in κυρία ἐκκλ. Nomen ἐπιχειροτονίας hac de re est in orat. in Theocrin. p. 1330.

9) Exemplum ejusmodi ἐπιχειροτονιῶν habet auctor orat. in Theocrin. p. 1330. διὰ τὴν τούτου πονηρίαν (τοῦ Θεοκρίνου) ἀδελφὸς αὐτοῦ θεσμοθετῶν, καὶ τούτῳ χρώμενος συμβούλῳ, τοιοῦτος ἔδοξε παρ' ὑμῖν εἶναι, ὥστ' οὐ μόνον αὐτὸς ἀπεχειροτονήθη, τῶν ἐπιχειροτονιῶν οὐσῶν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἀρχὴν ἅπασαν (omne illud Thesmothetarum collegium) ἐποίησε· καὶ εἰ μὴ δεομένων αὐτῶν καὶ ἱκετευόντων καὶ λεγόντων, ὡς οὐκ ἔτι πρόσεισι Θεοκρίνης πρὸς τὴν ἀρχὴν, ἐπείσθητε ὑμεῖς καὶ πάλιν ἀπέδοτε τοὺς στεφάνους αὐτοῖς, πάντων ἂν αἴσχιστα οἱ συνάρχοντες ἐπεπόνθεισαν. Theocrines, a fratre suo πάρεδρος assumtus (de Paredris vid. Taylor. ad h. l.) hunc et reliquos collegas consiliis suis in talia peccata induxerat, ut in comitiis, cum ἐπιχειροτονίαι essent, querelae de iis moverentur, populusque eos omnes honore privaret, neque prius restitueret, quam polliciti essent, se nunquam in posterum Theocrinis consilio usuros.

chontum erat, eos, qui magistratu privati erant, in judicium deducere[10]), siquidem actor eos etiam post illud populi praejudicium ultro persequi vellet; quod tamen non semper factum esse suspicor. Contentus plerumque erat isto praejudicio atque adversarii ignominia.

Etiam de Sycophantis ejusmodi querelas seu *προβολάς* apud populum moveri potuisse, Aeschines, Isocrates aliique affirmant[11]). *Τοῖς μὲν γὰρ μεγίστοις τῶν ἀδικημάτων*, Isocratis sunt verba, *ἐν ἑνὶ τῶν δικαστηρίων τὰς κρίσεις ἐποιήσαντο (οἱ πρόγονοι)· κατὰ δὲ τούτων γραφὰς μὲν πρὸς τοὺς Θεσμοθέτας, εἰσαγγε-*

---

10) Harpocratio, de *προβολῇ* loquens, s. v. *καταχειροτονία: εἰ δέ τις καταχειροτονηθείη, οὕτως εἰσήγετο εἰς τὸ δικαστήριον.* Pollux VIII. 87. *Κοινῇ οἱ ἐννέα ἄρχοντες ἔχουσιν ἐξουσίαν — — καθ' ἑκάστην πρυτανείαν ἐπερωτᾷν (τὸν δῆμον) εἰ δοκεῖ καλῶς ἄρχειν ἕκαστος· τὸν δ' ἀποχειροτονηθέντα κρίνουσι*, i. e. *εἰσάγουσι*, judicio praesunt.

11) Aeschin. de fals. leg. p. 311. R. *τῶν δὲ συκοφαντῶν ὡς κακούργων δημοσίᾳ προβολὰς ποιούμεθα.* Isocrat. de Permutat. p. 802. cf. Harpocrat. u. s. Pollux VIII. 46. *προβολαὶ δὲ ἦσαν καὶ αἱ τῆς συκοφαντίας γραφαί. Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Ἱπποκράτην αἰκίας.* Quae his proxime praecedunt, corrupta sunt et emendatu atque explicatu difficillima: *προβολαὶ δὲ γίγνονται, τοῦ δήμου ψηφισαμένου καὶ τῶν εὐνουστάτων τῇ πόλει, ὡς Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Θεοσδοτίδου, περὶ ἀμφοῖν.* Quid enim? iis tantum suffragium dabatur, qui bene de republ. sentirent? et illud *περὶ ἀμφοῖν*, quid significet? Putavi aliquando, rescribendum esse: — *κατὰ τῶν ἐνισταμένων τῇ πόλει*, — — *καὶ περὶ τῶν ἀρχῶν*: de iis qui reipubl. adversarentur — et de magistratubus. Nunc autem haec probabilior videtur sententia, omnia illa verba descripta esse ex narratione quadam Lysiae in orat. adv. Theosdotidem, sed fine mutilata, aut scribae culpa aut aliquo casu. Oratori certam aliquam causam narranti dicere licuit, omnes eos, qui civitatis amantes essent, suffragium in ista causa tulisse; sed in *προβολῆς* definitione inepta est ea observatio.

λίας δ' εἰς τὴν βουλὴν προβολὰς δ' ἐν τῷ δήμῳ. Tres itaque Sycophantarum persequendorum modos fuisse dicit, γραφὴν, εἰσαγγελίαν, προβολήν. Quartum etiam addere possumus e Polluce, φάσιν[12]). Patet hoc etiam exemplo, quam vere illud a Demosthene dictum sit, plures cujusque criminis ulciscendi vias a Solone comparatas esse, ex quibus, pro causarum diversitate suisque rationibus eam, quae maxime conveniens videretur, actor eligeret. Sed προβολὴν tum potissimum institutam esse arbitror, si quis adversarium nactus esset Sycophantam dicendo valentem et Heliastarum ordini gratiosum, quem vix aliter a se in judicio superari posse speraret, nisi populi praejudicio ante damnatum. Quamquam enim nulla necessitate ad sequendum illud praejudicium Heliastae cogebantur, aliquid tamen praesidii atque auctoritatis actoris causae universi populi suffragium afferre debuit. — Sycophantiae crimine haud dubie ii quoque accussti sunt[13]), qui falsis criminibus atque calumniis populum ad condemnandos innocentissimos decem praetores induxerant. Horum προβολαί factae sunt populi jussu; ἐψηφίσαντο, οἵτινες τὸν δῆμον ἐξηπάτησαν, προβολὰς αὐτῶν εἶναι[14]). Id extra ordinem a populo factum

12) VIII. 47. De Sycophantarum φάσει atque εἰσαγγελίᾳ supra locuti sumus, cap. 3. Ceterum huc pertinere videtur Dinarchi locus, ibi a me praetermissus, or. in Demosth. p.96. 58. quamquam improprie προδότην dicit, quem συκοφάντην dici oportuit.

13) In eadem sententia etiam Taylorus est, Praefat. ad Demosth. orat. in Mid. p. 565. in Reisk. Appar. Crit. Tom. I.

14) Xenoph. Hellen. I. 7. §. 39. — Ceterum quod de Agorato Lysias narrat, in Agorat. p. 135. 44. συλλήβδην γὰρ ὑμεῖς αὐτοῦ κατέγνωτε, id quoque ἅπαντες καὶ ἐν τῷ δήμῳ καὶ ἐν τῷ δικαστηρίῳ συκοφαντίας ad προβολὴν referendum esse videtur, quippe quae ordine primum ad populum deferri, inde in judicio peragi solebat.

videtur, ut ea accusatio publice mandaretur quibusdam, neque expectaretur, donec aliquis privato consilio eam susciperet, propterea quod verendum erat, ne illi interim fuga salutem quaererent, aut aliqua ratione, gratia aut pecunia, accusatores, si qui essent, a consilio revocarent atque ita impunes abirent.

Porro ii quoque *προβολῇ* obnoxii fuisse dicuntur, qui argentifodinas publicas clam exercerent, aut aliquid demum ex publicis rationibus aliquo modo depecularentur[15]); quin Pollux ita loquitur, quasi in omnes omnino, qui male adversus rempublicam animati essent, ea actio institui potuerit[16]), neque id veri dissimile videtur.

Sed notissima omnium et celebratissima est ea *προβολῆς* species, qua de injuriis, per festa solennia, Eleusiniorum, Dionysiorum aliaque ab aliquo commissis, querelam apud populum movere solebant. Hujus duae leges, quamquam non integrae, a Demosthene servatae sunt, quas, quoniam plurimum ad rem illustrandam faciunt, visum est ipsis verbis describere. Ac prior quidem lex haec est:

Τοὺς Πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐν Διονύσου τῇ ὑστεραίᾳ τῶν Πανδίων. ἐν δὲ ταύτῃ χρηματίζειν πρῶτον μὲν περὶ ἱερῶν· ἔπειτα τὰς προβολὰς παραδιδότωσαν τὰς γεγενημένας ἕνεκα τῆς πομπῆς ἢ τῶν ἀγώνων ἐν τοῖς Διονυσίοις, ὅσαι ἂν μὴ ἐκτετισμέναι ὦσιν.

Altera autem haec:

Εὐήγορος εἶπεν· ὅταν ἡ πομπὴ ᾖ τῷ Διονύσῳ ἐν Πειραιεῖ καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοί, καὶ ἡ ἐπὶ

15) Taylor. Praef. ad Dem. or. in Mid. p. 563. 4. ex access. ad Harpocr. inedit.

16) VIII. 46. *Προβολὴ δὲ ἡ κλῆσις εἰς δίκην κατὰ τῶν κακόνως πρὸς τὸν δῆμον διακειμένων.*

Ληναίῳ πομπὴ καὶ οἱ τραγῳδοὶ καὶ οἱ κωμῳδοί, καὶ τοῖς ἐν ἄστει Διονυσίοις ἡ πομπὴ καὶ οἱ παῖδες καὶ ὁ κῶμος καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοί, καὶ Θαργηλίων τῇ πομπῇ καὶ τῷ ἀγῶνι, μήτε ἐξεῖναι μήτε ἐνεχυράσαι μήτε λαμβάνειν ἕτερον ἑτέρου, μηδὲ τῶν ὑπερημέρων, ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις. ἐὰν δέ τις τούτων τι παραβαίνῃ, ὑπόδικος ἔστω τῷ παθόντι καὶ προβολαὶ αὐτοῦ ἔστωσαν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ἐν Διονύσου, ὡς ἀδικοῦντος, καθὰ περὶ τῶν ἄλλων τῶν ἀδικούντων γέγραπται[17]).

Iubentur igitur priore lege Prytanes, postridie Pandiorum, i. e. Elaphebolionis die XV[18]) comitia habere in Bacchi theatro, ibique cum populo agere primum *περὶ ἱερῶν*, i. e. de rebus ab Archonte administratis[19]), dein *προβολάς* proponere, si quae factae fuerint de injuriis circa Dionysiorum festum commissis, quod ejusdem mensis die XII celebrabatur. Posterior autem lex etiam de delictis circa Dionysia ruralia, Lenaea atque Thargelia *προβολάς* ad populum in Bacchi theatro fieri jubet. Idem etiam de Eleusiniis sive mysteriis institutum fuisse Demosthenes alio loco et Grammatici testantur[20]); neque quidquam causae est, quo minus de ceteris

---

17) Demosth. in Mid. p. 517. 518. De festis, quae in his legibus memorantur, vid. Taylor. p. 574. et Spalding. in Praefat. ad hanc or. p. XIII, sq. et ejusd. Comment. de Dionysiis in Commentt. Acad. Reg. Berolin. 1804 — 1811. De Lenaeis vid. tamen Boeckh. Staatshaushalt. de Ath. II. p. 249. De Thargeliis, Corsin. F. A. Diss. XIII.

18) Secundum Corsin. F. A. l. l.

19) Vid. Spalding. ad h. l. p. 7.

20) Demosth. in Mid. p. 571. *ἔστι δὲ ὁ αὐτὸς νόμος τῷδε τῷ περὶ τῶν Διονυσίων ὁ περὶ τῶν μυστηρίων.* cf. Lex. Rhet. Bekk. l. l. et p. 288.

quoque festis, majoribus certe, et quae per ludos pompasque peragerentur similes leges fuisse credamus, cum praesertim Julius Pollux id innuere videatur, generatim dicens: *ἐγίγνοντο δὲ (προβολαὶ) περὶ τῶν ἐξυβρισάντων ἢ ἀδικησάντων ἢ ἀσεβησάντων περὶ τὰς ἑορτάς.* Ceterum non uno tempore de omnibus festis hasce leges latas esse, ex hoc uno satis patet, quod Demosthenes antiquiorem de Eleusiniis, quam de Dionysiis legem esse affirmat[21]). Omnes autem aliquanto post Solonis aetatem, neque ulla fortassis ante belli Peloponnesiaci finem aut Euclidem archontem lata est[22]).

Cautum erat his legibus, ne quis festo tempore, quae *ἱερομηνία* Graecis dicebatur, ulla de causa cuiquam injuriam faceret manumve injiceret, non iis solum, qui in administrandis sacris ludisque occupati essent, sed aliis quibusvis, festum concelebrantibus, Spectantibus, civibus, peregrinis, liberis, servis[23]);

21) Or. in Mid. l. l. *κἀκεῖνος (ὁ περὶ τῶν Διονυσίων νόμος) ὕστερος τούτου ἐτέθη (τοῦ περὶ τῶν μυστηρίων).*

22) Post Solonem eas latas esse, in quibus de ludis scenicis agitur, res ipsa satis evincit. cf. et Demosth. p. 525. Alcibiadis aetate legem illam de Dionysiis nondum fuisse, idem affirmat, p. 562. *Ἀλκιβιάδης Ταυρέαν ἐπάταξε χορηγοῦντα ἐπὶ κόῤῥης· ἔστω ταῦτα, ἀλλὰ χορηγῶν γε χορηγοῦντα τοῦτ᾽ ἐποίησε, οὔπω τόνδε τὸν νόμον παραβαίνων· οὐ γὰρ ἔκειτό πω.* (De historia cf. Andocid. in Alcibiad. p. 21. 35. Plutarch. vit. Alcib. cap. 16.) Memoratur quidem ab Andocide, de Myster. p. 15. 8. Solonis lex, quae jubeat, postridie Mysteriorum Senatum in Eleusinio, (templo non Eleusine sed in ipsa urbe) haberi, actumque in illo Senatu esse de rebus per festum gestis, ex ipso orationis contextu apparet; sed comitiorum nulla ibi fit mentio.

23) Demosth. in Mid. p. 525. Servi quidem non diserte memorantur; tamen de iis quoque has leges valuisse non dubito, cum ordinaria *ὕβρεως* actio non minus propter servo-

neve liceret, pignora a debitore capere, neque res suas repetere ne ab iis quidem, qui judicatum intra praestitutam diem non solvissent[24]). Itaque, quemadmodum jure gentium inter Graecas civitates sancitum erat, ut per ἱερομηνίαν communium festorum, Olympiorum puta, Isthmiorum, Nemeorum atque Pythiorum, induciae quaedam essent omnique hostilitate erga eos certe, qui ad concelebrandum festum convenerant, abstineretur[25]): ita civili Atheniensium jure injuriae omnes atque certamina inter privatos festis temporibus pro impiis atque nefariis habebantur. Atque tanta cum religione has leges observabant Athenienses, ut Menander Thespiensis, qui per Eleusiniorum festum Menippo cuidam, Cari, judicatum solvere detrectanti, manum injecerat, a populo damnatus sit, a judicibus autem morte mulctatus foret, ni actor ipse intercessisset; alius quidam, filii Archontis paredrus, quia Dionysiis aliquem e theatro per vim ejecerat et pulsa-

---

rum quam liberorum injurias institui posset. vid. Demosth. p. 529. De reliquis vid. ibid. p. 571. sq. cf. Demosth. adv. Timocrat. p. 709. *ἁπάντων ὑμῶν ἀγόντων ἱερομηνίαν, καὶ νόμον κειμένον, μήτ' ἰδίᾳ μήτε κοινῇ μηδὲν ἀλλήλους ἀδικεῖν ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ.* Loquitur de Saturni festo; quamquam an *προβολαὶ* de his quoque injuriis fuerint, dubitari potest.

24) Haec vetantur Euegori lege, de Dionysiis magnis atque ruralibus, Lenaeis et Thargeliis. Illa, quae ante a me commemorata sunt, antiquioribus jam legibus vetita erant, id quod indicant postrema legis verba: *προβολαὶ αὐτῶν ἔστωσαν — καθὰ περὶ τῶν ἄλλων τῶν ἀδικούντων γέγραπται.*

25) Vid. Plutarch. Arat. cap. 28. Xenoph. Hellen. IV. 5. Schol. ad Aeschin. or. de fals. leg. p. 197. Thucyd. V. cap. 49. Huc pertinent etiam *σπονδαὶ μυστηριώτιδες*, ap. Aeschin. l. l. p. 502. Plura de hoc instituto commodius alio loco dicentur.

verat, condemnatus et ipse sit a populo; denique Ctesicles quidam, qui in pompa, ebrius inimicum nescio quem scutica verberaverat, extremo supplicio affectus sit[26]). Atque illud quoque sine dubio huc referendum est, quod Dinarchus narrat, Themistium Aphidnaeum, propter injuriam Rhodiae citharistriae per Eleusinia factam, morte mulctatum esse[27]).

De hujusmodi igitur injuriis ac delictis querelae ad populum deferebantur per Prytanes[28]). Hi enim lege illa, quam supra adscripsimus, jubentur τὰς προβολὰς παραδιδόναι τὰς γεγενημένας — ὅσαι ἂν μὴ ἐκτετισμέναι ὦσιν. Eos itaque primum actor adire debuit et προβολήν suam, scripto haud dubie consignatam, iis tradere, ab iis postea populo proponendam, nisi si interim reus actori satisfecerat. In comitiis autem actor adversarium produxit[29]), et, post propositam a Prytanibus προβολήν, uterque verba pro se ad populum fecit. Dein populus per

26) Demosth. in Mid. p. 571. 572.

27) Dinarch. in Demosth. p. 93. 10.

28) Et de magistratuum quidem delictis in prima potissimum cujusque Prytaniae ecclesia, quemadmodum supra diximus; de injuriis festo tempore commissis, proxima post quodque festum ecclesia; de Sycophantis aliisque primo quoque tempore.

29) Lex. Rhet. Bekkeri, p. 288. προβολὴ καὶ προβάλλεσθαι, τὸ παράγειν εἰς τὴν ἐκκλησίαν τὸν βουλόμενον καὶ ἀποφαίνειν ὡς ἠδίκησεν. Eo sensu προβολήν provocationem ad populum Taylorus dicit, l. l. p. 564. cf. Spalding. ad Dem. Mid. p. 1. contra vulgatum hujus vocabuli usum apud Romanos. Verae provocationes, ἐφέσεις, ad populum nullae fuerunt apud Athenienses, et quae Heynius de iis dixit, Op. Acad. IV. p. 81. not. e.) fluxerunt e falsa interpretatione Plutarchi vit. Solon. cap. 18.

praeconem interrogabatur, primum, an προβολῆς legibus reus teneri videretur. Si quibus videretur, ii manus sustulerunt, eaque *καταχειροτονία* dicebatur. Sequebatur altera rogatio, an non teneri videretur. Quibus non videretur, item manus porrexerunt, eaque erat *ἀποχειροτονία*. Quod major pars censuisset, ratum erat[50]. *Καταχειροτονία* autem non nisi eo valebat, ut actor, quamvis inops atque humilis, populi praejudicio etiam contra potentissimum adversarium munitus, causam suam, quasi publicam et quam universa civitas quodammodo ad se ipsam pertinere judicasset et suffragio suo probasset, cum certiore vincendi spe in judicio ageret. Neque enim cum poenae irrogatione προβολή ista conjuncta erat, neque populus ad aliquam poenam reum condemnabat; sed post illud comitiorum praejudicium res ad aliquem ex Archontibus[51]) deferebatur, qui eam, eadem, qua alias causas publicas, ratione, Heliastico judicio cognoscendam et dijudicandam committeret[52]). Erat autem is ἀγὼν

---

50) Vid. Petit. Legg. Att. p. 307. qui immerito apud Suidam pro *ἀποχειροτονία* reponendum censet *ἐπιχειροτονία*, quia *ἀποχειροτονεῖν* alio sensu apud Pollucem legerat. Sed fefellit eum, aliud esse *ἀποχειροτονεῖν* cum accusativo, aliud cum genitivo constructum, quemadmodum differunt etiam *ἀποψηφίζεσθαί τινα* et *τινός*. Ceterum cf. Schol. Bavar. ad Dem. in Mid. p. 82. R.

51) Thesmothae soli nominantur a Polluce, VIII. 87. sed sine dubio alia causarum genera ad alium archontem pertinebant.

52) Cf. Matthiae, de Jud. Ath. P. 2. p. 258. sq. Quamquam qua ratione inductus vir doctissimus Timagorae causam, ap. Demosth. p. 550, huc referendam putarit, equidem non perspicio. Vid. supr. cap. 3. huj. libr. p. 190. Ceterum quam perverse de hoc judiciorum genere Heynius senserit,

τιμητός[32]), quamquam plerumque, qui condemnati essent, morte mulctati esse videntur.

Sed illud quoque nonnunquam factum esse legimus, ut qui accusaturus aliquem publico crimine esset, id adversario suo in concione palam et audientibus omnibus denuntiaret, non quidem, quo suffragium a populo ferri praejudiciumque de isto crimine fieri vellet, sed ut denunciationis suae universos cives testes haberet, et aut favorem sibi conciliaret, aut invisum suspectumque adversarium redderet. Id ἐπαγγέλλειν, ipsaque denuntiatio ἐπαγγελία vocabatur, quam cum εἰσαγγελίᾳ a nonnullis confusum esse, jam alii notarunt[34]). Sed proprie ἐπαγγελία erat, cum quis oratori, cui propter flagitiosam inhonestamque vitam verba in comitiis facere per leges non liceret, sed qui tamen id jus usurpare soleret, accusationem denuntiabat, πρὸς δοκιμασίαν τοῦ βίου, i. e. quo cogeretur in judicio vitae suae rationem reddere, et, si convictus esset, ἄτιμος fieret et foro comitioque arceretur[35]). Eo mo-

---

verba ejus declarant, Opusc. Acad. IV. p. 81. „Demosthe-„nes," inquit, „qui chorum instruxerat, a Midia, aemulo „in orchestra pugnis caesus, accusaverat Midiam ad populum; „damnatur ἀσεβείας Midias; at ille (Midias) alteram actio-„nem instituit, ἀγῶνα τῆς ὑποτιμήσεως, (ea quidem observa-„tio Libanio debetur, in argum. huj. or.) non ἀσεβείας sed „ὕβρεως se reum esse contendens; res rejecta ad dicasteria; „in altero hoc judicio habita oratio in Midiam." cujus ne initium quidem Heynius accurate perlegisse videtur.

33) Vid. Demosth. Mid. p. 523. in. cf. p. 571. extr.

34) Vid. Ruhnken. ad Timaeum, p. 98. De variis ἐπαγγελίας significationibus vid. Taylor. ad Demosth. or. de fals. legat. p. 345. sq. in Reisk. Appar. Crit. Tom. I.

35) Ipsam de hac ἐπαγγελίᾳ legem, ab Aeschine adv. Timarch. p. 54 — 56. servatam, supra Lib. I. cap. 10. p. 111. adscripsimus. Ceterum ex ista in Timarchum oratione Grammatici

do in jus vocatus est ab Aeschine Timarchus, et, cum convictus esset, capite deminutus. Denunciatam autem ei hanc accusationem in comitiis esse coram populo, ipsius Aeschinis verba ostendunt: *τὰ δὲ ἐν αὐτῇ τῇ ἐκκλησίᾳ γενόμενα, ὅτε ἐγὼ τὴν ἐπαγγελίαν ταύτην Τιμάρχῳ ἐπήγγειλα, ταῦθ' ὑμᾶς ἀναμνῆσαι βούλομαι*[36]). Neque id sine idonea causa in eo potissimum reorum genere factum, quo cognosceret populus eorum, qui consiliis atque auctoritate rempublicam administrare conarentur, flagitia et dedecora, justamque ac debitam iis odii atque contemtus mercedem persolveret. — Simili ratione etiam magistratubus, tam qui suffragio, quam qui sorte caperentur, examinatorium judicium, liceat enim, graecum *δοκιμασία* ita vertere, denuntiari solitum

omnes, Harpocratio s. v. Pollux VIII. 43. Suidas s. v. aliique *ἐπαγγελίας* definitionem hauserunt. Sed Harpocrationis et Suidae definitio ejusmodi est, ut inter *ἐπαγγελίαν* et *ἔνδειξιν* non satis distingui videatur. Nam *ἐνδείκνυσθαι* quoque dicunt *τὸν ἀντιποιούμενον πράξεων ἢ τόπων ἀπηγορευμένων τοῖς νόμοις, οἷον τὸν ἡταιρηκότα τῆς ἀγορᾶς καὶ τοῦ λέγειν.* Differunt autem inter se plurimum. Nam *ἐπαγγελία* locum habet, si cui denunties accusationem, nondum ante eorum criminum, quorum a te insimulatur, convictum, sed nunc primum a te convincendum; *ἔνδειξις* autem est delatio ejus, qui jam ante convictus et *ἄτιμος* factus est, neque tamen foro et comitio abstinuit.

36) Or. adv. Timarch. p. 104. Falso Reiskius h. l. *ἐπαγγελίαν* idem quod *δοκιμασίαν* esse dicit. *Ἐπαγγελίαν ἐπαγγέλλειν*, eodem modo dictum est, quo *μάχην μάχεσθαι, γραφὴν γράφεσθαι*, aliaque quamplurima. Sed *δοκιμασία* est ipsum judicium, veluti ap. Aesch. p. 28: *ἐπήγγειλα αὐτῷ τὴν δοκιμασίαν ταυτηνί.* et p. 56. *δοκιμασίαν ἐπαγγειλάτω ὁ βουλόμενος.* *Ἐπαγγελία* autem est accusationis denunciatio, quam sequitur *δοκιμασία* s. judicium. Itaque non absurde Ulpianus ad Demosth. adv. Androt. p. 388. 43. *ἐπαγγελίαν*, *δίκην* esse dicit *πρὸς δοκιμασίαν τοῦ βίου*, quamquam *δίκης* nomine non accurate utitur.

esse videtur, essentne ad magistratum illum, ad quem quisque designatus esset, idonei, nec ne[37]).

Sed tamen in aliis etiam quibusvis criminibus publicis ἐπαγγελίαν locum habuisse crediderim; veluti in crimine legum male rogatarum. Ac Libanius quidem huic sententiae adstipulari videtur, cum, de Ctesiphontea illa causa loquens, *Αἰσχίνης*, inquit, *ἐχθρὸς ὢν τοῦ Δημοσθένους, ἀγῶνα παρανόμων ἐπήγγειλε Κτησιφῶντι*[38]). Enimvero ista, de qua supra locuti sumus, *ὑπωμοσία*, nil aliud erat, nisi quaedam *ἐπαγγελία*, jurata accusationis denunciatio, in ipsis comitiis coram populo facta, etiamsi fortassis illa de re minus usitatum fuerit hoc vocabulum. — Similiter etiam peregrinitatis accusationem in comitiis denuntiatam esse Demosthenes docet. *Ἴστε γάρ*, inquit, de Timotheo loquens, *τοῦτον ἐν τῷ δήμῳ ὀμόσαντα καὶ ἐπαράμενον αὑτῷ ἐξώλειαν, εἰ μὴ γράψαιτο Ἰφικράτην ξενίας*[39]). Solebant itaque ejusmodi denuntiationes jure jurando confirmari; quodsi quis id negligeret, fidemque populo datam falleret, eum per *εἰσαγγελίαν* deferri licebat[40]). Ceterum ipsae accusationes, quas quis denuntiave-

---

37) Pollux VIII. 44. *Δοκιμασία δὲ τοῖς ἄρχουσιν ἐπηγγέλλετο, καὶ τοῖς κληρωτοῖς καὶ τοῖς αἱρετοῖς, εἴτ' ἐπιτήδειοί εἰσιν ἄρχειν εἴτε μή.* Quamquam non necessarium est, omnes *ἐπαγγελίας* in comitiis factas esse.

38) Argum. or. Demosth. de Coron. p. 221.

39) Or. in Timoth. p. 1204. — *Ἐπαρᾶσθαι τὴν ἐξώλειαν αὑτῷ*, perniciem sibi imprecari, usitatissima erat juris jurandi formula. Vid. Aeschin. adv. Timarch. p. 151. Demosth. adv. Aristocrat. p. 642. Antiphon. de caed. Herod. p. 130. 53. aliique multi.

40) Demosth. in Timoth. l. l. cf. Dinarch. in Philocl. p. 108. 44. cf. Petit. Legg. Att. p. 527. sqq.

rat, instituendae erant apud aliquem ex Archontum collegio, Eponymum, aut Thesmothetam, pro causarum varia conditione[41]). Reliquum judicium more solito atque ordinario peragebatur.

CAPUT VI.

De Ostracismo.

Cum judiciis populi haud incommode conjungi posse videtur Ostracismus, qui, quamquam non verum fuit judicium, aliquam tamen habuit judicii similitudinem. Etsi enim neque justae accusationi neque defensioni in Ostracismo locus fuit, neque jurati judices ex Heliastarum ordine occulta suffragia tulerunt[1]), vereque Plutarchus dixit, exilium illud, quod subibant ii, adversus quos suffragia lata erant, non maleficiorum poenam, sed opum nimiarum potentiaeque supra civilem modum auctae castigationem fuisse[2]): tamen, cum haberi Ostracismus populi injussu non posset, necesse fuit, aliquo ante tempore cum populo hac de re agi, eumque

41) Scilicet *παρανόμων γραφή* aut ad Eponymum aut ad Thesmothetas deferebatur. v. Wolf. ad Dem. Leptin. p. CXXXX. *ξενίας γραφή* ad Thesmothetas. Pollux VIII. 88. *Ἑταιρήσεως γραφή*, omnesque eae, quae ad *δοκιμασίαν τοῦ βίου* pertinebant, ad eosdem. vid. ib. et Demosth. adv. Androtion. p. 600.

1) Andocid. in Alcibiad. p. 29. 15. Steph. *Οὔτε κατηγορίας γενομένης, οὔτε ἀπολογίας ἀποδοθείσης, οὔτε διαψηφισαμένων κρύβδην, τὸν ὀστρακισθέντα τοσοῦτον χρόνον δεῖ στερηθῆναι τῆς πόλεως.*

2) Plutarch. vit. Themistocl. cap. 22. Aristid. cap. 7. cf. Alcibiad. cap. 13. Nic. cap. 11.

doceri, quae esset Ostracismi habendi causa, quive essent illi cives, quorum nimiae opes timeri atque tolli e civitate deberent. Neque minus tunc ii, qui sibi illud exilii periculum imminere sentirent, amoliri a se populi invidiam aut suspicionem studuerunt; quemadmodum facit auctor orationis in Alcibiadem, quae vulgo Andocidi, a nonnullis autem Phaeaci tribuitur. Is enim simul se ipse purgat atque defendit, simul Alcibiadem criminatur, dignumque exilio esse arguit; atque ita loquitur, quasi Alcibiades quoque post ipsum dicturus sit[3]. Erant igitur haec accusationi et defensioni haud dissimilia, atque omnino Ostracismus, ut dixi, a judicii similitudine non magnopere abhorrebat.

Modus autem atque ordo rei peragendae jam dudum a multis satis accurate expositus est, vulgoque haud ignotus[4]; quamobrem sufficiet nunc brevior singulorum commemoratio. Igitur, si visum erat populo, Ostracismum instituere[5], atque, ut Comicorum joco utar, τῇ κεραμικῇ μάστιγι[6]) nimiam quorumdam civium potentiam aut superbiam ca-

---

3) Andocid. l. l. p. 32. 24. *Ἡγοῦμαι δ' αὐτὸν πρὸς τοῦτο μὲν οὐδὲν ἀντερεῖν, λέξειν δὲ περὶ τῆς νίκης Ὀλυμπιάσι, καὶ περὶ πάντων μᾶλλον ἢ τῶν κατηγορηθέντων ἀπολογήσεσθαι.*

4) Scriptores aliquot, qui de Ostracismo egerunt, enumerantur a Fabricio, Bibliogr. Antiq. cap. XV. §. 16. p. 754. plures etiam addi possunt, velut Laurent. Normannus, Diss. de Ostrac. Upsal. 1692. Steph. Menochius, Trattenimenti eruditi, Part. 4. centur. octav. p. 559. aliique, quos nominare nihil attinet.

5) Schol. Aristoph. ad Equitt. v. 851. *Προεχειροτόνει ὁ δῆμος ὄστρακον εἰσφέρειν* (ita scrib. pro *εἰσφέρων*) *καὶ ὅταν δόξῃ, ἐφράττετο σανίσιν ἡ ἀγορά κ. τ. λ.*

6) Vid. Hesych. s. v. et Taylor. vit. Lycurg. p. 115.

stigare, constituto die in foro omnes convenerunt, cujus pars quaedam tabulatis seu cancellis circumsepta erat, decem, pro tribuum numero, aditibus relictis[7]. Per hos singuli cives introierunt, tributim divisi, testulasque suas, ejus, quem quisque exulare vellet, nomine inscriptas, in urnis aut cistellis reposuerunt; atque ab his testulis seu *ὀστράκοις*, quibus pro tabellis utebantur, Ostracismi nomen rei inditum. Aderant autem novem Archontes cum Proedris atque Prytanibus, videbantque, ut rite omnia atque ordine fierent[8]. Inde ab his testulae numerabantur; ac primum quidem universim. Quodsi minus sex mille invenirentur, irritus erat Ostracismus. Sin justus numerus adesset, rursum singulae dinumerabantur; eum, cujus nomen majori testularum parti inscriptum appareret, per decem annos exulare oportebat. Ita quidem res a Plutarcho describitur, alii autem minimum sex millia civium in unius exilium consentire oportuisse dicunt[9],

---

7) Omnem rei ordinem ex veteribus hi imprimis accurate describunt: Plutarch. vit. Aristid. l. l. Schol. ad Aristoph. Equitt. l. l. Jul. Pollux VIII. 20. Timaeus, Lex. Platon. p. 114. Etymolog. M. in *Ἐξοστρακισμός*.

8) Schol. Aristoph. *Ἐπεστάτουν δὲ οἵτε θ' Ἄρχοντες καὶ ἡ βουλή.* i. e. non universi quingenti, sed Senatus praesides. Plutarch. *Οἱ δ' Ἄρχοντες διηρίθμουν τὸ σύμπαν τῶν ὀστράκων πλῆθος.*

9) Schol. Aristoph. *ἀριθμηθέντων δὲ ων* (scr. *ᾧ ἂν*) *πλεῖστα γένοιτο* (*ὄστρακα*) *καὶ μὴ ἐλάττω ἑξακισχιλίων, τοῦτον ἔδει ἐν δέκα ἡμέραις μεταστῆναι τῆς πόλεως. εἰ δὲ μὴ γένοιτο ἑξακισχίλια, οὐ μεθίσταται.* Pollux: *ὅτῳ δὲ ἑξακισχίλια γένοιτο τὰ ὄστρακα, τοῦτον φυγεῖν ἐχρῆν*; quem locum Kühnius frustra conatur interpretando conciliare cum Plutarcho. Timaei verba in utramque partem accipi possunt: *τῶν ὀστράκων ὑπὲρ ἑξακισχίλια γενομένων, φυγὴ δεκαετὴς καταψηφίζεται τοῦ κρινομένου.*

quae quidem sententia veri similior videri possit, si reputes, aliis quoque in rebus, ubi calculis suffragia ferebantur, totidem civium consensum requisitum esse, ut ratum fieret decretum [10]). Quamquam si quis pluris aestimabit Plutarchi auctoritatem, tam distincte rem explicantis, non equidem adversabor; modo ne eandem rationem in aliis quoque διαψηφίσεσιν observatam esse contendat. — Ceterum, qui damnati erant, intra decem dies urbe excedere cogebantur, exiliumque illud decem annorum spatio finiebatur, neque cum infamia aut bonorum publicatione conjunctum erat, eoque differebat ab eorum exilio, qui judiciis damnati erant [11]). Haud raro tamen etiam ante illud legitimum tempus exules populi Psephismate revocabantur [12]).

De auctore autem Ostracismi, quamquam diversa a scriptoribus traduntur, tamen vix potest dubitari, quin vera sit eorum sententia, qui Clisthenem illum perhibent, qui post exactos Pisistratidas, multis praeclarisque legibus atque institutis recreavit rempublicam, libertatemque civibus stabilivit [13]).

---

10) Vid. tres leges apud Demosthenem, adv. Timocrat. p. 715. ib. p. 719. in Neaer. p. 1375. quae infra, suo quaeque loco, adscribentur.

11) Quod Aristophanis Schol. ad Equitt. l. l. et ad Vesp. v. 941. et, qui eum exscripsit, Suidas, in v. Ὀστρακισμός, etiam locum exilii τοῖς ἐξοστρακισθεῖσιν assignari solitum esse dicunt, alio teste caret, neque veri simile videtur.

12) Plutarch. Pericl. cap. 10.

13) Aelian. V. H. VIII. cap. 24, quem e recentioribus plerique omnes secuti sunt, cf. Wesseling. ad Diodor. T. I. p. 415; neque repugnat huic sententiae Harpocrat. in Ἵππαρχος, apud quem verba illa: διὰ τὴν ὑποψίαν τῶν περὶ Πεισίστρατον, vertenda sunt: propter suspicionem in Pisistratidas: aliter atque factum est a Meursio, Pisistr. cap. 7.

Apparet autem cuivis, egregrie conveniens hoc institutum fuisse ei tempori, cum gravi experimento didicissent Athenienses, quantopere timendae essent in populari republica unius hominis nimiae opes. Ideoque illud quoque veri simillimum est, quod a quibusdam traditur, primum Ostracismo exterminatum esse Hipparchum Charmi filium, Pisistrati cognatum, et propter hoc populo suspectum[14]); quamquam alii Clisthenem ipsum inventae a se rei primum hunc fructum tulisse volunt. Illud autem inter omnes constat, post Hyperbolum, hominem impurum atque contemtum, cujus contagione quasi polluta videbatur Ostracismi dignitas, neminem Athenis isto exilio affectum esse. Neque exstiterunt fere post illud tempus tantae privatorum opes, quae periculum libertati afferre posse viderentur; atque, si tamen erant, qui novas res molirentur, et opprimendae libertatis consilia agitarent, reprimendorum ejusmodi conatuum multae aliae erant viae; quo facilius Ostracismo carere respublica poterat. —

Quamquam apud Heraclidem quoque Ponticum non Clisthenem, sed Hippiam, Pisistrati filium et patriae tyrannidis heredem Ostracismi auctorem fuisse legimus. Sunt autem qui illum locum corruptum putent; attamen, ut sanus sit, errasse Heraclidem cur non audeamus credere? cujus erroris causa haec fortassis fuit, quod ab Hippia quoque multos, quorum opes atque gratia ei suspectae essent, in exilium actos esse legerat. Neque enim minus tyrannis ista metuenda sunt, quam liberis civitatibus. vid. Aristot. Polit. III. cap. 14. Sed populo illam potestatem a tyranno datam esse quis credat? — Ceterum eorum sententias, qui a Thesei inde temporibus illud institutum repetunt, refellere nihil attinet. De Lysonis autem filio, Achille, qui et ipse Ostracismi auctor fuisse dicitur, vid. Hemsterhus. ad Aristoph. Plut. v. 627.

14) Diodor. Sic. XI. 87. Plutarch. vit. Niciae. c. 11. Harpocrat. l. l.

Ceterum similibus institutis aliae quoque civitates Graecae usae esse dicuntur, Argivi, Milesii et Megarenses [15]). Syracusanorum autem Petalismus re vera idem fuit cum Atheniensium Ostracismo, nomine tantum et forma, quod foliis pro testis utebantur, diversus [16]).

CAPUT VII.

De legibus ferendis abrogandisque.

De legum ferendarum abrogandarumque ratione disputare mihi instituenti, illud ante omnia monendi sunt lectores, ut legum (*νόμων*) et Psephismatum differentiae probe meminerint, neque Latini sermonis usu in errorem inducti, diversas res inter se permisceant. Apud Romanos enim leges et eae dicuntur, quae ad jus civile et publicum pertinent, et eae, in quibus de singulis rebus aut hominibus constituitur [1]). Apud Graecos autem

---

15) De Argivis vid. Aristot. Polit. V. c. 3. Milesios et Megarenses una cum Argivis nominat Schol. ad Aristoph. Equitt. v. 851. Ceterum falsum est, quod Petitus dicit, Legg. Att. p. 457, non Athenis solum, sed etiam in subditis civitatibus Ostracismo usos esse Athenienses. Neque id dicit Aristoteles, Polit. III. 13. quem auctorem laudat, sed hoc tantum, eos in subditis civitatibus non minus quam domi eos qui nimium praeter ceteros excellerent, oppressisse et sustulisse. Sed testulis in eo non magis utebantur, quam Persarum rex, qui et ipse *Μήδους καὶ Βαβυλωνίους καὶ τῶν ἄλλων τοὺς πεφρονηματισμένους, διὰ τὸ γενέσθαι ποτ' ἐπ' ἀρχῆς, ἐπέκοπτε πολλάκις*, ut eodem loco Aristoteles ait.

16) Diodor. Sic. XI. c. 86. 87.

1) Vid. Ernest. Clav. Cic. in Ind. Legg. cf. Gellii N. A. X. c. 20.

alterum genus νόμων alterum ψηφισμάτων nomine designatur; illud a nobis, ubi distinctione opus fuerit, legum, hoc ipso Graeco Psephismatum vocabulo appellabitur, quemadmodum etiam ante nos a plerisque omnibus factum est[2]).

---

2) Nonnulli decreta dixerunt ψηφίσματα. Sed ab ipsis veteribus Latinis Psephismatis vocabulum usurpari notissimum est. De legum et Psephismatum differentia vid. Biag. de Decret. Athen. I. §. 4. et Wolf. ad Demosth. Leptin. p. 510. aliique plures, quos omnes laudare nihil attinet. Sed illud quoque notandum est, non semper ab ipsis veteribus hanc differentiam accurate observari; quippe ψηφισμάτων nomen latius nonnunquam patet, et significat quidquid civium suffragiis decretum et in publicas tabulas relatum, populum tenet, sive illud generale sit et perpetuam auctoritatem habeat, quod proprium est legum juris publici et civilis, sive temporarium et propter singulares causas constitutum, quae ubi desierint, ipsum valere non amplius possit, cui generi peculiare est Psephismatis nomen. Ita lex Demophanti, ab Andocide servata, de Myster. p. 13, 2. sq. de crimine majestatis ejusque poena, ψήφισμα vocatur, quamquam ea non specialis est et temporaria, sed ex eo genere, quod proprie νόμος appellandum erat, quemadmodum etiam ab Andocide paullo post haec ipsa lex non semel appellatur. Apud Aelianum Lycurgi quaedam lex ψήφισμα dicitur, quam rectius νόμον Pseudo - Plutarchus dicit. Aelian. V. H. XIII. 24. Λυκοῦργος ὁ ῥήτωρ ἔγραψε, μὴ ἐλαύνειν τὰς γυναῖκας ἐν τοῖς μυστηρίοις ἐπὶ ζευγῶν· — πρώτη δὲ τῷ ψηφίσματι ἠπείθησεν ἡ τούτου γυνή. Pseudo-Plut. Vitt. X. Oratt. in Lycurg. p. 841. E. 842. A. Εἰσήνεγκε δὲ καὶ νόμους — ἐπὶ ζεύγους μὴ ἀπιέναι γυναῖκα Ἐλευσίναδε. Apud Athenaeum Lib. VI. cap. 6. Alcibiadis ψήφισμα de Parasitis memoratur, quod sine dubio νόμος erat. Atque illud quoque fortassis non alienum est hoc loco notari, quod Aristophanes Vesp. v. 577. τὰ ταῖν θεαῖν ψηφίσματα dicit, facete, pro τοὺς ταῖν θεαῖν νόμους, de pietate erga parentes, quae ideo earum dearum, Cereris atque Proserpinae lex dici poterat, quoniam omnem in vita et moribus humanitatem iis acceptam referebant, mysteriaque iis, etiam in hujus rei memoriam celebrabant. — Ce-

Differunt autem inter se leges et Psephismata non argumento solum et vi, sed etiam legitima atque ordinaria ferendi ratione. Atque Psephismatum quidem ferendorum rationem antea jam satis, ut puto, explicavimus. Erat illa non admodum difficilis atque impedita; idque propterea, quod, cum propter subitas plerumque necessitates Psephismata ferenda essent, plurimum saepe intererat, ut cito aliquid decerneretur, neque, si qui essent, qui consiliis rempublicam juvare possent, hi difficultatibus deterrerentur, aut longior mora iis interponeretur. De legibus autem multo diligentius a Solone provisum erat, ne cuivis quovis tempore facilis et expedita esset novarum rogandarum veterumque abrogandarum facultas. Verissime enim judicabat, novatis crebro legibus nullam aut exiguam esse vim atque auctoritatem, easque demum religiose observari solere, quibus longi temporis usu ac diuturna consuetudine cives assueti et quasi innutriti essent. Itaque melius saepe ac salubrius veteres leges, etiam minus bonas, tolerari, quam novis, licet melioribus, cupide commutari[3]); quippe minus perniciosum esse, malis legibus obtemperari, quam bonas negligi[4]). Quamobrem non mobili multitudini,

---

terum de hac latiore vocabuli ψήφισμα significatione cf. Biag. de Decret. Ath. l. l. quamquam Demosthenis locus, de Coron. p. 291. qui ab eo affertur, nihil huc pertinet. Aliud enim est Psephismatum genus, quod ibi designatur, de quo genere supra diximus lib. I. cap. 12.

3) Cf. Aristot. Politic. II. c. 8. extr. *Ὁ γὰρ νόμος ἰσχὺν οὐδεμίαν ἔχει πρὸς τὸ πείθεσθαι, πλὴν παρὰ τὸ ἔθος· τοῦτο δὲ οὐ γίνεται, εἰ μὴ διὰ χρόνου πλῆθος· ὥστε τὸ ῥᾳδίως μεταβάλλειν ἐκ τῶν νόμων εἰς ἑτέρους νόμους καινοὺς, ἀσθενῆ ποιεῖν ἐστι τὴν τοῦ νόμου δύναμιν.*

4) Thucyd. III. 37. *Χείροσι νόμοις ἀκινήτοις χρωμένη πόλις κρείσσων ἐστὶν, ἢ καλῶς ἔχουσιν ἀκύροις.*

demagogorum artibus obnoxiae et ad novandas res pronae, tanti negotii arbitrium permittendum esse censuit, sed selectis quibusdam ex Heliastarum ordine viris, ad tempus a populo creandis, id munus tribuit, ut de novis legibus jubendis veteribusque tollendis judices sederent, suoque suffragio jura civitati constituerent; quod institutum non alio pertinebat, quam ad democraticum imperium optimatium auctoritate salubriter temperandum. Nihil enim magis democraticum est, quam a plebis voluntate leges ipsas pendere[5]): illi autem Nomothetae, (ita enim selecti isti Heliastae dicebantur), aristocraticae magis reipublicae formae, qualem Solon instituit, convenire videntur; siquidem ista quidem aetate, cum sine mercede judicia exercerentur, Heliastae ex opulentioribus tantum et primarum classium civibus esse solebant, quibus rei familiaris cura solutis, liberaliter reipublicae servire licebat.

Igitur quoties de legibus novis rogandis veteribusque abrogandis agendum erat, Nomothetae a populo creabantur. Erat autem huic rei unum imprimis tempus statum, anni cujusque initium, quo tempore legum censura solennis, (*ἐπιχειροτονίαν νόμων* Athenienses dixerunt), peragebatur. Hujus ratio atque ordo legitimus optime ex ipsis legibus cognoscitur, quas a Demosthene servatas habemus in oratione in Timocratem[6]). Sunt autem hujusmodi:

Primae Prytaniae die undecimo[7]) in ecclesia,

---

5) Cf. Aristot. Polit. IV. 4.

6) Pag. 706. Latinam hujus loci versionem eam transscripsi, quam Wolfius dedit, Prolegg. ad Leptin. p. CXXXXVI.

7) Ex iis, quae supra Lib. I. cap. 2. dicta sunt, apparet. primam Prytaniam esse ab Hecatombaeonis die 1 ad Meta-

post praeconis solennem precationem Prytanes ad populum referunto de legibus, eumque in suffragium mittunto; primo loco de iis, quae pertinent ad Senatum Quingentorum, secundo de iis, quae ad Rempublicam universam, tertio, quae ad novem Archontes, denique, quae ad reliquos magistratus. Ita autem hoc fito, ut de singulis generibus legum populus in suffragium eundo decernat ante omnia, utrum quodque sufficiat, an minus[8]). Cujus rogationis idem plane modus esto, idem ordo, quem in reliquis rogationibus leges sanxerunt antiquitus latae.

Si quasdam legum receptarum Populus repudiari jusserit, Prytanes, id temporis munere fungentes, providento, ut de iis legibus, quas major pars suffragiorum repudiassit, in tertia ecclesia consilia ineantur; et Proedri quidem ejus tertiae ecclesiae post sacra utique agunto cum populo de Nomothetis deligendis, de legibus eorum judicio permittendis, et omni potestate regunda, simul de mercede iis judicibus publice comparanda.

Nomothetae sunto ex numero eorum, qui jus dixerunt in Heliaea et jusjurandum dederunt, quod ab Heliastis exigi solet.

---

gitnionis d. 5; itaque undecimum primum Prytaniae diem eundem esse undecimum Hecatombaeonis, quaeque eo die agatur ecclesia, primam esse totius anni.

8) Graec. ἡ δ' ἐπιχειροτονία ἔστω ἡ προτέρα, ὅτῳ δοκοῦσιν ἀρκεῖν οἱ νόμοι οἱ βουλευτικοί. κ. τ. λ. Verbo ἀρκεῖν non satis ad amussim respondet latinum *sufficere.* Non solum an satis legum esset, populus rogabatur, sed an bonae essent et idoneae; neque solum augeri leges, sed etiam veteres novis commutari jubebat, id quod sequentia quoque demonstrant: ἐὰν δέ τινες τῶν νόμων τῶν κειμένων ἀποχειροτονηθῶσι.

Si secus Prytanes ſaxint, neque ecclesiam habessint secundum ordinem in legibus praescriptum; vel si Proedri neglexerint cum populo agere: unusquisque Prytanum mille drachmas Minervae dare damnatus esto, et Proedrorum unusquisque quadraginta drachmas[9]. Exin utrorumque nomina ad Thesmothetas deferuntor, (ἔνδειξις αὐτῶν ἔστω), non aliter, atque cum quis magistratum gessit, cum aerario debet. Thesmothetae autem ejus rei judicium constituunto ex lege. Contra si faxint, ad scensus eis ad Areopagum occluditor, ut qui emendationem legum pro virili parte perverterint.

Ante ecclesiam vero tertiam, quisquis Atheniensium voluerit leges ferre, publice primum, quas laturus sit, ante statuas Eponymorum proscribito, ut pro numero propositarum legum populus spatium temporis praestituere possit Nomothetis ad negotium suum curandum.

Rogaturus novam legem in albo scriptam proponito ante statuas Eponymorum, idque singulis diebus ad diem tertiae ecclesiae usque.

Hecatombaeonis die undecimo[10]), in prima statim ecclesia, quinque viri suffragio populi eligun-

---

9) Inaequalitatis rationem Ulpianus reddere conatur, p. 446. 32. Ἄξιον, inquit, ζητῆσαι, διὰ τί οὕτως ἀνώμαλον ἔταξαν οἱ νόμοι τὴν ζημίαν κατά τε τῶν Πρυτάνεων καὶ τῶν Προέδρων· καὶ λέγομεν, ὅτι βαρύτερόν ἐστιν ὅλως τὸ μὴ συνάξαι τὸν δῆμον εἰς ἐκκλησίαν τοῦ μὴ ὑποβάλλειν· διὸ ἐπὶ τῶν Πρυτάνεων τῶν μὴ συναγόντων τὸ πλέον ἔταξαν. Ex qua explicatione, cui acquievit Petitus, Legg. Att. II. 1. p. 177., illud certe apparet, vulgatam in Demosthene lectionem antiquissimam esse, quo minus fidendum Reiskii conjecturae, pro τετταράκοντα δραχμάς rescribi jubentis τετταράκ. μνᾶς.

10) In Ulpiani scholio ad h. l. p. 446, 56. pro: Οὐ γὰρ ἦν ὁ πρῶτος μήν, manifesto apparet scribendum esse: Οὗτος γὰρ ἦν.

tor ex civibus universis, leges defensuri, quae apud Nomothetas abrogentur.

Iam nostra opera in harum legum explicatione versabitur: non enim unam esse, sed plurium partes, Demosthenis ipsius verba docent, cum et scribam alloquitur: *λάβε τουτουσὶ τοὺς νόμους καὶ ἀνάγνωθι*, et judices: *προσέχετε τὸν νοῦν ἀναγιγνωσκομένοις τοῖς νόμοις*: et post recitatas leges: *οὗτοι πάντες οἱ νόμοι κεῖνται πολὺν ἤδη χρόνον*[11]). Igitur leges illae aut legum fragmenta hoc primum docent, in annua ista legum censura populi fuisse arbitrium, utrum veteres leges immutatas manere vellet, an novas subrogari permitteret[12]); qua de re judicare et suffragium ferre non poterat, nisi edoctus antea ab oratoribus, aut relinquendas veteres, aut alias earum loco substituendas suadentibus. Atque cuivis civi licebat legem novam in ista ecclesia populo commendare veteremque tollendam suadere[13]), ita ta-

---

11) Cf. Taylor. ad h. l. Wolf. l. l. qui dubitationem movet, an omnino ita locum orator ipse consignarit, ut nunc legitur. Negari quidem vix potest, nonnunquam istas publicas litteras, quae apud oratores exstant, interpolatas, mutilatas et corruptas videri; tamen nostro loco equidem nihil invenio, quod talem suspicionem injiciat.

12) Demosthenes ipse, p. 707. hanc explicationem subjicit: *καὶ πρῶτον μὲν ἐφ᾽ ὑμῖν ἐποίησαν διαχειροτονίαν, πότερον εἰσοιστέος ἐστὶ νόμος καινὸς, ἢ δοκοῦσιν ἀρκεῖν οἱ κείμενοι.* Iudicibus tribuit, quod universi populi est, quatenus et ipsi pars quaedam populi sunt, frequentissima oratorum consuetudine. cf. Wolf. l. l. not. 123.

13) Id vel sola legis verba demonstrant: *ὁ βουλόμενος Ἀθηναίων νομοθετεῖν, ἐκτιθέτω τοὺς νόμους*, et Demosthenis legem explicantis: *προσέταξαν τοῖς βουλομένοις εἰσφέρειν κ. τ. λ.* neque negare debebat Petitus, Legg. Att. p. 175. Nam quod Scholiasten ad Aristoph. Vesp. v. 772. (*εἶχον δὲ καὶ ἑκάστη φυλὴ ἕνα Θεσμοθέτην καὶ γραμματέα, εἰς τὸ τοὺς νόμους εἰσηγεῖσθαι,*) probare putat, decem viros electos esse, e singulis

men, ut illam antea Senatui cognoscendam et examinandam proponeret, qui eam aut permitteret sua auctoritate ad populum ferri, aut vetaret[14]). Latam ad populum legem, qui non idoneam putaret, dissuadere poterat; auditis suasorum dissuasorumque orationibus, populus in suffragium ibat. Erat autem is rei agendae ordo descriptus, ut primo loco disceptaretur de iis legibus, quae ad Senatum pertinerent, tum de iis, quae ad universam rempublicam, tertio, quae ad novem Archontes, postremo, quae ad reliquos magistratus. — Quodsi quibus ex veteribus legibus novas obrogari populus permiserat, illis patroni quini creabantur, qui eas in Nomothetarum judicio defenderent[15]); solebantque hi, ut puto, fere ex iis esse, qui novas dissuaserant. Poterant tamen, etiam praeter istos, qui a populo creabantur, alii quilibet veterum legum patrocinium suscipere, ne his unquam deessent defensores, etiamsi fortassis publici isti patroni officio suo minus bene fungerentur. Idcirco constitutum erat,

---

tribubus unum, qui leges scriberent, et scribam, qui in Senatu proque concione recitaret: facile, puto, quivis intelligit, nullam esse hujus Scholiastae auctoritatem; neque obscurum est, unde iste error fluxerit.

14) Sine Senatus auctoritate de legibus agi cum populo non licuisse, etiamsi nulla exstarent diserta veterum testimonia, tamen dubitari non posset, neque enim quidquam absque Senatusconsulto ad populum ferri potuisse, supra vidimus. Sed huc pertinet Pollux VIII. 101. *Τοὺς γὰρ νέους νόμους ἐδοκίμαζεν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ τὰ δικαστήρια.* Quodsi non ante ferendam ad populum legem Senatus consulendus erat, sed postea, nulla erat ejus auctoritas. Demosthenis loco, adv. Timocr. p. 715. hic uti nolui, quoniam ibi de singulari tantum rogationum genere agitur.

15) Hi *σύνδικοι* aut *συνήγοροι* dicebantur. cf. Wolf. l. l. p. CXXXVI. not. 138.

ut novae leges a rogatoribus in albo scriptae ante statuas Eponymorum[16]) publicae proponerentur, et, donec Nomothetarum judicium consedisset, in omnibus ecclesiis a scriba recitarentur[17]), quo facilius eas cuncti cognoscerent, et, si quibus videretur, ad impugnandum bene praeparati accederent[18]). Tertia deinde ecclesia ordinaria, quae incidebat sub finem Hecatombaeonis mensis, de constituendis Nomothetis agendum erat. Referebatur igitur a Proedris ad populum, quot, quo jure quove officio Nomothetas esse placeret; (id est, de quibus legibus sententiam ferrent, quove modo munere suo perfungerentur); pecunia in eorum mercedem, unde eroganda, quantumque temporis iis praefiniendum esset. Quodsi aut Prytanes ecclesiam convocare, aut Proedri populum rogare neglexissent, alteris millenarum, alteris quadragenarum drach-

---

16) De his decem heroibus, a quorum nominibus Clisthenes tribus suas nominarat, quorum statuae positae erant ante curiam et Prytaneum, vid. qui laudantur a Wolfio, l. l. p. CXXXIII. not. 132.

17) Demosth. adv. Leptin. p. 485. (§. 75. Wolf.)

18) Demosth. adv. Timocrat. p. 708. *ἐν δὲ τῷ μεταξὺ τούτῳ χρόνῳ, προσέταξαν τοῖς βουλομένοις εἰσφέρειν, ἐκτιθέναι τοὺς νόμους πρόσθεν τῶν Ἐπωνύμων, ἵν᾽ ὁ βουλόμενος σκέψηται, κἂν ἀσύμφορον ὑμῖν τι κατίδῃ, φράσῃ καὶ κατὰ σχολὴν ἀντείπῃ,* cf. ib. p. 711. *τοὺς συνηγόρους, οὓς χειροτονεῖτε, δύναιτ᾽ ἄν τις πεῖσαι σιωπᾶν. ἐκτιθέναι κελεύει, τοῦ προειδέναι πάντας. ὡς τάχ᾽ ἂν, εἰ τύχοι, τοὺς μὲν ἀντειπόντας ἂν, εἰ (μὴ) προαίσθοιντο, λάθοι, οἱ δ᾽ οὐδὲν προσέχοντες ἀναγνοῖεν ἄν.* Sensus est: Si leges non publice proponerentur, fieri facile posset, ut ii, qui alioquin contradicturi essent, eas plane ignorarent, ii autem eas legerent aliquo casu, quorum nihil interesset. Sed illud *μὴ* ante *προαίσθοιντο*, quod sententiam turbat, delendum puto. Fortassis tamen major aliqua corruptela subest.

marum mulcta imponebatur, Minervae sacra, nominaque eorum a quolibet cive deferri poterant per ἔνδειξιν ad Thesmothetas, qui, si delationem recipere recusarent, post, exacto magistratus tempore, ab Areopago excludebantur, quo alias Archontes munere bene functi ascendere solebant.

Nomothetae populi jussu creabantur (et sorte quidem, ut videtur; quamquam quis fuerit sortiendi modus, nescimus[19]), ex iis, qui jusjurandum Heliasticum dederant, hoc est, ni fallor, qui *eo anno* Heliastae sortiti erant. Numerus millenorum vel potius millenorum unius fuisse dicitur[20]); quamquam veri simillimum est, pro legum abrogandarum numero causarumque diversitate plures paucioresve creatos esse. Nam quod Epicratis Psephismate apud Demosthenem[21]) unus et mille rogantur; hoc ipsum demonstrare videtur, non certum ac solennem istum numerum fuisse; quid enim tunc rogari opus erat? et Pollucis[22]) testimonium: *νομοθέται ἦσαν χίλιοι*, non aliunde, quam ex eodem isto Psephismate repetitum esse videtur. Neque temporis certum ac legitimum spatium eorum negotio statutum fuit; jubetur enim populus in legibus illis, quae modo a nobis adscriptae sunt, pro numero legum propositarum, tempus Nomothetis praefinire. Mercedem quoque quantam acceperint, ignoramus; sed admo-

---

19) Suspicor tamen, sortiendi munus ad Prytanes pertinuisse; in Epicratis enim Psephismate, ap. Demosth. adv. Timocr. p. 708, hi jubentur: *καθίσαι Νομοθέτας*.

20) Vid. Petit. p. 177.

21) Or. adv. Timocrat. p. 708.

22) VIII. 101. — Ceterum de incerto Nomothetarum numero cf. Wolf. l. l. p. CXXXV. not. 157.

dum probabilis est Boeckhii conjectura, triobolum fuisse diurnum[23]).

Apud hos igitur Nomothetas de legibus veteribus ac novis certabatur ab illarum Syndicis publice constitutis, aliisque, si qui sponte veterum legum patrocinium susceperant, et a novarum rogatoribus, qui et ipsi suos subscriptores adducere poterant. Ubi satis ab utrisque disputatum erat, Nomothetae, sententias rogati, porrectis manubus suffragium inibant[24]); leges, ab ipsis probatae, sive veteres erant, antiquatis novis, sive novae, sublatis veteribus, quibus obrogatae erant, ab eo tempore valebant universamque civitatem tenebant. Ceterum Nomothetarum consilio, velut ecclesiae, praesidebant Proedri, a quorum principe in suffragium mittebantur[25]); assidebant, si non semper, at nonnunquam certe, Senatores[26]). Decreta eorum ad eandem formulam consignabantur, quae in Psephismatis populi solennis erat; cujus generis exemplum habemus apud Demosthenem in oratione in Timocratem:

---

23) Staatshaushalt. d. Athen. I. 257.

24) Demosth. adv. Timocrat. p. 710. ex lege: *διαχειροτονίαν δὲ ποιεῖν τοὺς Προέδρους περὶ τούτων τῶν νόμων, πρῶτον μὲν περὶ τοῦ κειμένου, εἰ δοκεῖ ἐπιτήδειος εἶναι τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων, ἢ οὔ. ἔπειτα περὶ τοῦ τιθεμένου. ὁπότερον δ' ἂν χειροτονήσωσιν οἱ Νομοθέται, τοῦτον κύριον εἶναι.*

25) Demosth. l. l. p. 723. ex praescriptione legis in Nomothetarum consilio latae: *Τῶν Προέδρων ἐπεψήφισεν Ἀριστοκλῆς Μυῤῥινούσιος.* Myrrhinusii sunt tribus Pandionidis, cujus eo tempore Prytania erat. — Non absurde Nomothetarum consilium *ἐκκλησία τις* vocatur in Lex. Rhet. Bekk. p. 282.

26) Demosth. l. l. p. 708. ex Epicratis Psephismate: *Τοὺς δὲ Νομοθέτας εἶναι ἕνα καὶ χιλίους, ἐκ τῶν ὀμωμοκότων· συννομοθετεῖν δὲ καὶ τὴν βουλήν.*

Ἐπὶ τῆς Πανδιονίδος πρώτης, τῆς Πρυτανείας δωδεκάτῃ[27]*), τῶν Προέδρων ἐπεψήφισεν Ἀριστοκλῆς Μυῤῥινούσιος, Τιμοκράτης εἶπε. κ. τ. λ.*

Sed praeter hanc legum censuram, quae anni initio peragebatur, alia etiam fieri solebat, annua et ipsa, quam Aeschines commemorat in oratione contra Ctesiphontem. Constitutum enim fuisse dicit, ut Thesmothetae quotannis in ecclesia leges recognoscerent et corrigerent, accurata inquisitione facta, essetne lex aliqua alteri legi contraria, aut abrogata et irrita inter approbatas ac ratas, aut plures quam una singulis de rebus perscriptae. Quodsi quid ejusmodi reperissent, oportuisse eas leges in tabulis descriptas pro Eponymorum statuis proponi, populumque a Prytanibus convocari ad Nomothetas creandos, et in suffragium mitti a Proedrorum Epistata; leges autem alias tolli atque abrogari, alias relinqui, ut una esset lex de unaquaque re, non plures[28]). — Ita res ab Aeschine breviter indicatur,

---

27) Quod h. l. Nomothetarum consilium duodecimo Prytaniae die habitum dicitur, cum leges, quas supra adscripsimus, eos non ante tertiam primae Prytaniae ecclesiam creari jubeant, quae sub trigesimum diem incidebat; tenendum est, hoc extra ordinem Timocratis artibus factum esse, legem suam, nisi tumultuarie, perferri posse desperantis. vid. Demosth. p. 708.

28) Aesch. adv. Ctesiphont. p. 430. sq. ex Lambini versione, passim mutata et correcta. Verba Aeschinis: *ἐν τῷ δημοσίῳ*, vertuntur ab illo: in publico. Sed vera sine dubio lectio est *ἐν τῷ δήμῳ*, quam expressi. Verba: *ἐπιγράψαντας Νομοθέτας*, vertuntur: nominibus eorum adscriptis, qui eas leges tulerint, quod falsum esse, F. A. Wolfius, Proleg. ad Lept. not. 154. demonstravit. *Ἐπιγράφειν* vero idem vir clarissimus esse ait, ut *ἀποδιδόναι*, *attribuere*, *designare*, *constituere*, quod populi fuit proprie, non Prytanum. Sed neque istam verbi significationem agnoscere possum, neque, si vera

non exponitur; ipsas autem leges de hoc Thesmothetarum officio a scriba quidem recitari judicibus jubet, sed adscribere supersedit. Quas si haberemus, tolleretur certe ista dubitatio, quae nunc nobis injicitur, fueritne haec legum censura cum illa altera, de qua modo locuti sumus, conjuncta, eodemque tempore peragi solita, an diversa, alioque tempore habenda. Illa sententia F. A. Wolfio [29]), haec Petito placuit [30]), et mihi quoque probabilior videtur. Nam cum ista prior recensio Hecatombaeone mense fieret, cujus die primo Thesmothetae munus suum auspicabantur, persuadere mihi non possum, tam breve temporis spatium tanto tamque operoso negotio datum esse. Qui enim fieri potuit, ut omne legum corpus intra tam paucos dies accurate pervestigarent, et si quid inesset, quod tollendum videretur, invenirent? cum praesertim non huic uni negotio vacarent, sed alia quoque plurima et difficillima sustinerent. Multo igitur magis consentaneum erat, sub finem anni, cum vel ipso judiciorum usu accuratiorem legum cognitionem sibi comparassent, censuram earum et emendationem ab iis expectari. Sed, utracunque senten-

---

esset, aoristum tempus locum habere puto, sed futurum. Potius in hanc sententiam inclino, ἐπιγράφειν h. l. dictum esse pro eo, quod alias solenne est: προγράφειν (vid. Dem. de fals. leg. 399.) et νομοθέτας ἐπιγράφειν breviter dictum, pro: ecclesiam de Nomothetis habendam esse, in Programmate scribere. — Quae sequuntur apud Aeschinem: καὶ τοὺς μὲν ἀναιρεῖν τῶν νόμων, τοὺς δὲ καταλείπειν, a praecedentibus sejungenda sunt: neque enim ad ecclesiam neque ad Epistatam pertinent, sed ad Nomothetas, populi jussu, post illam ecclesiam, constituendos. Itaque non ὑποστιγμῇ sed μέσῃ στιγμῇ interpungendum est.

29) L. l. p. CL.

30) Legg. Attic. p. 187.

tia verior sit, illa certe huic recensioni cum ista altera fuerunt communia, propositio pro statuis Eponymorum, ecclesia, in qua de legibus illis populus consultaret, Nomothetarum creatio, qui de tollendis relinquendisve legibus statuerent. Thesmothetarum autem etiam hoc fortassis officium fuit, ut rationem quandam legum emendandarum populo proponerent, et utrae utris praeferendae essent, eum docerent: ait enim Aeschines, eos juberi *καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν διορθοῦν ἐν τῷ δήμῳ τοὺς νόμους*. Haud dubie tamen etiam aliis civibus idem licuit, ut de his rebus consilia populo darent. Atque de his Thesmothetarum aliorumque consiliis, simul etiam de Nomothetarum officio, numero, tempore atque mercede populus in ecclesia suffragium tulit, creavitque, ex iis maxime, qui verba fecerant, oratores, qui alii aliarum legum quasi causam agerent apud Nomothetas.

Lex autem nulla vetus tolli aut nova in illius locum subrogari potuit, nisi apud Nomothetas; id quod ipsius legis verba demonstrant[31]):

Τῶν δὲ νόμων τῶν κειμένων μὴ ἐξεῖναι λῦσαι μηδένα, ἐὰν μὴ ἐν Νομοθέταις. τότε δ' ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ τῶν Ἀθηναίων λύειν, ἕτερον ἀντιτιθέντι[32]) *ἀνθ' ὅτου ἂν λύῃ.*

Sed an aliis quoque temporibus, praeter haec, de quibus modo locuti sumus, Nomothetae constitui consueverint, neque affirmari satis certo neque negari posse videtur. Tamen in eam pronior sum

---

31) Demosth. adv. Timocrat. p. 710.

32) Ita pro vulgata veterum editt. lectione *ἑτερόν τι τιθέντι*, aut Taylori conject. *ἕτερον τιθέντι*, quam Reiskius recepit, legendum est, cum Wolfio Prolegg. ad Leptin. p. CXXX.

sententiam, ut legitima ac solennia Nomothetarum tempora haec duo sola fuisse putem. Ex his alterum recensendis legibus veteribus (*τοῖς κειμένοις*), iisque, quae aut pugnarent cum reliquis, aut jam obsoletae (*ἄκυροι*) aut superfluae essent (*πλείους ἑνὸς περὶ ἑκάστης πράξεως*) tollendis; alterum novis veterum in locum condendis datum erat. Novas igitur leges haud aliter ferri licuisse arbitror, quam sub anni cujusque initium, per comitia ista, in quibus solennis *νόμων ἐπιχειροτονία* peragebatur, atque a populo leges novae aut statim repudiabantur aut ad Nomothetarum judicium rejiciebantur. Possit aliquis hanc sententiam loco quodam Demosthenicae orationis in Timocratem confirmari putare, ubi ait orator, definitum fuisse ac certum tempus *τοῦ νομοθετεῖν*: sed accuratius omnem illius loci tenorem perpendenti apparebit, nil aliud oratorem designare, quam, non licuisse, statim post illam *ἐπιχειροτονίαν*, XI Hecatombaeonis die peractam, Nomothetas constitui legemque iis tradi, id quod a Timocrate factum erat, cum expectandum fuisset, donec, post tertiam demum ecclesiam, propositis per omne illud tempus legibus ante statuas Eponymorum, creatisque a populo Syndicis, res in Nomothetarum consilio rite atque ordine pertractari posset[33]). — Sed magis ad rem

---

33) Locus Demosthenis hic est, adv. Timocrat. p. 705. *Ἔστιν, ὦ ἄνδρ. Ἀθ., ἐν τοῖς οὖσι νόμοις ὑμῖν κυρίοις διωρισμένα ἀκριβῶς καὶ σαφῶς πάνθ', ὅσα δεῖ ποιεῖν περὶ τῶν μελλόντων τεθήσεσθαι νόμων· καὶ πρῶτον μὲν ἁπάντων, χρόνος ἐστὶ γεγραμμένος, ἐν ᾧ προσήκει νομοθετεῖν· εἶτ' οὐδὲ τόθ', ὡς ἂν ἑκάστῳ δοκῇ, δέδωκε τοῦτο πράττειν, ἀλλὰ προστάττει πρῶτον μὲν ἐκθεῖναι πρόσθεν τῶν Ἐπωνύμων γράψαντα, σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ κ. τ. λ.* (Id est: non solum tempus illud legitimum, post tertiam ecclesiam, expectari, sed etiam pu-

nostram facit alius locus ex oratione adversus Leptinem[34]), ubi pollicetur orator, legem a se latum iri, ubi primum creati fuerint Nomothetae; qui locus illud certe demonstrat, non licuisse, quo quisque tempore vellet, novam legem ferre, sed certum et definitum tempus expectandum fuisse, cum Nomothetae creati essent. Quid igitur veri similius, quam solennem istam sub anni cujusque initia Nomothetarum creationem designari? quae Ulpiani quoque est sententia[35]). Atque huc pertinet etiam

---

blice tantisper proponi leges oportuit.) cum hoc loco conjungendus est alter, p. 707. *πρῶτον ἐφ' ὑμῖν ἐποίησαν (οἱ νόμοι) διαχειροτονίαν, πότερον εἰσοιστέος ἐστι νόμος καινὸς, ἢ δοκοῦσιν ἀρκεῖν οἱ κείμενοι. μετὰ ταῦτα δ', ἂν χειροτονήσητε εἰσφέρειν, οὐκ εὐθὺς τιθέναι προσέταξεν, ἀλλὰ τὴν τρίτην ἀπέδειξεν ἐκκλησίαν. καὶ οὐδ' ἐν ταύτῃ τιθέναι δεδώκασιν, ἀλλὰ σκέψασθαι, καθ' ὅ, τι τοὺς Νομοθέτας καθεδεῖτε.* et paullo post p. 708. de Timocrate dicit: *οὔτ' ἀνέμεινεν οὐδένα τῶν τεταγμένων χρόνων ἐν τοῖς νόμοις κ. τ. λ.*

34) Pag. 498. R. §. 115. Wolf.

35) Pag. 307. 226. Ben. *λέγει δὲ, ἐπειδὰν πρῶτον ἡ πόλις Νομοθέτας καθίσῃ, τότε πρῶτον εἰσαχθήτω ὁ νόμος. (ἔθος γὰρ ἦν τῇ πόλει, εἰ γένοιτο χρεία νομοθετεῖν ἒξ,* (haec corrupta esse patet) *ὡς ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους φησίν.) ἀξιῶν εὐθὺς καὶ παραχρῆμα εἰ κατ' ἀρχὰς τοῦ ἔτους γένοιντο Νομοθέται, τοῦτον εἰσάγεσθαι πρῶτον τὸν νόμον ἐν τοῖς πρώτοις Νομοθέταις.* Apparet tamen, eum in hac fuisse sententia, ut etiam alio tempore, si opus esset, Nomothetas constitutos putaret; quod nec ego negarim, dum hoc extra ordinem factum credamus. Ceterum Wolfius quoque, Prolegg. p. CXXXXII. not. 145. de loco Demosthenis idem sentit. Sed praeterea aliam de legum ferendarum modo conjecturam proponit, quae mihi quidem non probatur. Ait enim: „etsi haud dubium est, quin, quo quisque tempore vellet, novam legem posset proponere: tamen plura in eam me sententiam trahunt, ut putem, omnes leges, quotquot per annum propositae essent, tandem in prima Prytanea novi anni ad legitimum judicium Nomothetarum vocari debuisse, eoque demum secundum latorem facto,

alius ejusdem orationis locus, ubi legitimum ordinem legum ferendarum ab istius temporis Demagogis saepius negligi queritur: *τῶν πολιτευομένων τινὲς δυνηθέντες, ὥς ἐγὼ πυνθάνομαι, κατεσκεύασαν αὑτοῖς ἐξεῖναι νομοθετεῖν, ὅταν τις βούληται, καὶ ὃν ἂν τύχῃ τρόπον.* Hic locus apertissime demonstrat, per leges non licuisse, quo quisque tempore vellet, *ὅταν τις βούληται, νομοθετεῖν*, sed certum quoddam tempus illi rei datum esse. Atque ejusdem generis alia est querela, in oratione in Timocratem: *οἱ παρ' ὑμῖν ῥήτορες ὅσοι μῆνες μικροῦ δέουσι νομοθετεῖν τὰ ἑαυτοῖς συμφέροντα.* Quid autem? cum tam saepe ista aetate novae leges ferrentur, putabimusne, quotiescunque id fieret, Nomothetas constitutos esse? Id quidem non est veri simile. An, quod Wolfio in mentem venit, omnes istas leges, quocunque demum tempore propositae essent, tandem sub proximi anni initium solenni illi Nomothetarum judicio tradi consuevisse, et, si ab his probatae essent, tum demum ratas fuisse? Tantisper igitur quid fiebat de istis legibus? Proponebantur. At quo consilio? Ut multo ante, quam perferri poterant, cognoscerentur ab omnibus; quo facilius, si quid fraudis subesset, apertum fieret, possentque, qui vellent, ad eas impugnandas bene praeparati accedere. Id parum convenire videtur Demagogorum rationi. Fallere isti conantur, et tumultuarie omnia agentes, multitudinem in fraudem inducere, bonis et prudentibus resistendi tempus et facultatem praeripere. Non igitur credibile est, eos unquam leges suas

---

νόμον fuisse *κύριον*.“ Sed locis, qui ab eo afferuntur, Demosth. in Timocrat. p. 744. adv. Leptin. p. 484. sq. §. 74. ut probet, novam legem quovis tempore proponi potuisse, equidem mihi videor ad contrarium probandum uti posse. Rectius an secius, alii judicent.

praeter legitimum tempus propositurοs fuisse, siquidem ex ea re plus damni quam commodi in eos redundasset. Neque erat tum, quod Demosthenes jure reprehenderet, tanquam pessimo publico institutum. Itaque illud mihi verius videtur, effectum esse paullatim Demagogorum artibus, ut, neglecto vetere Solonis instituto, novae saepe leges non a Nomothetis sed in comitiis ab universo populo juberentur. Ita et si opus erat, subito aliquid perferre poterant, et augenda populi potestate suam ipsorum potentiam augebant; atque hoc est, quod Aristoteles dicit[36]): *Αἴτιοι δέ εἰσι τοῦ εἶναι τὰ ψηφίσματα κύρια, ἀλλὰ μὴ τοὺς νόμους οὗτοι, (οἱ δημαγωγοὶ) πάντα ἀνάγοντες εἰς τὸν δῆμον. συμβαίνει γὰρ αὐτοῖς γίνεσθαι μεγάλοις, διὰ τὸ, τὸν μὲν δῆμον εἶναι κύριον, τῆς δὲ τοῦ δήμου δόξης, τούτους· πείθεται γὰρ τὸ πλῆθος τούτοις.* Psephismata autem h. l. Aristoteli sunt quaecunque populi decreta, non singularia solum, sed etiam generalia, quae legum proprie dictarum vim habent[37]): *νόμοι* autem vetera legislatorum instituta.

Auctorem autem hujus Nomothetarum instituti Solonem fuisse, dubitare nos non sinit Demosthenis atque Aeschinis auctoritas, qui, his de rebus loquentes, aut diserte nominant illum, aut satis aperte indicant. Ita v. c. in oratione adversus Leptinem[38]) Demosthenes, recitata lege, secundum quam *ἐνομοθέτησαν οἱ πρότερον Νομοθέται*[39]), ita ju-

36) Politic. Lib. IV. cap. 4. ad fin.

37) Cf. supra not. 1. ad hujus capitis principium.

38) Pag. 485. R. §. 75. Wolf. Conferri potest locus proxime praecedens, p. 484. §. 73.

39) Monendi sunt lectores, harum rerum minus periti, quemadmodum verbi *νομοθετεῖν* varia fuit vis, ut diceretur de civibus, novarum legum latoribus, sive illi privati sint,

dices Heliastas, apud hos enim habita est oratio, alloquitur: *Συνίετε, καθ' ὃν τρόπον, ὦ ἄνδρ. Ἀθ., ὁ Σόλων τοὺς νόμους ὡς καλῶς κελεύει τιθέναι; πρῶτον μὲν παρ' ὑμῖν, ἐν τοῖς ὀμωμοκόσι, παρ' οἷσπερ καὶ τἄλλα κυροῦται.* Etiamsi non sunt ipsi Nomothetae, quos alloquitur, patet tamen, eos designari, qui et ipsi erant Heliastae, *ὀμωμοκότες*, qui Heliasticum jusjurandum dederant[40]. Aeschines autem[41]), ubi de annua ista legum recensione et emendatione loquitur, quae Thesmothetis mandata erat, quam et ipsam non sine Nomothetis peractam esse, supra vidimus, instituti illius originem refert ad illum legislatorem, qui popularem statum Atheniensibus descripserit: *οὐκ ἠμέληται*, inquit, *περὶ τῶν τοιούτων τῷ Νομοθέτῃ τῷ τὴν δημοκρατίαν καταστήσαντι*: quibus verbis quis alius quam Solon designari possit? — Ceterum an omnis legum apud Nomothetas ferendarum abrogandarumque ratio prorsus ad eundem modum a Solone descripta sit, quem ex Demosthene cognovimus, equidem affirmare non ausim. Illorum quidem fragmentorum, quae in Timocratea exstant, recentiorem Solonis aetate formam atque orationem esse apertum est. Idemque de ceteris

---

sive a populo mandatam habeant legum conscribendarum potestatem, velut Solon, dein de selectis illis Heliastis, qui populi mandato et nomine de rogatione judicabant, denique de ipso populo (vid. Wolf. Prolegg. ad Leptin. p. CXXVI. not. 123.) ita *Νομοθέτας* quoque non minus privatos dici legum latores, quam Heliastas, qui de his legibus judices sedebant. Ita in Timocratea non semel Timocrates eo nomine appellatur, (vid. e. g. p. 753.) et nostro etiam loco privatos legum latores, non Nomothetarum consilium intelligi debere, quivis facile videbit.

40) Cf. Wolf. Prolegg. ad Lept. not. 144.

41) Adv. Ctesiphont. p. 429. extr.

legibus omnibus, quotquot apud oratores insertae sunt, dici potest, quarum nulla fere prisci sermonis, qualis ista aetate erat, vestigium retinuit[42]), quamquam pleraeque haud dubie Solonis sunt. Credamusne igitur, vestigia ista ab oratoribus deleta esse, qui, ne orationis inaequalitas quemquam offenderet, quoque facilius ab auditoribus lectoribusve intelligerentur, legum, quas insererent, sermonem sui temporis captui et consuetudini accommodandum putarent? an, cum sub finem belli Peloponnesiaci, Solonis leges denuo describerentur et digererentur[43]), eo tempore etiam obsoletam earum orationem passim immutatam esse arbitremur? Utrumque verum esse potest; illud autem veri simillimum, eodem tempore, ac maxime post ejectos triginta tyrannos, cum novae leges plurimae conderentur, in illis quoque Solonis institutis, quae servanda ac retinenda viderentur, nonnulla novata esse atque ex pristino tenore mutata, ut difficillimum saepe sit, quid a Solonis, quid ab Euclidis Archontis tempore repeti debeat, definire. Sed hoc non multum facit ad nostram rem; illud enim certum est, istas quoque

---

42) Maxime memorabilis est Lysiae or. adv. Theomnestum, p. 359. sq. quae continet specimina quaedam prisci istius sermonis, quo Solonis leges scriptae erant: *Ἐπεγγυᾶν δ' ἐπιορκήσαντα τὸν Ἀπόλλω. δεδιότα δὲ δίκης ἕνεκα δρασκάζειν. — Ὅστις δὲ ἀπείλλῃ τῇ θύρᾳ, ἔνδον τοῦ κλέπτου ὄντος. — Τὸ ἀργύριον στάσιμον εἶναι, ἐφ' ὁπόσῳ ἂν βούληται ὁ δανείζων. — Ὅσαι δὲ πεφασμένως πωλοῦνται, καὶ οἰκῆος καὶ βλάβης τὴν δούλην εἶναι ὀφείλειν.* (Haec postrema corrupta). Explicatio vocabulorum obsoletorum, quam Lysias addidit, satis demonstrat, ne ista quidem aetate haec ab omnibus promiscue intellecta esse.

43) Huc pertinet imprimis Lysiae oratio in Nicomachum, p. 835. sq. R.

in Timocratea leges, de quibus dicere coeperam, vetustas esse, idque Demosthenes ipse testatur. Ait enim: οὗτοι πάντες οἱ νόμοι κεῖνται πολὺν ἤδη χρόνον, καὶ πεῖραν αὐτῶν πολλάκις δεδώκασιν, ὅτι συμφέροντες ὑμῖν εἰσίν[44]). Sed paullatim, ut supra jam dixi, illa quoque legum ferendarum ratio invaluisse videtur, ut, quemadmodum Psephismata, ita leges quoque in comitiis et quo quisque vellet tempore ab universo populo juberentur; et Solonis ista de Nomothetis praecepta, quamquam non rescissa et revocata, saepissime tamen neglecta et migrata sunt[45]). Quod malum, ut semel in rempublicam irrepserat, exterminari non facile potuit. Est enim in democraticis rebuspublicis, qualem post bellum Peloponnesiacum Athenienses habuerunt, quae non aequabili et temperato inter ordines jure, sed plebis dominatione constant, illa quasi naturalis et insita pestis, ut mores quamvis pravos, sed qui plebi, cui omnes servire coguntur, accepti sint ejusque jura augeant, haud fere quisquam libere impugnare audeat, ne videlicet plebis potestati invidere et de-

44) Demosth. adv. Timocrat. p. 707.

45) Huic sententiae, quam proposui, legum in comitiis a populo jubendarum morem recentiorem esse, Nomothetarum autem officium jam antiquitus a Solone institutum, prorsus contraria sunt ea, quae Wolfius, Prolegg. ad Lept. p. CXXXIII. sqq. docuit. Tanta fuit apud me istius viri auctoritas, quanta apud omnes esse debet. Dubitare de inventorum meorum veritate coepi, remque haud semel ad examen revocavi. Sed quo diligentius et ipsam rationem et oratorum testimonia perpendi, eo magis persuasus sum, rem ita esse, ut initio mihi esse visa erat. Itaque sententiam meam, quam potui accuratissime expositam et argumentis probatam, eruditorum judicio tradere non veritus sum. Wolfio quidem injuriam facerem, si eum putarem dissensionem meam aegre laturum esse.

trahere videatur, odiumque pro gratia inveniat. Ita factum est, ut Athenis nemo istius in legibus ferendis licentiae vindex existeret; neque inanes erant Demosthenis querelae[46]): *ψηφισμάτων οὐδοτιοῦν διαφέρουσιν οἱ νόμοι· ἀλλὰ νεώτεροι οἱ νόμοι, καθ' οὓς τὰ ψηφίσματα δεῖ γράφεσθαι, τῶν ψηφισμάτων αὐτῶν ὑμῖν εἰσίν.*

Non igitur mirum est, tantam paullatim effectam esse legum multitudinem, quae tota pernosci a nemine facile posset, ideoque multas subinde irrepsisse contrarias inter se et repugnantes; unde, jure saepissime incerto, perniciosissimos errores aliaque incommoda plurima in civitatem redundare necesse erat. Hanc ab causam, cum Thesmothetae isti negotio jam non amplius pares essent, Demosthenis aetate creari solebant extra ordinem, qui omnes ejusmodi leges seligerent, nimirum ut populo proponerentur, deque tollendis aliis, aliis retinendis statueretur[47]).

---

46) Adv. Leptin. p. 485. de loci explicatione vid. Wolf. p. 310.

47) Unus hujus rei testis est Demosthenes adv. Leptin. l. l. *Καὶ γάρ τοι τότε μὲν* (i. e. dum Solonis instituta valebant) *τέως* (scrib. *ἕως*. hae voculae etiam alibi a scribis permutantur, ut Olynth. 2. p. 16. 29. Ben. 24. R. ubi Reiskius habet *τέως*, alii rectius *ἕως*) *τὸν τρόπον τοῦτον ἐνομοθέτουν,* (his verbis *ἕως - ἐνομοθ.* explicatur illud *τότε*) *τοῖς μὲν ὑπάρχουσι νόμοις ἐχρῶντο, καινοὺς δ' οὐκ ἐτίθεσαν. Ἐπειδὴ δὲ τῶν πολιτευομένων τινὲς δυνηθέντες, ὡς ἐγὼ πυνθάνομαι, κατεσκεύασαν αὐτοῖς ἐξεῖναι νομοθετεῖν, ὅταν τις βούληται, καὶ ὃν ἂν τύχῃ τρόπον· τοσοῦτοι μὲν οἱ ἐναντίοι σφίσιν αὐτοῖς εἰσὶ νόμοι, ὥστε χειροτονεῖτε ὑμεῖς τοὺς διαλέξοντας τοὺς ἐναντίους ἐπὶ πάμπολυν ἤδη χρόνον, καὶ τὸ πρᾶγμα οὐδὲν μᾶλλον δύναται πέρας σχεῖν, κ. τ. λ.* Nolim cum Wolfio, p. 310. pro *χειροτονεῖτε* rescribere *ἐχειροτονεῖτε*. Praesens tempus hoc designare videtur, receptum fuisse illa aetate eum morem, ut

Sed Nomothetae quoque aliquando extraordinarii creati sunt, i. e. praeter istum ordinem ac modum, quem supra, legum ipsarum vestigia secuti, describere conati sumus. Factum id est post exactos triginta Tyrannos, cum Solonis leges, ab istis magnam partem rescissas aut interpolatas, in integrum restituere, novisque, ad novum rerum statum aptis augere placuisset. Itaque creati sunt a Senatu viri aliquot, (ignotus enim est numerus[48]) legibus novis, quibus opus esset, conscribendis. Hi Nomothetae dicti sunt. Conceptas a se leges, tabulis inscriptas, apud Eponymorum statuas jussi sunt proponere, ut a quovis cognosci possent, atque intra ejusdem mensis spatium, quo mandatum iis erat illud officium, magistratibus, qui eo tempore extra ordinem rempublicam administrabant, eas tradere. Ab his deinde examinandae ac comprobandae Senatui aliisque Nomothetis, quingentis numero, traditae sunt, a singulis curiis s. Demis creatis, atque juratis. Licuit autem etiam privatis quibus-

---

crearentur subinde, (non semel, sed saepius,) qui legum recognitionem agerent. *Jam diu est*, inquit, *ex quo istos creare soletis.* Ceterum extraordinariam fuisse illam curationem, et ad tempus mandatam, per se satis patet.

48) Morus quidem, ad Xenoph. Hellen. II. 4. extr., viginti fuisse docet. „Electi sunt," inquit, „viginti viri, qui restituta auctoritate legum Solonis et Draconis, addiderunt, si quas tempora illa necessarias fecissent." Sed perperam intellexit Andocidem, quem auctorem citat, p. 39. R. 11. 16. Steph. *εἵλεσθε ἄνδρας εἴκοσι· τούτους δὲ ἐπιμελεῖσθαι τῆς πόλεως, ἕως ἂν οἱ νόμοι τεθεῖεν. — ἐπειδὴ δὲ βουλήν τε ἀπεκληρώσατε, νομοθέτας τε εἵλεσθε κ. τ. λ.* Patet, illos viginti viros a Nomothetis distingui. Iis reipublicae administratio mandata erat, tantisper, donec, constitutis denuo legibus, ordinarii magistratus crearentur; iidemque sunt, qui in Tisameni Psephismate, ap. Andoc. l. l. vocantur *αἱ ἀρχαί*

vis, adire Senatum, et quod sibi bonum videretur de legibus consulere[49]). — Duplex igitur eo tempore genus Nomothetarum fuisse videmus; alterum, legibus conscribendis a Senatu creatum, cujus generis nullum aliud in Attica republica exemplum memoriae traditum est; alterum, officio quidem plané eodem, atque illi fuerunt, qui quotannis constitui solebant; ceterum alio modo creatum. Atque hujus quoque generis hoc unum est exemplum. Sed illud concedi posse puto, quamvis rarum, non tamen prorsus inauditum atque inusitatum fuisse, ut tempore extraordinario Nomothetae crearentur

---

49) Ita hujus rei ordo describitur in Tisameni cujusdam Psephismate, apud Andocid. de Myst. l. l. *Ἔδοξε τῷ δήμῳ· Τισαμενὸς εἶπε· πολιτεύεσθαι Ἀθηναίους κατὰ τὰ πάτρια, νόμοις δὲ χρῆσθαι τοῖς Σόλωνος καὶ μέτροις καὶ σταθμοῖς· χρῆσθαι δὲ καὶ τοῖς Δράκοντος θεσμοῖς, οἷσπερ ἐχρώμεθα ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ. ὁπόσων δ᾽ ἂν προςδέοι, οἱ ᾑρημένοι Νομοθέται ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀναγραφόντων ἐν σανίσι καὶ ἐκτιθέντων πρὸς τοὺς Ἐπωνύμους, σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ, καὶ παραδιδόντων ταῖς ἀρχαῖς ἐν τῷδε τῷ μηνί. Τοὺς δὲ παραδιδομένους νόμους δοκιμασάτω πρότερον ἡ βουλὴ καὶ οἱ Νομοθέται οἱ πεντακόσιοι, οὓς οἱ δημόται εἵλοντο, ἐπειδὴ ὀμωμόκασιν· ἐξεῖναι δὲ καὶ ἰδιώτῃ τῷ βουλομένῳ, εἰσιόντι εἰς τὴν βουλήν, βουλεύειν ὅ, τι ἂν ἀγαθὸν ἔχῃ περὶ τῶν νόμων· ἐπειδὰν δὲ τεθῶσιν οἱ νόμοι, ἐπιμελείσθω ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου τῶν νόμων, ὅπως ἂν αἱ ἀρχαὶ τοῖς κειμένοις νόμοις χρῶνται. κ. τ. λ.* Legitur in Stephani editione, (Reiskianam enim nunc ad manus non habeo): *οἱ δὲ ᾑρημένοι Νομ.* Illud *δέ* quorsum pertineat, haud facile quisquam divinarit. Equidem siglum numerale subesse crediderim, forsitan *Δ* aut *ΔΕ*; quamquam istiusmodi conjecturas paene infamavit Petiti temeritas, tam saepe iis abusi. — In sequentt. illud *οἱ Νομοθ. οἱ πεντακόσιοι* sanum esse puto, cum Wolfio, Prolegg. ad Leptin. p. CXXIX. not. 124. Mirum dicerem Petiti errorem, hanc legum lationem cum illa annua atque ordinaria permiscentis, nisi assidua Petiti tractatione talia in eo mirari desuetus essem.

populi jussu, sed modo eodem, quo ad ordinarias istas annuasque legum recensiones creari solebant. Poterant enim ejusmodi casus incidere, qui legitimum tollendarum ferendarumque legum tempus expectari non paterentur. Itaque, si quis Solonis instituta migrare populumque ejus rei arbitrum facere nollet, huic nil aliud reliquum erat, quam Nomothetas extraordinario tempore creandos rogare; factumque id aliquando esse, etiamsi exempla nulla afferri possunt, quis est, qui negare audeat[50])?

Restat, ut de *γραφῇ παρανόμων*, quae non in Psephismatis tantum, sed etiam in legibus male rogatis locum habuit, quaedam dicantur. Erant autem hic quoque duo *παρανόμων* genera, alterum in rogandi et ferendi modo, alterum in ipso legis argumento positum. Illuc pertinebant haec maxime: si quis non suo tempore legem tulisset, non proposuisset ante Eponymorum statuas, non expectasset tertiam Hecatombaeonis mensis ecclesiam, ante quam Nomothetas constitui non licuit, in comitiis, non apud Nomothetas legem pertulisset, denique ullam ex iis, quae supra expositae sunt, sanctionibus neglexisset[51]). Sed erant praeterea de

50) Huc pertinere videtur Demosthenis non quidem justa rogatio, sed consilium tamen populo datum, or. Olynth. III. p. 31. *Νομοθέτας καθίστατε. ἐν δὲ τούτοις τοῖς Νομοθέταις μὴ θῆσθε νόμον μηδένα· εἰσὶ γὰρ ὑμῖν ἱκανοί· ἀλλὰ τοὺς εἰς τὸ παρὸν βλάπτοντας ὑμᾶς λύσατε· λέγω δὲ τοὺς περὶ τῶν θεωρικῶν, σαφῶς οὑτωσὶ, καὶ τοὺς περὶ τῶν στρατευομένων ἐνίους.* Si legitimam atque ordinariam Nomothetarum creationem sub anni initium designare voluisset, aliter, puto, locutus esset.

51) Vid. Demosth. in Timocrat. p. 705. 707. 708. et alibi passim. Haec enim oratio praecipuus est hujus totius rei cognoscendae fons. Etiam Leptinea huc pertinet, p. 485., ex quo loco patet, Leptinem ipsum, contra Solonis institu-

certis quibusdam legum generibus praescripta singularia, quae qui non servasset, illi accusationi erat obnoxius. Hujusmodi illud est, quod Demosthenes docet, de privilegiis, seu talibus legibus, quae non universae civitatis, sed unius aut paucorum hominum causa ferrentur. Cautum enim erat, ne liceret, in privatorum gratiam aut damnum ullam legem ferri, quae non ad omnes aeque cives pertineret, nisi ita, si re in comitiis populo proposita, minimum sex millia civium, occultis suffragiis latis, eam legem ferri concessissent[52]). Neque

---

tum, legem suam non apud Nomothetas, sed in comitiis pertulisse. Sed breviter tantum et cum quadam cautione ac timiditate hunc locum attingit Demosthenes, quod non mirum videbitur ei, qui, quae paullo ante hac de re a nobis dicta sunt, probaverit. Ad hoc meminisse oportet, *ταυτολογίαν* esse hanc orationem, ideoque fortassis breviorem fuisse oratorem in iis, quae jam ante ab Aphepsione aut Phormione satis pertractata essent. vid. Argum. huj. or. p. 454. et Wolf. Prolegg. not. 24.

52) Demosth. adv. Timocrat. p. 719. *Μηδὲ νόμον ἐξεῖναι ἐπ' ἀνδρὶ θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις τιθῇ, ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις.* Dubium non est, quin rescribendum sit cum Petito, Legg. Att. II. 1. 8. p. 188. *ἐὰν μὴ ψηφισαμένων ἑξακισχιλίων*: cui emendationi frustra obloquuntur Wesselingius ad Petit. et Taylorus ad Demosth. l. l. Vulgatae sensus hic est: *non licere, in privati hominis gratiam legem ferre, quae non eadem in universae civitatis gratiam feratur, et quidem, postquam suffragium tulerint sex millia civium, qui comprobarint legem suffragio occulto.* Sane, quod Wesselingius dicit, constat etiam sine additis vocabulis oratio, lenique tenore decurrit. — At quae lex in universorum gratiam fertur, dici non jam potest in unius gratiam ferri: neque igitur privilegium amplius est, sed generale praescriptum: neque igitur opus erat, de istis legibus singulare aliquid praeter vulgarem ordinem constitui. Dein, si vulgatam loci lectionem sequimur, nullus relinquitur privilegiis locus. Ta-

ideo statim perlata erat. Nam cum illud populi suffragium non alio pertineret, quam ut latori copia fieret legis suae apud Nomothetas ferendae, horum jam erat aut jubendae ejus aut antiquandae arbitrium[53]); et credibile est, multo saepius ejusmodi rogationes, juris aequabilitatem turbantes, ab iis repudiatas esse, neque unquam sine gravissimis ac justissimis causis acceptas. Quid? quod totum illud praescriptum ita comparatum est, ut ne ad Nomothetas quidem tales leges unquam facile, justo quidem modo, ferri potuisse videantur. Nam cum plerumque civium in ecclesia numerus sex millium summam haud ita multum excedere soleret, sane perraro fieri potuit, ut tam magna pars

---

men etiam his locum fuisse, sed iis, quas in contextu posui, conditionibus, Andocides docet, de Myster. p. 12. eandem sine dubio legem prae oculis habens, quam Demosthenes laudat: *Μηδὲ ἐπ' ἀνδρὶ νόμον ἐξεῖναι θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις· ἐὰν μὴ ἑξακισχιλίοις δόξῃ, κρύβδην ψηφιζομένοις* Eadem prorsus loci Demosthenici sententia evadit, duabus istis voculis insertis, quae quam facile excidere potuerint, aut propter easdem voces paullo praecedentes, aut propter illud *τιθῇ*, nemo non videt. Itaque hanc correctionem praeferendam puto illi, quam Reiskius suasit, qui ceteroquin omnium optime locum nostrum intellexit et interpretatus est. Is igitur solum *ἢ* inseri vult; quod ut repudiem, ea quoque causa est, quod non apud Andocidem solum, sed in hac ipsa Demosthenis oratione, p. 715. init. similis quaedam exceptio ab iisdem vocibus: *ἐὰν μή*, incipit.

53) Id Reiskius optime intellexit, in eo tamen falsus, quod populo tribuit, quod, e Solonis quidem institutis, Nomothetarum esse debuit. Ceterum apparet, populi de privilegiis *ἐπιχειροτονίαν* nulla alia re diversam esse ab ista, quam de ceteris omnibus legibus fieri oportebat, nisi hac una, quod certus suffragiorum numerus, sex millia, aut supra, requirebatur.

in ejusmodi legum lationem consentirent. Atque hanc ob causam Demosthenes passim, ubi accuratior rei explicatio inutilis foret, ita loquitur, quasi privilegiis nullus omnino locus in republica Attica relictus fuerit[54]).

Huic de privilegiis praescripto non absimile est illud, quod in eadem Demosthenis oratione insertum exstat, de capite diminutis et aerarii debitoribus. Interdicitur enim illo, ne cum populo agatur de iis, qui capite diminuti sint, in integrum restituendis, neve de iis, qui aut publico aut sacris Deorum aerariis debeant, debito aut toto aut ex parte levandis, nisi ita, si sex millia haud minus civium in concione impunitatem actori concesserint suffragiis occultis; atque tunc ita agi liceat, prout Senatus populusque statuerit[55]). — Proprie quidem hoc praescriptum ad Psephismata pertinuit; sed fieri tamen potuit, ut non minus in le-

54) Demosth. adv. Aristocrat. p. 649. in Stephanum. 2, p. 1152, quibus tamen locis abuteretur, puto, si quis, ut Taylorus ad or. in Timocr. l. l. Andocidei loci immemor, illam exceptionem: *ἐὰν μὴ — — κρύβδην ψηφιζομένοις*, spuriam pronuntiaret.

55) Demosth. adv. Timocrat. p. 714. sq. *Μηδὲ περὶ τῶν ἀτίμων, ὅπως χρὴ ἐπιτίμους αὐτοὺς εἶναι, μηδὲ περὶ τῶν ὀφειλόντων τοῖς θεοῖς ἢ τῷ δημοσίῳ τῶν Ἀθηναίων, περὶ ἀφίσεως τοῦ ὀφλήματος ἢ τάξεως, ἐὰν μὴ ψηφισαμένων Ἀθηναίων τὴν ἄδειαν πρῶτον, μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ, κρύβδην ψηφιζομένοις. τότε δ' ἐξεῖναι χρηματίζειν, καθ' ὅ, τι ἂν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δοκῇ.* Quid illud sit: *περὶ τάξεως*, Ulpianus docet ad h. l. p. 450. Ben. quamquam is locus non satis sanus videtur. Nam ut nunc legitur, *ἄφεσιν* explicat, quae nulla explicatione eget, et ita quidem, ut perspicuum sit, eam explicationem ad *τάξιν* pertinere. Sed excidisse nonnulla videntur. Ceterum de lege ista conf. Böckh. Staatshaushalt. d. Athen. Tom. I. Lib. III. §. 13. extr.

ges quoque caderet, si quae ejusmodi ferrentur, quarum beneficio aut debitores remissionem, aut capite diminuti restitutionem, etiam non persoluto debito, facile nanciscerentur; cujusmodi Timocratis illa fuit, quam Demosthenes accusat, et hoc quoque nomine *παρανόμως* latam esse arguit, quod Timocrates neque impunitatem (*ἄδειαν*) seu veniam cum populo agendi impetraverit, neque Senatui populoque legem suam proposuerit et suaserit, ante quam in Nomothetarum consilio eam ferret[56]).

Nihil autem magis cavendum erat novae legis rogatori, quam, ne quid ferret, quod veteribus legibus contrarium esset. *Ἐναντίον δὲ νόμον μὴ ἐξεῖναι τιθέναι τῶν νόμων τῶν κειμένων μηδενί*, ipsa sunt legis verba apud Demosthenem in Timocratea[57]). Neque, quae apud Romanos[58]) eadem Athenis ratio valebat, ut nova lex antiquae obrogaret, neque tralatitium illud in Romanis legibus caput, de impunitate, si quid contra alias leges ejus legis ergo factum esset[59]), apud Athenienses locum habebat. Itaque novam legem nullam ferri licuit, nisi vetere prius apud Nomothetas abrogata, cui propter id ipsum patronos a populo dari solitos esse, supra vidimus. Neque vero abrogari veterem legem li-

56) Or. adv. Timocrat. l. l. *Χρῆν σε, ὦ Τιμόκρατες, εἰδότα τὸν νόμον τόνδε, ὃν ἀνέγνων, εἴ τι δίκαιον ἐβούλου πράττειν, πρῶτον μὲν πρόσοδον γράψασθαι πρὸς τὴν βουλὴν, εἶτα τῷ δήμῳ διαλεχθῆναι· καὶ οὕτως, εἰ πᾶσιν Ἀθηναίοις ἐδόκει, γράφειν καὶ νομοθετεῖν περὶ τούτων.* Et de *ἀδείᾳ* paullo ante: *ἔγραψεν — οὐ προτεθέντος οὐδενὸς περὶ τούτων, οὐδὲ δοθείσης ἀδείας λέγειν.*

57) Pag. 710. cf. or. adv. Leptin. p. 486.

58) Livius IX. c. 34.

59) Vid. Cic. ad Atticum III. ep. 23. Cf. Brisson. de formulis, lib. II. p. 138. et Heinecc. Antiquitt. Rom. I. 2. 2.

cuit, nisi nova continuo subrogaretur[60]). Sed de hoc praescripto infra videbimus; prius autem illud in accusandis Leptinis Timocratisque legibus ita adhibetur a Demosthene[61]), ut appareat, non ad eas solum leges pertinuisse, quae antiquae cuipiam universae obrogarent, sed ad eas quoque, quarum singula capita singulis antiquarum capitibus contraria essent. Tantum cura cavendum putarant veteres legum latores, ne, si plures una de re leges exstarent, inter se non consentientes, impediretur juris scientia, imperitioresque obnoxii fierent forensium hominum calumniis, neque judices ipsi, cum eadem in causa diversae leges a litigantibus afferrentur, a jure injuriam dignoscere nequirent.

Denique, quemadmodum in Psephismatis, ita in legibus quoque ferendis diligenter videndum erat, ne quid inesset, quod aut indignum reipublicae majestate, aut injustum, aut bono publico alienum haberi posset: qua de re non est quod plura dicantur.

Harum omnium praescriptionum cautionumque si una aliqua neglecta erat a novae legis latore, is a quolibet cive *παρανόμων*, legis male rogatae, accusari poterat[62]). Certabatur autem apud judices Heliasticos, eodem haud dubie modo atque ordine, quem supra, de Psephismatum accusationibus loquentes, indicavimus; neque operae est, quae ibi dicta sunt, hoc loco repetere[63]). Illud tantum ad-

---

60) Demosth. adv. Timocrat. p. 710. sq. adv. Leptin. p. 485. cf. Petit. Legg. Att. p. 184.

61) Cf. Demosth. adv. Leptin. et adv. Timocr. l. l.

62) Demosth. adv. Timocr. p. 705. *Ἐὰν δέ τις τούτων ἕν τι παραβῇ, τῷ βουλομένῳ δίδωσι γράφεσθαι.* (*ὁ νόμος* scil.)

63) Vid. huj. libr. cap. 2. — Non tamen praetermittendum hoc loco Psephisma apud Demosth. de Coron. p. 261.

do, quod et legis et Psephismatis lator ipse accusationi non erat obnoxius, nisi ante exactum a Psephismate aut lege lata annum. Post illud tempus Psephisma quidem, aut legem, quam tulerat, impugnare licebat, ipse autem erat *ἀνυπεύθυνος*, indemnis atque impunis, etiamsi quamvis injusta, inutilia, antiquis legibus contraria tulisse videretur[64]). Atque hoc quidem satis constat; illud au-

---

de ejusmodi legis accusatione conscriptum: *Ἐπὶ Ἄρχοντος Πολυκλέους, μηνὸς Βοηδρομιῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δέκα, φυλῆς πρυταν. Ἱπποθοωντίδος· Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεὺς εἰσήνεγκε νόμον εἰς τὸ τριηραρχικὸν ἀντὶ τοῦ προτέρου, καθ' ὃν αἱ συντέλειαι ἦσαν τῶν τριηράρχων· καὶ ἐπεχειροτόνησεν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος· καὶ ἀπήνεγκε παρανόμων γραφὴν Δημοσθένει Πατροκλῆς Φλυεύς. καὶ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων οὐ λαβὼν, ἀπέτισε τὰς πεντακοσίας δραχμάς.* Verba illa: *ἐπεχειρ. ἡ β. κ. ὁ. δ.* referenda puto ad illam populi *ἐπιχειροτονίαν*, qua statuebatur, possetne aliqua lex apud Nomothetas ferri eorumque suffragio tradi, an statim rejici deberet; quae *ἐπιχειροτονία* solemnis erat, XI. Hecatombaeonis die. Post hanc igitur *ἐπιχειροτονίαν*, sed antequam Nomothetae consedissent, Patrocles Demosthenem in jus vocasse putandus est. Illud enim patet, XVI. Boedromionis diem, qui praescriptus est huic Psephismati, non eum esse, quo Demosthenes legem tulerat, sed eum, quo perscriptum erat hoc Psephisma.

64) Argum. 2. Demosth. orat. Lept. p. 453. *Νόμος γὰρ ἦν, τὸν γράψαντα νόμον ἢ ψήφισμα μετὰ ἐνιαυτὸν μὴ εἶναι ὑπεύθυνον. ὅμως — καὶ οὕτω κατὰ τὸν νόμον* (Taylor. legendum putat *τοῦ νόμου*, aut *τῶν νόμων*, quod non necessarium,) *ἐξῆν ποιεῖσθαι τὰς κατηγορίας, κἂν οἱ γράψαντες ἔξω κινδύνων ὦσι.* Cf. Demosth. p. 501. et Ulpian. p. 296. Ben. — Ceterum Wolfius, Prolegg. ad Leptin. p. CXXXXIII. not. 145, postquam opinionem istam, de qua supra diximus, proposuit: omnes leges, quotquot per annum propositae essent, tandem in prima Prytania novi anni ad legitimum judicium Nomothetarum vocari debuisse, eoque demum secundum latorem facto, *νόμον* fuisse *κύριον* — his itaque propositis addit, quod lator legis sibi videatur nonnisi ante secundum

tem dubitari posse videtur, apud quos judices hujusmodi causae agendae fuerint. Nam ex lege quadam, in Demosthenis Timocratea, conjecerit forsitan aliquis, solos Nomothetas judicium de iis habuisse. Vetat enim ea, ullam ex veteribus legibus tolli, nisi apud Nomothetas. Atque apud hos ipsos ita demum id fieri permittit, si in ejus, quae tollatur, locum nova subrogetur[65]). Sed pertinet haec lex sine dubio ad solennem illam legum censuram, quae sub anni initia, abrogandis veteribus, rogandisque novis peragebatur; ideoque jam supra, cum hanc describerem, a me adhibita est. Num igitur alio nullo tempore leges impugnari et abrogari potuerunt? neque aliter, quam in solenni isto Nomothetarum consessu? Id quo minus credamus, obstat Demosthenis oratio adversus Leptinem, quae una ex hoc genere hodie superest. Impugnatur enim et abrogatur hac oratione lex quaedam de tollendis immunitatibus, ipso, qui tulerat, Leptine

---

judicium fuisse *ὑπεύθυνος* aut *ἔνοχος τῇ τῶν παρανόμων γραφῇ*. „Quare cavi," inquit, „ne cum Petito et reliquis, quos vidi, hoc in genere dicerem, latorem indemnem fuisse exacto a lege lata anno." Huic viri acutissimi sententiae equidem non possum adstipulari. Primum enim locus iste ex argumento Leptineae, quo solo hic nitimur, nihil aliud dicit, quam quod a Petito, p. 185. positum est; ut in Wolfium retorqueri possit, quod ipse in Petitum dixit: vellem sententiam suam uno antiquo teste probasset. Dein, quod de Psephismatum quoque latoribus idem valuisse dicit auctor argumenti, hoc ipsum satis demonstrat, eum recte a Petito intellectum esse. Quid enim Nomothetarum judicium [illegible]sephismata pertinebat? Denique illam Wolfii opinionem, quae huic explicationi pro fundamento esse videtur, improbabilem esse, supra demonstrare conatus sum.

65) Demosth. adv. Timocrat. p. 710. Ipsa lex a nobis paullo ante adscripta est.

propter istam anni temporis praescriptionem accusationi non jam obnoxio; neque tamen dubium est, quin ea causa non apud Nomothetas, sed in Heliastico judicio acta sit[66]. Itaque hoc videtur statuendum: veteres leges, quae jam diu receptae essent, longoque tempore convaluissent, abrogari novisque commutari nonnisi apud Nomothetas statoque tempore; recentiores autem necdum usu confirmatas accusari in Heliaea et quo quisque vellet tempore potuisse; id quod in Leptinis istam legem optime quadrat[67]. Neque igitur a ceteris *παρανόμων ἀγῶσιν* hujusmodi judicia videntur diversa fuisse, nisi hisce duabus rebus, quod lator, etiam lege damnata, impunis erat, quoniam non ipse reus agebatur, sed lex tantummodo, quam tulerat; et quod, hac ipsa de causa, patroni seu Syndici ad defendendam in judicio legem a populo creabantur; quamquam inter hos ipsum quoque latorem creari solitum esse, veri simillimum videtur[68]. Quod autem Demosthenes, dum Leptinis legem accusat, simul aliam, in ejus locum a se ferendam, judicibus proponit, non eo hoc factum existimo, quod in istiusmodi judiciis perinde atque apud Nomothetas id fieri oportuerit, sed quo facilius judices impellerentur ad tollendam illam legem, in cujus locum brevi post tempore alia multo melior et salubrior successura esset. Ne-

---

66) Satis id demonstratum est a Wolfio, in Prolegg. p. CXXXXI. not. 144.

67) Veri simillimum enim est, latam eam esse proximo ante accusationem anno. vid. Wolf. Prolegg. p. LXIII. sq.

68) Quatuor Leptineae legis Syndici a populo creati nominantur a Demosthene, p. 501 — 503. §. 125 — 131. Sed cum alias in similibus causis quinque creati esse dicantur, nunc ipsum Leptinem quintum fuisse putat Wolfius, Prolegg. p. CXXXXV. cui libenter assentior.

que vero, rejecta a judicibus Leptinea, ideo statim illa altera valebat; sed expectandum erat legitimum Nomothetarum tempus, apud quos solos novas leges ferri licebat, et apud quos illam latum iri, Demosthenes judicibus promittit ac spondet[69]). — Atque de legibus hactenus.

CAPUT VIII.

De bello, pace et foederibus atque commerciis cum exteris civitatibus.

Sequitur, ut de tertio rerum in comitiis tractatarum genere breviter dicamus: de bello, de pace et foederibus, atque de omni cum exteris civitatibus commercio; quarum rerum omnium in democraticis rebuspublicis summum arbitrium penes populum esse oportet. Totus autem hic locus nihil magnopere habet, quod curiosa explicatione egere videatur. Quis enim est, qui vel unum Thucydidem, aut paucas Demosthenis Philippicas legerit, quin satis sciat, neque bel-

69) Vid. Demosth. p. 487. (§. 82.) et p. 498. (§. 115.) Quod autem ait, p. 487. (§. 81.): *τοῦ νόμου λυθέντος, τὸν παρεισενεχθέντα κύριον εἶναι σαφῶς ὁ παλαιὸς κελεύει νόμος*: crediderim equidem, istum *παλαιὸν νόμον* alio pertinuisse, et quidem ad eas leges, quae apud Nomothetas ferrentur. Ideoque Demosthenes ipse statim se ista lege uti velle negat, *ne quis*, inquit, *de ea re mihi contradicat.* Nam si certa fuit ista lex, et si, altera lege a judicibus sublata, alteram statim valere oportuit, quid opus fuit Nomothetarum auctoritate? Multo illud veri similius, lege aliqua a judicibus sublata, tantisper, dum nova in ejus locum apud Nomothetas ferri posset, antiquiores, si quae essent ista lege abrogatae, auctoritatem suam recuperasse.

lum Athenis decerni, neque exercitum confici, neque imperium mandari potuisse, nisi a populo? Hic et militum numerum et classium magnitudinem definiebat; hic et quae hominum genera, civium, inquilinorum, sociorum, servorum, conscribenda[1]), et stipendium militibus quantum et unde numerandum[2]), et mercenariorum quantae copiae quanta mercede conducenda essent, jubebat[3]). Ad hunc imperatores per epistolas de rebus suis referebant, quae sibi opus essent ad bellum administrandum, petebant, quid a se fieri populus vellet, quaerebant: eaeque epistolae in concione a scriba recitabantur[4]).

Neque minus legatos populus creabat[5]), mandata iis dabat in Psephismate conscripta[6]), quantum viatici numerandum esset, jubebat[7]). Illi autem legationem primum Senatui in curia, dein populo in concione renuntiabant[8]). Atque eadem omnia

1) Vid. Isocrat. Social. p. 400. Demosth. Philipp. I. p. 45. 46.

2) Demosth. Philipp. I. p. 48. cf. Thucyd. V. 47. VI. 31. In universum de varia stipendii militaris magnitudine vid. Meursii Lectt. Att. II. 8. Petit. Legg. Att. p. 662. Lips. de milit. Rom. V. 16. Boeckh. Staatshaushalt. d. Ath. I. p. 131.

3) Aristoph. Acharn. v. 158. 169. cf. Schol. ad Plut. v. 173. Boeckh. l. l. p. 291.

4) Thucyd. VII. 10.

5) Aeschin. de fals. leg. p. 201. 202. et alibi passim. Nonnunquam tamen Senatui illud creandi legatos negotium a populo mandabatur. Demosth. de cor. p. 249. 250.

6) Aeschin. l. l. p. 231. 275. Ejusmodi Psephisma est praeclarum illud Demosthenis, in or. de cor. p. 288. sq.

7) Aristoph. Acharn. v. 65. Demosth. de fals. leg. p. 390. cf. Boeckh. l. l. p. 255.

8) Aeschin. l. l. p. 211. cf. p. 227 — 231.

etiam de iis dici possunt, qui ad Amphictyonum concilium mittebantur, Hieromnemones atque Pylagorae[9]).

Etiam exterarum civitatum legatis primum ad Senatum aditus dabatur; is autem, cognitis mandatis eorum atque epistolis, perscriptoque Probuleumate, in concionem eos producebat; ibi populus et quae illi attulissent, et quid Senatus censuisset, edocebatur; oratores consilia populo proponebant; qui optimum suasisse videbatur, in ejus sententiam Psephisma conscriptum legatis pro responso dabatur[10]). Honores quoque, si qui legatis habendi videbantur, locum in primis theatri subselliis, epulum in Prytaneo aliaque ejusmodi populus decernebat[11]). Ceterum legationibus audiendis legitimum tempus fuisse tertiam ex ordinariis ecclesiam, Julius Pollux tradidit; quod quomodo accipiendum putarem, jam supra me dicere memini[12]).

Jam vero pacis, foederum pactionumque faciendarum potestatem populus habuit. In concione enim de conditionibus aut ab hoste latis, aut

---

9) De his vid. Tittmann. de Amphictyonibus, p. 83. sqq. Quod is ibi docet, Hieromnemonis perpetuum fuisse honorem, confirmari quodammodo posse videtur Plutarchi loco: An seni gerend. sit resp. p. 794. καθάπερ ἣν οὐ νῦν Ἀθήνησι μεταχειρίζῃ τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς ἐπιστασίαν, καὶ νὴ Δία τὸ προσχῆμα τῆς Ἀμφικτυονίας, ἣν σοὶ διὰ τοῦ βίου παντὸς ἡ πατρὶς ἀνατέθεικε. Haec enim de Hieromnemonis munere accipienda puto. — Ceterum de Amphictyonicis rebus in comitiis actum esse patet ex Aesch. adv. Ctesiphont. p. 516. sq.

10) Pollux VIII. 96. Aeschin. de fals. leg. p. 258. 259. Thucyd. V. 45. Orat. de Halones. p. 80. Alii multi.

11) Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 466. 467.

12) Lib. I. cap. I.

hosti ferendis consultabatur; quae si convenerant inter utrosque, creabantur et qui populi nomine eas jure jurando confirmarent, et qui ad hostes missi, eorum jusjurandum acciperent[13]). Atque huc referendum est etiam illud pactionum genus, quae Symbola dicebantur, i. e. pacta conventa cum exteris civitatibus, iis praesertim, quibus frequentiora cum Atheniensibus commercia intercedebant, de jure inter utrosque cives dando et accipiendo, sive, ut Livius ait, juris praebendi repetendique commercio[14]). Etsi enim describendarum confirmandarumque istarum pactionum munus apud Athenienses Thesmothetis judicibusque datum erat, iniri tamen non poterant, nisi populi jussu[15]). — Sed si aut jus Atticis civibus praebere civitas extera recusarat, aut quocunque modo hostilia commiserat, neque tamen satis gravis belli causa esse videbatur; in ejus civitatis homines aut bona *ἀνδροληψίαι* et *σῦλαι* aliaque ejus generis, quae nunc *Repressalia* dicuntur, exerceri poterant, de quibus aut legibus et jure civili cautum erat, aut singularibus populi Psephismatibus, quatenus exercendae essent, constituebatur[16]). Neque minus de

---

13) Exempla formularum vid. ap. Thucyd. IV. 118. V. 18. 19. 23. 47.

14) De *συμβόλοις* vid. Harpocrat. s. v. et Vales. p. 178. 332. Cf. Spanhem. orb. Rom. II. cap. 17. et imprimis Hudtwaclker. de Diaetet. p. 123. — Livii locus est lib. 41. cap. 29.

15) Orat. de Halones. p. 78. cf. Pollux VIII. 88. Petit. Legg. Att. p. 676.

16) Cf. Hug. Grotius de Jure Belli et Pac. III. 2. p. 1045. ed. Becman. (Frcft. 1699.) De *ἀνδροληψίᾳ* s. *ἀνδροληψίῳ* vid. Petit. Legg. Att. p. 622. sq. De *σύλαις* s. *σύλοις* vid. argum. 2. orat. Demosth. adv. Timocrat. p. 695. Vales. ad Harpocrat. p. 177.

captis σύλαις populus in comitiis judicabat, jure an injuria captae essent, et reddi an retineri deberent[17]).

Denique etiam de victorum ac dediticiorum populorum conditione populus in comitiis sciscebat, veluti, ut unum maxime insigne exemplum commemorem, bello Peloponnesiaco de Mitylenaeis, quorum partem supplicio affici, reliquos agris mulctari Atticosque colonos in eorum terram deduci populus jussit. Haec quemadmodum in comitiis acta sint, luculenter Thucydides exposuit[18]. — Eodem modo etiam de tributis sociorum; quae quidem initio descripta erant ab Aristide, cui populus eam potestatem mandaverat, ipsorum sociorum rogatu; post autem aucta, Alcibiadis suasu, a decem viris a populo creatis, inter quos et ipse Alcibiades erat. Atque si qui e sociis aut diminutionem tributi aut remissionem peterent, de iis rebus non alibi quam in comitiis decretum esse, et consentaneum est et exemplis constat[19]). Sed jam satis multa diximus de rebus non obscuris; reliqua persequamur.

---

17) Demosth. adv. Timocrat. p. 703, 25. cf. Liban. argum. p. 694, 20.

18) Thucyd. III. cap. 36 — 49.

19) Demosth. in Theocrin. p. 1333. 1334. cf. Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 492.

CAPUT IX.

De reditibus et de administratione rei pecuniariae, quatenus ad comitia pertinebat.

Reditus Atticae reipublicae ordinarii constabant tribus maxime rebus: vectigalibus, quorum ipsorum multa erant genera, mulctis et publicatis condemnatorum bonis, quae aut populi aut deorum aerariis cedebant, denique tributis sociorum, quae cum initio Deli asservata et communi sociorum consilio administrata essent, posteris temporibus Athenas translata et Atheniensium propria facta sunt [1]). Atque haec redituum genera ab Aristophane comprehenduntur his versibus [2]):

Καὶ πρῶτον μὲν λόγισαι φαύλως, μὴ ψήφοις ἀλλ' ἀπὸ χειρός,
τὸν φόρον ἡμῖν ἀπὸ τῶν πόλεων ξυλλήβδην τὸν προσιόντα·
κἄξω τούτου τὰ τέλη χωρὶς καὶ τὰς πολλὰς ἑκατοστάς,
πρυτανεῖα, μέταλλ', ἀγορὰς, λιμένας, μισθοὺς καὶ δημιόπρατα.
τούτων πλήρωμα τάλαντ' ἐγγὺς δισχίλια γίγνεται ἡμῖν.

In his quae memorantur *τέλη*, tributa sunt inquilinorum et libertinorum, vectigalia artium aliaque ejusmodi; *ἑκατοσταί* autem portoria quaedam esse videntur in Piraeeo exacta, quamquam alibi frequen-

1) De his omnibus vid. egregium Boeckhii opus de oeconomia publica Atheniensium: Staatshaushalt. d. Ath. I. p. 320. sqq. Liturgiarum cur mentionem hoc loco non fecerim, cuivis facile apparebit. *Οὐ γὰρ κοινωνεῖ ταῖς δημοσίαις προσόδοις καὶ περιουσίαις ταῦτα τἀναλώματ' οὐδέν*, ut ait Demosthenes adv. Lept. p. 464.

2) Vesp. v. 654.

tior est πεντηκοστῆς s. quinquagesimae mentio; ἀγορὰς et λιμένας nominat propterea quod in foris ac portubus mercium importatarum, exportatarum ac venditarum vectigalia pendenda erant; μισθούς autem esse puto, quae alias μισθώματα aut μισθώσεις dicuntur, pensiones aedium, agrorum, pascuorum aliarumque rerum publicarum, quae privatis elocari solebant; πρυτανεῖα sunt pecuniae quaedam a litigantibus ante judicium depositae, qualia erant apud Romanos Sacramenta dicebantur; δημιόπρατα denique sunt bona publicata, quorum venditorum pretia in aerarium redigebantur; reliqua non opus est explicare.

Horum autem redituum rationes quaque Prytania conficiebat populoque proponebat scriba quidam, Ἀντιγραφεύς dictus[3]); itemque bonorum publicatorum tabulae in prima cujusque Prytaniae ecclesia populo recitabantur. Atque in eadem illa ecclesia etiam hereditates, quas quis adierat, populo indicatas esse Julius Pollux scribit[4]); nimirum ut omnibus notum fieret, ad quem quaeque bona pervenissent.

Dubium autem nemini esse potest, quin de his omnibus redituum generibus summum statuendi arbitrium penes populum fuerit. Nam si aut novorum comparandorum aut veterum augendorum

3) Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 417. Ἀντιγραφεὺς ἦν χειροτονητὸς τῇ πόλει, ὃς καθ' ἑκάστην Πρυτανείαν ἀπελογίζετο τὰς προσόδους τῷ δήμῳ. Sed oratorum nostrorum, Aeschinis ac Demosthenis aetate omne hujus Ἀντιγραφέως munus aliquamdiu quaestori theoricorum, τῷ Ταμίᾳ τῶν θεωρικῶν, injunctum erat, donec Hegemonis cujusdam lege res ad antiquum, ut videtur, ordinem rediit. Vid. Petit. Legg. Att. p. 541. cf. Taylor. ad Aeschin. l. l.

4) Pollux VIII. 95.

vel quocunque modo mutandorum ratio instituenda esset, de his rebus quem alium scivisse credibile est, nisi populum, etiamsi diserta de singulis testimonia non exstant? De tributis quidem sociorum in comitiis actum esse supra vidimus. Quidni etiam de vectigalibus, de portoriis aliisque id genus? cum praesertim de re nummaria[5]), de ponderibus ac mensuris[6]), de mercibus importandis exportandisve et vendendis[7]), de admittendis aut prohibendis ab Atticorum portuum aditu peregrinis[8]), aliisque hujusmodi rebus populus statueret. Quodsi harum rerum arbitrium habuit, consentaneum est, etiam reliquas ejusdem generis omnes ad eum pertinuisse.

Ad mulctas quod attinet, imponebantur eae non solum a judiciis aut a Senatu, sed etiam a populo; quandoquidem hic quoque nonnunquam in comitiis de criminibus judicabat. Remitti autem nonnisi a populo poterant, neque aliter ea de re in comitiis agi licebat, nisi prius civium haud minus sex millia veniam atque impunitatem actori occultis suffragiis scivissent[9]). Quodsi quis absque hac ve-

---

5) Vid. Aristoph. Ran. v. 732. Eccles. v. 815. Athenaeus XV. c. 9. p. 438. Schweigh. cf. Boeckh. II. p. 156.

6) Huc pertinet Psephisma ap. Boeckhium, Inscript. XIX. Tab. VIII.

7) Demosth. de fals. leg. p. 433. cf. Boeckh. I. p. 58. 59. Obscurus est Aristophanis locus, Eccles. v. 814.

οὐκ οἶσθ' ἐκεῖν', ἅ 'δοξε τὰ περὶ τῶν ἁλῶν;

Scholiastes quidem ita explicat: *'Εψηφίσαντο γὰρ αὐτοὺς εὐωνοτέρους εἶναι, καὶ τὸ ψήφισμα ἄκυρον γέγονε.*

8) Thucyd. I. 139. Plutarch. Pericl. cap. 30. Diodor. XII. cap. 39.

9) Ipsius legis verba, e Demosth. adv. Timocr. p. 714. 715. jam supra, cap. VII. adscripsimus.

nia in Senatu aut in comitiis remissionem supplicasset, sive debitor ipse: nomen ejus deferri (per ἔνδειξιν) leges jusserunt, quemadmodum eorum, qui, cum populo deberent, judices facti essent; sive alius quis pro debitore: omnia ejus bona publicari; Proedrum autem, qui eorum causa populum in suffragium misisset, capite minui atque ἄτιμον fieri[10]).

Sed si quando ordinarii reditus non sufficerent ad reipublicae necessitates, atque extraordinariae supple[illegible] aerarii rationes ineundae viderentur, id quod belli praesertim tempore haud raro accidere solebat: de omnibus ejusmodi rebus populum in comitiis consultare ac decernere oportuit. Hujusmodi illud est, quod de Pythocle quodam legimus, eum suasisse populo, ut plumbum publice, eo, quo vulgo venire solebat, pretio coemi, ac deinde triplo majore pretio vendi juberet, ut hujus monopolii lucro aerarium augeretur[11]); atque illud quoque de Iphicrate, cujus consilio populus vectigal quoddam pro coenaculis in viam prominentibus foribusque quae in publicum aperirentur, aedium possessoribus pendendum imposuit[12]). Nonnunquam etiam, ut aerario subvenirent, nummos viliores cudi jusserunt, eisque pretium majus, quam quo re vera erant, publica auctoritate tribuerunt, quibus cives atque inquilini intra urbem finesque imperii, aliquantisper certe, inter se uti cogebantur; veluti Callia Archonte factum videtur, ut aenei cuderentur, qui pro argenteis valerent[13]). So-

---

10) Exstat haec lex, vel potius prioris legis pars, ap. Demosth. l. l. p. 716. Cf. Petit. Legg. Att. p. 470.

11) Aristot. s. Anonym. Oecon. II. 36.

12) Polyaen. III. 9. 30.

13) Huc pertinet Aristoph. Eccles. v. 810. sqq.
— B. Τοὺς χαλκοῦς δ' ἐκείνους ἡνίκα
ἐψηφισάμεθ', οὐκ οἶσθα; Α. Καὶ κακόν γ' ἐμοὶ

ciis quoque interdum extraordinariam pecuniam populus imperavit, velut apud oratorem quemdam legimus, a Meliis mulctae nomine propter receptos piratas decem talenta exacta esse, Moeroclis cujusdam Psephismate[14]). Frequentissima autem belli tempore et maxime solennis supplendae, deficiente aerario, pecuniae ratio haec erat, ut tributum imperaretur, quae εἰσφορά dicebatur, pendebaturque ab omnibus, praeterquam capite censis, civibus juxta et inquilinis, pro cujusque censu, atque ex descriptione quadam classium aut symmoriarum, quae quidem descriptio, adhuc a nemine satis perspecta, nunc primum luculentissime a Boeckhio nostro exposita est[15]). Illud igitur tributum imperabatur in comitiis: populus et quanta pecuniae summa conferenda esset, jubebat[16]), et, ut videtur, creabat eos, qui eam a singulis exigerent, qui ἐκλογεῖς dicebantur[17]). Horum autem hoc quoque mu-

---

τὸ κόμμ' ἐγίνετ' ἐκεῖνο. πωλῶν γὰρ βότρυς
μεστὴν ἀπῇρα τὴν γνάθον χαλκῶν ἔχων·
κἄπειτ' ἐχώρουν εἰς ἀγορὰν ἐπ' ἄλφιτα.
ἔπειθ' ὑπέχοντος ἄρτι μου τὸν θύλακον,
ἀνέκραγ' ὁ κῆρυξ· μὴ δέχεσθαι μηδένα
χαλκοῦν τὸ λοιπόν· ἀργυρῷ γὰρ χρώμεθα.

Cf. Boeckh. II. p. 136.

14) Orat. in Theocrin. p. 1339.

15) Staatshaushalt. d. Athen. II. p. 29 — 79.

16) Vid. Demosth. in Polycl. p. 1208. Atque Aristophanis quoque locus huc pertinet, Eccles. v. 818.

Τὸ δ' ἔναγχος οὐχ' ἅπαντες ἡμεῖς ὤμνυμεν
τάλαντ' ἔσεσθαι πεντακόσια τῇ πόλει
τῆς τεσσαρακοστῆς, ἣν ἐπόρισ' Εὐριπίδης;

Ait enim Scholiast.: Οὗτος ἔγραψε, τεσσερακοστὴν εἰσενεγκεῖν ἀπὸ τῆς οὐσίας εἰς τὸ κοινόν.

17) Vid. Suid. s. v. cf. Demosth. adv. Androt. p. 611. in Polycl. p. 1209.

nus fuisse Suidas dicit, ut describerent civibus suas cuique pro rata parte pensiones: nam ita ejus verba interpretanda puto: ὁπότε δέοι χρήματα τοὺς πολίτας εἰσφέρειν, τούτους κατὰ δύναμιν (pro suis quemque facultatibus) οἱ καλούμενοι ἐκλογεῖς διέγραφον[18]). Illa autem classium ex censu descriptio a Strategis confici solebat[19]). Sed non idem omnibus temporibus modus ac ratio erat classium describendarum, qua in ratione si quis mutandum aliquid et emendandum esse censeret, licuit illi legem ea de re populo proponere, quae si probabilis visa esset, Nomothetis tradenda erat et ab his examinanda, eodem modo, quem supra de abrogandis rogandisque legibus exposui. Atque hoc idem etiam de altero extraordinariae liturgiae genere valet, trierarchia: (liturgiis enim extraordinariis εἰσφοράν accenseri, notum est); hujus quoque obeundae ratio atque ordo legibus descriptus erat, de quibus mutandis atque emendandis non minus quam de ceteris legibus cum populo agi potuit[20]).

---

18) Alii autem, et Suidas ipse in ἐπιγνώμονες, ἐπιγραφεῖς, διαγραφεῖς, διάγραμμα, hoc munus fuisse dicunt τῶν ἐπιγραφέων s. διαγραφέων. Vid. Böckh. I. p. 169. An fortassis idem magistratus pro variis, quibus fungebatur, muneribus, variis quoque nominibus appellatus sit?

19) Vid. Wolf. Prolegg. ad Leptin. p. XCIV.

20) Nota cuivis est Demosthenis oratio de Symmoriis, ex ejus deliberativis antiquissima; quamquam haec oratio non ipsam legem ac rogationem continet, sed consilia tantum, quibus tentare civium animos et praeparare voluisse Demosthenes videtur ad legem, postea fortassis a se ferendam, sed nunquam latam. Nam ea, quae in orat. de coron. p. 261. 262. memoratur lex trierarchia, longe diversa est et multis post annis lata, Ol. 110, ½. illa autem de Symmoriis oratio habita est Ol. 106, 3. Vid. Boeckh. II. p. 112. sq.

Sed ab hisce tributis, quae imperabantur et necessario pendenda erant, distinguendae sunt voluntariae collationes, quae ἐπιδόσεις dicebantur. Fieri enim solebat, si pecuniis majoribus opus esset, quam pro aerarii facultate, ut Prytanes concionem haberent, aerarii inopiam populo exponerent peterentque ab eo, ut voluntariis collationibus, pro suis quisque facultatibus, reipublicae subvenirent. Surgebant tunc qui ad conferendum parati erant, et quantum daturi essent, alta voce profitebantur; alios tardiores aut tenaciores excitabant et hortabantur. Qui nihil collaturi erant, aut tacebant, aut clam e concione se amovebant; neque enim quisquam invitus ad conferendum cogi poterat[21]). Eorum, qui professi erant, nomina et pecuniae, quam se promiserant daturos, summae tabulis inscripta ante statuas Eponymorum proponebantur, dum promissa solvissent[22]).

De administratione quoque et usu pecuniarum publicarum in comitiis actum esse, per se patet et consentaneum est. Tamen exempla quaedam indicabimus. Ac primum quidem pecuniarum a sociis exactarum ab imperatoribus rationes populum repe-

---

21) Vid. Theophrast. Charact. cap. 22. et ibi Casaubon. Cf. Plutarch. Alcib. cap. 10. Phocion cap. 9. Athenaeus, IV. cap. 19.

22) Isaeus de Dicaeogen. hered. p. 54. 38. *Κληθεὶς ὑπὸ ἑτέρου, ἐπέδωκεν ἐν τῷ δήμῳ τριακοσίας δραχμὰς, ἔλαττον ἢ Κλεώνυμος ὁ Κρής.* (erat hic fortassis *μέτοικος* aut *ἰσοτέλης.*) *Καὶ τοῦτο ἐπέδωκεν, οὐκ εἰσήνεγκεν·* (fort.: *ἐπέδωκε μὲν, οὐδ' εἰσήνεγκεν.*) *ἀλλ' ἐπ' αἰσχίστῳ ἐπιγράμματι ἐξ ἑτέρου αὐτοῦ τοὔνομα ἔμπροσθεν τῶν Ἐπωνύμων.* Illud *ἐξ ἑτέρου* sensum nullum praebet; aut excidit aliquid aut rescribendum est *ἐξετέθη* aut *ἐξέκειτο.* Quid Reiskius conjecerit, nescio, cum ejus editionem ad manus non habeam.

tere videmus apud Lysiam in oratione in Ergoclem[23]). Et a Pericle quoque repetitam populi jussu rationem e Plutarcho notum est[24]); quamquam neutrum horum exemplorum ad solennem atque ordinarium morem referendum est. Solenne enim hoc erat, ut quicunque aut magistratum aut curationem aliquam cum pecuniae publicae administratione quocunque modo conjunctam, exacto muneris rationem ad Logistas referrent. Fieri sane nonnunquam potuit, ut Logistae de ejusmodi rationibus ad populum referrent, si quid inesset, de quo ipsi decernere non auderent. Sed id rarissime factum videri debet; et quotiescunque populus ipse jussisse dicitur, ut aut sibi aut Logistis ratio referretur, id extra ordinem factum esse putandum est[25]).

---

23) Pag. 179. 41. *Ὑμεῖς ἐψηφίσασθε τὰ χρήματα ἀπογράψαι τὰ ἐκ τῶν πόλεων εἰλημμένα, καὶ τοὺς ἄρχοντας τοὺς μετ᾽ ἐκείνου (Θρασυβούλου) καταπλεῖν εὐθύνας δώσοντας. Ἄρχοντες* isti quaestores, *ταμίαι*, esse videntur, qui imperatores comitari solebant. Cf. Demosth. de Chersones. p. 101. in Timoth. p. 1187.

24) Plutarch. Vit. Pericl. cap. 32.

25) Probari hoc quodammodo posse videtur quamvis levi Ulpiani auctoritate, qui haec habet, ad Demosth. de fals. leg. p. 246. 377. Ben. *Λογισταὶ ἐκαλοῦντο οἱ εἰσάγοντες ἐν τῷ δήμῳ τοὺς ὑπευθύνους.* Quamquam multo veri similius est, bonum virum *δῆμον* et *δικαστήριον* permutasse; nam apud Demosthenem illo loco *δικαστηρίου* tantum mentio est. Plutarchum quoque testem citarem, qui de Pericle narrat, cap. 23: *Τοῦ δὲ Περικλέους ἐν τῷ τῆς στρατηγίας ἀπολογισμῷ δέκα ταλάντων ἀνάλωμα γράψαντος, ἀνηλωμένων εἰς τὸ δέον, ὁ δῆμος ἀπεδέξατο, μὴ πολυπραγμονήσας, μηδ᾽ ἐλέγξας τὸ ἀπόῤῥητον*, si certum esset, Plutarchum semper proprie et accurate loqui. Quodsi id hoc loco fecit, necesse est, ejusmodi quid factum esse, quale ego supra fieri nonnunquam potuisse dixi.

De operibus autem publicis, veluti navalibus, portubus, muris aliisque munitionibus, de viis, templis, theatris, gymnasiis aliisque id genus aedificiis exstruendis aut reficiendis populum in comitiis scivisse dubium non est; putidumque foret, in re tam indubitata exemplorum copiam operose congerere[26]). Illud unum commemoratione non indignum, quod artifices ipsi cum populo communicasse videntur de ratione, quam sibi descripsissent, operis alicujus instituendi. Valerius certe Maximus[27]) de Philone architecto, illo, qui armamentarium pulcherrimum Atheniensibus exstruxit, narrat, eum rationem institutionis suae in theatro (i. e. in concione ibi congregata) reddidisse tanta cum facundia, ut disertissimus populus non minorem laudem eloquentiae ejus quam arti tribueret. Atque huc pertinet etiam quod de Phidia idem auctor memoriae prodidit, eum auditum aequo animo esse ab Atheniensibus, dum ex marmore potius quam ex ebore Minervam fieri debere diceret, quod diutius nitor esset mansurus; sed ut adjecisset, quod et vilius esset, tacere ab omnibus jussum[28]).

26) Huc pertinet Aeschin. in Timarch. p. 104. quem locum perperam intellexit Meursius, de Areopag. cap. 4. Ait enim, Areopagitas, posteris temporibus, Timarchi decreto coactos esse de quibusdam rebus ad populum referre, eoque modo potestatem eorum imminutam putat. Sed Timarchi Psephisma plane singulare erat. Tulerat enim, ut de aedificiis circa Pnycem reficiendis Areopagitarum sententia exquireretur, iique, quid sibi videretur, populo renuntiarent. Neque igitur quidquam ad universam Areopagi auctoritatem hoc Psephisma pertinebat. Vide ipsum locum: *Τῆς βουλῆς τῆς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ πρόσοδον ποιουμένης πρὸς τὸν δῆμον κατὰ τὸ ψήφισμα τὸ τούτου, ὃ οὗτος εἰρήκει περὶ τῶν οἰκήσεων τῶν ἐν τῇ Πυκνί. κ. τ. λ.*

27) Lib VIII. cap. 12. Extern. n. 2.

28) Id. Lib. I. cap. I. Extern. n. 8.

In universum, ut uno verbo omnia complectar, de eroganda quemcnuque in usum ex aerario pecunia a nemine nisi a populo decerni potuit, in cujus rei testimonium sufficiet, duas Inscriptiones laudare nuper a Boeckhio publicatas[29]. Harum altera Psephisma est, Ol. 90½, ut videtur, conscriptum, quo jubentur a populo Prytanes cum Senatu: *ἀποδοῦναι τοῖς θεοῖς τὰ χρήματα τὰ ὀφειλόμενα, ἐπειδὴ τῇ Ἀθηναίᾳ τὰ τρισχίλια τάλαντα ἀνενήνεγκται ἐς πόλιν, ἃ ἐψήφιστο, νομίσματος ἡμεδαποῦ. Ἀποδίδοναι δὲ ἀπὸ τῶν χρημάτων, ἃ ἐς ἀπόδοσίν ἐστιν τοῖς θεοῖς ἐψηφισμένα, τάτε παρὰ τοῖς Ἑλληνοταμίαις ὄντα νῦν, καὶ τἄλλα, ἅ ἐστι τούτων τῶν χρημάτων, καὶ τὰ ἐκ τῆς δεκάτης, ἐπειδὰν πραθῇ. — — — — Ἐπειδὰν δὲ ἀποδεδομένα ᾖ τοῖς θεοῖς τὰ χρήματα, ἐς τὸ νεώριον καὶ τὰ τείχη τοῖς περιοῦσι χρῆσθαι χρήμασιν.* — Altera Inscriptio continet rationem pecuniarum a quaestoribus sacri Minervae aerarii Ol. 92. 3. partim Hellenotamiis ad stipendium equitum et ad diobeliam sive theoricam largitionem, partim Athlothetis et sacrificulis, (*ἱεροποιοῖς*), ad festa celebranda et sacra facienda, partim imperatoribus ad belli usus numeratarum: eaeque omnes pecuniae numeratae esse dicuntur populi jussu, *ψηφισαμένου τοῦ δήμου*.

Sed cum certa quaedam essent impendiorum genera, legibus definita, quae non uno alterove tempore, sed omnibus aequabiliter annis necessario faciendae essent, veluti quae festis solennibus sacrisque faciendis impendenda erant[30], et mercedes

---

29) Inscript. I. Tab. I. et Inscript. III. Tab. II. Cf. Boeckhii commentar. Tom. II. p. 161 — 182, et p. 198 — 205.

30) Vid. Lysias in Nicomach. p. 184. 36. sqq. Cf. Boeckh. I. p. 227. Sed distinguendum est inter sacra ordinaria atque

equitum, judiciorum, Senatus, concionum[31]), atque largitiones istae quae *θεωρικά* dicebantur: dubium esse non potest, quin ejusmodi impendiis certa quaedam redituum genera semel destinata fuerint, certaeque pecuniarum summae a variis quaestoribus erogandae, ut non opus esset, singulas hujuscemodi erogationes novis semper Psephismatibus a populo decerni ac juberi[32]) Neque repugnat huic

---

extraordinaria, quorum sumtus a populo semper decerni necesse erat. Etiam de *ἐπιθέτων ἑορτῶν* sumtibus dubius sum, an hi legibus definiti fuerint.

31) De his aliisque mercedibus, (erant autem multa ex iis, quae *ἀρχίδια* Demosthenes dicit, mercenaria,) vid. Boeckh. I. p. 244. sqq. Extraordinarias autem mercedes, velut legatorum, Nomothetarum, et si quae sunt aliae, populi Psephismatibus decretas esse necesse est. Cf. supra capp. VII. et VIII.

32) Colacretas, qui judicibus mercedem suam distribuerunt, arcam suam habuisse Boeckhius probat. I. p. 186. cf. p. 385. Senatus et concionum mercedes unde numeratae sint, nescimus. Equitum mercedem et illas theoricas largitiones ex illo aerario, quo condebantur sociorum tributa, cui praepositi erant Hellenotamiae, vel ex Inscriptione nostra patet numerari solitas esse. Neque mirum est, illud aerarium vacuum illo tempore fuisse, cum socii omnes descivissent. Posteris autem temporibus, sublato Hellenotamiarum munere, instituti sunt *οἱ τῶν θεωρικῶν ἄρχοντες*, qui et ipsi arcam suam habuerunt, modo ditiorem modo pauperiorem; variare enim ejus reditus solebant, prout plus minusve *ἐκ τῆς διοικήσεως* supererat; eratque populo liberum, belline usibus an largitionibus ista residua impendi vellet. vid. Demosth. in Neaer. p. 1346. cf. Boeckh. p. 194. Itaque etiam largitiones istae modo frequentiores erant et majores, modo rariores et minores. Distribuebantur autem *κατὰ δήμους*. v. Demosth. in Leochar. p. 1191.; an in comitiis, dubito: neque evincitur id Aeschinis loco, quem Boeckhius, p. 237. citat, adv. Ctesiphont. p. 642. *ἀπέρχεσθε ἐκ τῶν ἐκκλησιῶν οὐ βουλευσάμενοι, ἀλλ' ὥσπερ ἐκ τῶν ἐράνων, τὰ περιόντα νειμάμενοι.* (*τὰ περιόντα* i. e. quae ab avidis Demagogis relicta sunt). Quidni haec de comitiorum mercede accipiamus?

sententiae Inscriptio nostra. Dubium enim esse nequit, quin extra ordinem factum sit, ut Hellenotamiis, Sacrificulis, imperatoribus e sacro Minervae aerario pecuniae ab ejus Deae quaestoribus numerarentur, propterea, haud dubie, quod alia aeraria, quibus alioquin illi sumtus faciendi erant, exhausta illo tempore fuerunt. Extraordinarias autem ejusmodi erogationes nonnisi populi decreto fieri potuisse apparet.

CAPUT X.

De Sacris.

De sacris quoque cum populo actum esse Julius Pollux testatur[1]). Nam postquam exposuit, quae rerum genera prioribus tribus ecclesiis ordinariis assignata fuerint, in quarta consultatum esse dicit *περὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων*, quod perperam ab interprete vertitur: *de sacris et sanctis.* Solent enim duobus his verbis conjunctis scriptores ea omnia designare, sacra profanaque, divina et humana, quorum inter omnes cives communio est atque societas, quorumque vel fructus, vel tutela, vel administratio ad omnes aequabiliter pertinet[2]); cujusmodi sunt v. c. sacra

1) VIII. 96.

2) Ita v. c. in Psephismate de civitate Psephismatibus danda, ap. Demosth. or. in Neaer. p. 1380., legitur: *καὶ μετεῖναι αὐτοῖς, ὧνπερ Ἀθηναίοις μέτεστι, πάντων, καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων.* Et in jure jurando Epheborum, ap. Pollucem, VIII. 105.: *Ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὑπὲρ ὁσίων.* Aliorum exemplorum affatim congessit Taylor. ad Aeschin. adv. Timarch. p. 48. Ceterum variae sunt verbi *ὅσιος* significationes,

publica, sacerdotia, templa Deorum ceteraeque res sacrae, aerarium, ager publicus omnesque res publicae, honores, judicia cunctaque civilia jura, universa denique respublica. Itaque Julius Pollux, cum περὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων in quarta ecclesia populum sci-

---

quae commodissime digeri posse videntur hoc modo. Ὅσιον primum est, quod sine piaculo fieri licet, res, quam in privatos ac profanos usus adhibere fas est, locus, quo ingredi cuivis licet, alia ejusmodi, differtque ὅσιον ab ἱερῷ eodem modo, quo ab ἀβεβήλῳ βέβηλον. (vid. Ammon. in ὅσιος et in ἀβέβηλα.) Ita v. c. ap. Aristophanem, Lysistr. v. 743. mulier parturiens:

Ὦ πότνια, inquit, Εἰλείθυι᾽ ἐπίσχες τοῦ τόκου
ἕως ἂν εἰς ὅσιον μόλω ᾽γὼ χωρίον.
i. e. εἰς βέβηλον καὶ μὴ ἱερὸν, ἀλλ᾽ ὅσιον
εἰς τοκετόν. ἐπειδὴ ἐν τῇ Ἀκροπόλει ἦσαν,

ut optime explicat Scholiastes. — Inde substantivum ἡ ὁσία, Fas. Homer. Odyss. XVI. 423. Aristoph. Plut. 682. Demosth. Mid. p. 548. — Itaque ἱεροῖς χρήμασιν opponuntur τὰ ὅσια ap. Demosth. adv. Timocrat. 726, et alibi passim: ea, quae ad publicos profanosque usus adhiberi licet, iis, quae Deorum sacra sunt, rebusque divinis tantum impendi possunt. (nam etiamsi nonnunquam e sacris Deorum aerariis pecuniae ad reipubl. usum depromebantur, restitui eas primo quoque tempore oportuit.) Eodem modo ἡ ὁσία διοίκησις opponitur τῇ ἱερᾷ, ap. Demosth. l. l. p. 730., factumque est ita, ut ὅσια dicerentur, quaecunque non ad sacra, sed ad reliquam rempubl. pertinerent, et ἱερὰ καὶ ὅσια, divina humanaque, sacra et profana. — Sed homines quoque ὅσιοι dicuntur, ii, qui mali aut piaculi nihil admittunt, sancti, pii ac religiosi, εὐσεβεῖς, θεοσεβεῖς, et ὅσιον, τὸ δίκαιον, τὸ εὐσεβές, καθαρόν, ἁγνόν. Inde quae ad pietatem ac religionem pertinent, ὅσια dicuntur, imprimis justa funebria, et ἡ ὁσία aut ritum aliquem sacrorum designat, aut sanctitatem ipsam. vid. Homer. Hymn. in Mercur. v. 130. et ibi Matthiae. Demosth. Mid. p. 556. et Ulpian. p. 355. Ben. Reliqua facilia sunt. In universum de verbo ὅσιος cf. Harpocrat. et Suid. s. v. cum interpp. Valckenar. ad Ammon. 184. Alberti ad Hesych. s. v. Ruhnken. ad Timaeum, p. 196.

visse dicit, his verbis ea omnia complectitur, quaecunque praeter illa, quae ante nominatim indicaverat, ad reipublicae administrationem pertinent. Atque eodem modo etiam Aeschines loquitur: ait enim, legem jubere, *ἐπειδὰν τὸ καθάρσιον περιενεχθῇ καὶ ὁ κῆρυξ τὰς πατρίους εὐχὰς εὔξηται, προχειροτονεῖν τοὺς προέδρους περὶ ἱερῶν τῶν πατρίων καὶ κηρύκων καὶ πρέσβεων καὶ ὁσίων.* (In Timarch. p. 48.) Sed de *ὁσίοις* quidem reliqua nostra omnis est disputatio; nunc de sacris videbimus.

Primum igitur de novis aut peregrinis religionibus adsciscendis aut repudiandis in comitiis consultari solitum esse, testificatur Iosephus. *Τοῖς δὲ ῥήτορσιν*, inquit, *ἐφῆκαν πολιτογραφεῖν διὰ ψηφισμάτων ξένων θεῶν τὸν ἐπιτήδειον*[3]). Cujus rei exemplo esse vel illud potest, quod de Alexandro Deorum in numerum referendo Demadem ad populum tulisse Aelianus narrat[4]), aut illa, quae de divinis honoribus Demetrio Poliorcetae decretis apud Plutarchum legimus[5]). Peregrinos autem Deos ita facile Athenienses adsciscere solebant, ut jocandi materiam comicis poetis praeberent, Aristophanesque eos dicat urbem suam ex Athenis Aegyptum fecisse, propter Aegyptiorum Deorum, quos colebant, multitudinem[6]). Ejusmodi Dei peregrini sunt, qui ab Hesychio memorantur, Genetyllis, Corythalia, Pherea[7]), neque minus Bendis illa, Thracia Dea, quam

3) Contra Apion. II. c. 35. ap. Wessel. ad Petit. p. 70.

4) Var. Histor. V. cap. 12.

5) Vit. Demetr. cap. 10 — 13.

6) *Αἴγυπτον αὐτῶν τὴν πόλιν πεποιήκασιν ἀντ' Ἀθηνῶν.* Aristoph. fragm. ap. Athenaeum, IX. cap. 3. ubi cf. Casaubonus.

7) Cf. Hemsterhus. ad Hesych. in *θεοὶ ξενικοί.*

Dianam perhibent, atque Sabazius, quem Bacchum esse volunt, Hyes et Attes, Phrygii, quorum cum contemtu Demosthenes meminit in oratione de corona[8]), aliique praeterea multi. Nam etiam Triballum quendam Deum πάντων βαρβαρώτατον Aristophanes[9]), multo cum risu in scenam producit, quasi ne ultimae quidem barbariae religiones ab Atheniensibus fastiditae sint.

Tales igitur Dei novi aut alienigenae nonnisi populi jussu adscisci poterant, falsamque esse puto eorum sententiam, qui Areopagi hanc fuisse potestatem tradiderunt. At si quis non adscitos publice Deos privato consilio colere, novasque et ignotas caerimonias invehere auderet, de eo crimine Areopagum judicasse certum est, et vulgo quoque, vel ex Divi Pauli historia, non incognitum[10]). Sed ab hoc crimine distinguendum est crimen impietatis (ἀσεβείας) quae constat non novis religionibus temere suscipiendis, sed veteribus patriisque Dis ac sacris contemnendis aut temerandis ac polluendis. Potest quidem nonnunquam utrumque

---

8) Demosth. de coron. p. 313. et ibi inttpp. cf. Strab. X. p. 722. c. ibiq. Casaub. Cicero de Legg. II. cap. 15.

9) Aves, v. 1565. sq.

10) Huc pertinet Harpocrat. in ἐπιθέτους ἑορτάς. ἐλέγετο δὲ παρ' αὐτοῖς καὶ ἐπίθετά τινα, (suppl. ἱερά) ὁπόσα μὴ πάτρια ὄντα ἡ ἐξ 'Αρείου Πάγου βουλὴ ἐδίκαζεν. Ex hoc loco non satis recte intellecto fluxit ille, quem tetigi, error Petiti, Legg. Att. p. 69., eorumque, qui nunquam non Petitum sequuntur, Potteri, II. 1. p. 453. Pfeiferi, I. 12. p. 19. Bosii, I. 2. p. 9. Sed δικάζειν ἱερὰ ἐπίθετα nunquam dici potest is, qui de novis caerimoniis adoptandis aut repudiandis decernit, vel qui de temere invectis jus dicit: quamquam paullo insolentius δικάζειν cum accusativo constructum est.

crimen conjunctum esse, velut Socrates arguebatur ab accusatoribus: *ἀδικεῖν, οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς, οὐ νομίζειν*, (haec est *ἀσέβεια*) *ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσφέρων*: non tamen necessario semper conjuncta sunt. Nam Anaxagoras quidem impietatis accusatus est, non quod novos Deos intulisset, sed quod Solem massam esse candentem docuerat, Protagoras autem, quod dubitare se scripserat, essentne Dii nec ne essent, Diagoras et Theodorus, quod esse omnino Deos negaverant, Aeschylus, quod evulgasse mysteriorum arcana putabatur. Variae autem hujus criminis persequendi viae a Demosthene enumerantur: *τῆς ἀσεβείας*, inquit, *ἐστὶν ἀπάγειν, γράφεσθαι, δικάζεσθαι πρὸς Εὐμολπίδας, φράζειν πρὸς τὸν βασιλέα*[11]), atque Areopagum, si non semper, saepe tamen de ejusmodi causis judicasse, multis veterum scriptorum testimoniis constat[12]). Sed illud quoque factum esse legimus, ut populus Psephismate juberet eorum nomina deferri, qui aut Deos esse negarent, aut de rebus coelestibus disserentes ac docentes, novis opinionibus auditorum animos imbuerent[13]).

---

11) Demosth. adv. Androt. p. 601. extr. De Eumolpidis quod dicit, suspicari licet, institutum id esse Periclis consilio. Ait certe Lysias, or. in Andocid. p. 104. 7. *Περικλέα ποτέ φασιν παραινέσαι ὑμῖν περὶ τῶν ἀσεβούντων, μὴ μόνον χρῆσθαι τοῖς γεγραμμένοις νόμοις περὶ αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀγράφοις, καθ' οὓς οἱ Εὐμολπίδαι ἐξηγοῦνται.*

12) Cf. Meurs. Areopag. cap. IX.. (Gronov. Thesaur. V. p. 2107). Petit. Legg. Att. p. 70., et ibi Wesseling.

13) Plutarch. vit. Pericl. cap. 32. *Καὶ ψήφισμα Διοπείθης ἔγραψεν, εἰσαγγέλλεσθαι τοὺς τὰ θεῖα μὴ νομίζοντας, ἢ λόγους περὶ τῶν μεταρσίων διδάσκοντας.* Verbum *εἰσαγγέλλεσθαι* h. l. non propria significatione accipiendum est, de qua disputavimus cap. III. sed generaliter pro *μηνύειν*, quemadmodum haud raro accipi eodem loco ostendimus.

De festis quoque Deorum celebrandis populus statuere in comitiis solebat. Erat autem duplex Athenis festorum genus: antiqua et a majoribus accepta, quae πάτριοι ἑορταί dicebantur, et posterius instituta et adscita, quas ἐπιθέτους ἑορτάς dicebant[14]). Ne haec quidem adscisci nisi cum populi venia potuisse videntur. Plutarchus certe de Dianae Venatricis, quae Ἀγροτέρα dicebatur, sacro, post Marathoniam pugnam instituto, ita loquitur, ut penes populum ejus rei arbitrium fuisse appareat[15]), et ubi de ludis scenicis in Neptuni honorem in Piraeeo institutis narrat, Lycurgum ait hac de re legem tulisse, [εἰσήνεγκε νόμον][16]): leges autem, antequam apud Nomothetas ferrentur, a populo probari oportuisse, et nonnunquam etiam perlatas in comitiis esse, supra vidimus. Ceterum permagna erat harum ἐπιθέτων ἑορτῶν multitudo, majorque apparatus, quam illarum antiquarum et patriarum; erantque omnes fere cum epulis, viscerationibus et theoricorum largitionibus conjunctae[17]). — Supplicationes quoque et gratulationes (εὐχαί, εὐαγγέλια, ἐπινίκια, χαριστήρια[18]) a populo decernebantur, erant-

---

14) Vid. Harpocrat. in ἐπιθετ. ἑορτ.

15) De Herodoti malign. p. 862. B. cf. Xenoph. Exped. Cyr. III. 2. 12. Aelian. V. H. II. 25 et ib. Perizon. cf. Meurs. Athen. Attic. II. 5.

16) Vitt. X. Oratt. p. 841. E.

17) Vid. Isocrat. Areopagit. p. 344. cf. Böckh. I. p. 226. 237. sq.

18) Aeschin. de falsa leg. p. 323. cf. adv. Timarch. p. 178. Plutarch. Phocion. cap. 16 et 25. Demosth. cap. 22. Huc pertinet etiam Demosth. de coron. p. 300. 301. ubi memorantur ψηφίσματα θυσιῶν Cf. Meursius, Graec. feriat. p. 111 et 118.

que hae nonnunquam annuae, veluti propter Chabriae victoriam navalem apud Naxum insulam ἐπινίκια quotannis celebrabantur Boedromionis mensis die XVI, et ejusdem mensis die XII χαριστήρια τῆς ἐλευθερίας, propter liberatam a XXX virorum dominatione civitatem[19]. Ejusmodi igitur festa ταῖς ἐπιθέτοις ἑορταῖς accensenda sunt. Denique ludorum quoque et certaminum solennia diebus festis adsignabantur non sine populi auctoritate, velut musicum certamen Panathenaeis, scenici ludi Chytris, quorum illud a Pericle, hoc a Lycurgo institutum aut instauratum dicitur[20]. Quid? ne illud quidem populi injussu factum est, quod Aeschyli honori datum esse Grammaticus quidam scribit, ut ejus unius ex omnibus tragicis fabulae, ipso etiam mortuo, docerentur[21]. — Atque haec sufficiunt, puto, ad demonstrandum, quam late in hujus quoque generis rebus comitiorum potestas patuerit. Poterat autem de iis rebus, quae ad festum aliquod pertinebant, etiam ἐν τῇ ἱερομηνίᾳ cum populo agi, quo tempore alia quaecunque negotia publica tractari nefas erat[22]; et post peractam majorum quorundam festorum celebrationem moris fuisse videtur concionem haberi[23], in qua et Archontes, qui iis

19) Plutarch. de glor. Ath. p. 349. E. ubi alia ejusmodi plura memorantur. Sed de Chabriae victoria conf. Vit. Phocion. cap. 6. extr.

20) Plutarch. Pericl. cap. 13. Vitt. X. Oratt. p. 841. E. cf. Petit. Legg. Att. p. 145.

21) Schol. ad Aristoph. Acharn. v. 11. Cf. Petit. Legg. Att. p. 140.

22) Petit. Legg. Att. p. 86.

23) De Dionysiis id diserte testatur lex ipsa apud Demosth. in Mid. p. 517.; de Mysteriis idem colligi potest ex eadem

praefuerant, de sacris a se administratis ad populum referrent, et querelae deferrentur de injuriis per festum commissis, de quo querelarum genere, quae προβολαί dicebantur, jam supra expositum a nobis est.

Etiam de sacerdotiis eam fuisse populo potestatem, ut jura eorum et officia praescriberet, vel unum illud probare potest Alcibiadis Psephisma, in Cynosarge in Herculis fano columnae inscriptum, cujus pars ab Athenaeo servata est[24]). Iubentur illo Psephismate sacerdotes cum Parasitis menstrua quaedam facere, Parasiti autem unum ex nothis nothorumve liberis cooptare, et, si quis illud sacerdotium suscipere recuset, eum in jus vocare. Atque etiamsi verum est, quod supra me dicere memini, Psephisma illud rectius legem (νόμον) vocandum fuisse[25]), id ad hanc, quam tractamus, rem nihil

---

oratione p. 571. De ceteris res incerta est, sed veri tamen simillima. Cf. quae supra, cap. V. huj. libr. de προβολῇ dicta sunt.

24) Athenaeus, VI. 26. cf. Petit. p. 163.

25) Cap. 3. init. — Exstant autem apud Athenaeum l. l. et c. 27. aliae quaedam de Parasitis constitutiones, quae desumtae esse dicuntur ἐκ τῶν τοῦ Βασιλέως νόμων, quorum Julius quoque Pollux meminit, III. 39 et VI. 35. Erant hae leges de sacris ac caerimoniis, quorum cura ad Archontem Regem pertinebat. Sed errant, qui huc referunt etiam τοὺς βασιλικοὺς νόμους, apud Xenophontem, Oecon. XIV. 6. Ibi enim non Atticae quaedam leges designari mihi videntur, sed mores ejusmodi atque instituta, quibus reges uti soleant, Persarum maxime, quorum etiam ante meminerat aliquoties, imprimis cap. IV. Ludit autem Ischomachus (hunc enim loquentem Xenoph. facit) et postquam Draconis se ac Solonis legibus uti dixit ad familiae suae disciplinam, nunc persequitur: non his solum utor, sed regiis quoque; regum enim morem imitor, dum non poenis tantum a delictis deterreo,

magnopere interest. Novimus enim, qualem in legibus potestatem populus exercuerit. Sunt autem omnes de novis religionibus, festisque ἐπιθέτοις et annuis ludorum solennitatibus, de quibus a populo statutum esse vidimus, omnes igitur de his rebus constitutiones leges potius quam Psephismata putanda sunt, id quod, etsi sua sponte quivis intelligit, qui quidem, quid intersit inter utraque, recordetur, tamen quorundam lectorum gratia monere non supervacaneum esse arbitror.

Inter prooemia Demosthenica, (quamquam sunt, qui ea Demostheni abjudicent, immerito, mea quidem sententia), unum legitur, quo renunciat populo orator, Prytanis eo tempore fungens munere, sacra a Prytanibus facta Jovi Sospitatori, Minervae, Victoriae, Suadae, matri Deorum, Apollini aliisque Divis, iisque omnibus litatum esse[26]). Jovem quidem Sospitatorem magna religione cultum ab Atheniensibus esse constat, eique sacra fiebant quotannis, extremo die, qui erat Scirrhophorionis XXIX; huc igitur illam in prooemio renuntiationem pertinere aliquis crediderit[27]). Quamquam video nonnullos[28]) in hac esse sententia, ut putent, cum quotidie sacra a Prytanibus fieri solita sint, (quod

---

sed praemiis quoque ad recte faciendum allicio, quemadmodum reges solent. — De civilibus legibus haec commode accipi posse dubito. Sed utut hoc sit, illud certe falsissimun, quod Valesius ad Maussac. in Harpocr. p. 240. hosce νόμους βασιλικούς cum sacris et ἀγράφοις Eumolpidarum legibus confundit. Has cum a Xenophontis loco alienas, tum ab illis quoque νόμοις τοῦ Βασιλέως diversas esse, quis non intelligit?

26) Προοιμ. δημηγορ. p. 1460.

27) Hemsterhus. ad Schol. Aristoph. Plut. v. 1176.

28) Nast, ad Theophrast. Charact. p. 107.

ut verum sit, equidem magnopere vereor[29]), de his semper renuntiatum esse ad populum, vel potius, cum comitia non quotidie haberentur, ad congregatam pro curia multitudinem. Casaubonus[30]) autem id in quarta tantum cujusque Prytaniae ecclesia factum esse credit, quod in hac Julius Pollux de rebus sacris et ad sacra pertinentibus cum populo agi solitum esse dicat. Sane illud quidem verisimile non est, semel quotannis, extremo illo die, de sacris renuntiatum esse, cum praesertim a Theophrasto in descriptione hominis inepte gloriosi (μικροφιλοτίμου) hoc quoque ponatur, solere eum comparare cum Prytanibus et ab iis impetrare, ut sibi mandetur ejusmodi sacrorum renuntiatio, ὅπως ἀπαγγείλῃ τῷ δήμῳ τὰ ἱερά. Quodsi semel tantum quotannis id fieri poterat, aut non usus esset, puto, Theophrastus illo exemplo, aut aliter locutus esset. Certum autem est, saepius a Prytanibus sacra facta esse pro salute et libertate populi[31]); quamquam quoties ea facta sint, an semel quaque Prytania, an rarius, an etiam saepius, nescire me fateor. De his igitur renuntiatum a Prytanibus ad populum esse puto, litatumne esset, nec ne; atque huc et Theophrasti locum et Demosthenis illud prooemium pertinere arbitror.

29) Precibus Senatores, cum curiam ingrederentur, adorasse Iovem Βουλαῖον ac Minervam Βουλαίαν certum est, ex Antiphont. de saltat. p. 146, 35. Steph. Sed preces (εὐχαί) non sunt sacra (ἱερά) neque de precibus renuntiari potest, litatumne sit. Quod de εἰσιτηρίοις quotidie a Senatu peractis Ulpianus ad Dem. in Mid. p. 551., 209. et alii nonnulli dicunt, falsum est. Verum habet Suidas in εἰσιτήρια. Cf. Hesych. in ἐξιτήρια et inttpp.

30) Ad Theophrast. Charact. cap. 21.

31) Antiphon. de saltat. p. 146. 38. Huc pertinet Demosth. de fals. legat.

Sacris adnumerari possunt etiam funera ista publica atque solennia, (οἱ ἐπιτάφιοι ἀγῶνες) quibus eorum civium, qui in bello pro patria occubuerant, reliquias honorare memoriamque celebrare Athenienses solebant. Sed de hoc more, etiam pueris notissimo, non opus est disserere; illud unum notare hoc loco oportet, quod e Demosthene discimus, et oratorem, qui defunctos illos laudaret, a populo creatum esse, et ex eorum parentibus aliquot, qui coenam funebrem (τὸ περίδειπνον) publico sumtu apparарent[32]). Quamquam oratores Plato in Menexeno[33]) ait a Senatu creari; ex quo colligi potest, aut mutatum illud esse posteris temporibus, aut nullam certam ea de re legem ac praescriptionem fuisse, eoque factum esse, ut modo a Senatu modo a populo crearentur.

CAPUT XI.

De magistratubus, curationibus et ministeriis.

Omnium reipublicae munerum tria statui possunt genera. Sunt enim primum, quae ἀρχαί a Graecis, a Romanis magistratus vocantur; deinde, quas ἐπιμελείας[1]) graece dixeris, latine curationes appellare licet; denique ὑπερεσίαι, quae ministeria sunt. Ac magistratus quidem nomen, quibus proprie dari oporteat, haud ita facile Aristoteles esse ait ad definiendum. „Multorum enim," inquit, „curatorum

---

32) Dem. de coron. p. 321.

33) Pag. 234. B.

1) Vid. Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 398.

ac praefectorum civilis societas eget; neque tamen eos omnes, sive sorte capiuntur, sive suffragiis creantur, magistratuum loco haberi oportet; veluti primum sacerdotes, quorum munus multum a civili potestate disjunctum est; porro choregos et praecones, itemque legatos, qui et ipsi a civibus creari solent. Sed curationes aliae civiles sunt, quae aut ad omnes cives pertinent, quoad certam quandam rem ac negotium; velut imperatori omnes subjecti sunt militantes; aut ad partem aliquam, cujusmodi eorum est curatio, qui *γυναικονόμοι* et *παιδονόμοι* appellantur. Aliae curationes oeconomicae sunt, velut eorum, qui saepe creari solent, *σιτομετρῶν*; aliae denique ministeriis adnumerandae sunt, quae quidem in opulentioribus civitatibus servis mandari solent. Magistratus autem ii potissimum vocandi sunt, quibus tributum est, ut de rebus quibusdam consulant et judicent et imperent; atque hoc quidem praecipue, ut imperent. *Τὸ γὰρ ἐπιτάττειν*, inquit, *ἀρχικώτερόν ἐστιν*. Sed ad communem usum non magni momenti est haec quaestio[2]." Haec ille, et vere quidem, etiam illud, quod ad communem usum non magni momenti illam quaestionem esse dicit. Nam apud Athenienses quidem magistratus (*ἀρχῆς*) appellatio neque legatis et caduceatoribus, neque inquisitoribus (*ζητηταῖς*) et publicarum causarum patronis, neque scribis denique invidebatur[3]), quamquam horum omnium nemini neque consulendi munus, neque judicandi potestas neque imperandi jus tributum erat. Sed tamen, ubi distinctius loqui velis, ii omnes,

---

2) Aristot. Politic. IV. cap. 15. Cf. Sigon. de Rep. Ath. IV. cap. 1.

3) Vid. Hudtwalcker, de Diaetetis, p. 32.

qui, cum neque consulant, neque judicent, neque imperent, tamen in fungendo reipublicae munere quocunque non aliorum imperio obediunt et mandata exsequuntur, sed, quod a republica mandatum atque injunctum est, suo judicio atque arbitratu, prout ipsis optime fieri posse videtur, perficiunt, hi igitur omnes neque magistratus neque ministri sed curatores appellandi sunt. Atque tales sunt apud Athenienses et legati et *συνήγοροι* et scribae nonnulli et inquisitores, et quaestores (*ταμίαι*), ut puto, omnes, et *σιτῶναι* et *βοῶναι* aliique ejusmodi plures, qui mihi aptissume curatores (*ἐπιμεληταί*) appellari posse visi sunt, quamquam propria hujus vocabuli vis latius patet, et imperatorum quoque et ministrorum munera curationes dici possunt, quemadmodum ab Aristotele factum vidimus. Ceterum in Atheniensium republica et vita communi ejusmodi vocabulorum distinctio plane inusitata erat; et qui apud illos *ἐπιμεληταί* vocantur, velut *ἐπιμεληταὶ τοῦ ἐμπορίου*, pro magistratubus potius quam curatoribus habendi sunt. *Ἔχει δὲ ταῦτα τιν' ἄλλην διανοητικὴν πραγματείαν*, ut ait Aristoteles. Sed hanc quaestionem pertractare, ita ut accurate definiatur, quaenam apud Athenienses munera publica pro magistratubus, quae pro curationibus, quae denique pro ministeriis habenda sint, et difficillimum est, neque hujus loci. Illud agamus, quod nostrum est, ut demonstremus, quantum quidem fieri potest, et qui a populo in comitiis creati sint magistratus, curatores, ministri, et quomodo creati sint. Quamquam id quidem sperare non licet, fore, ut omnes recenseantur, nulli praetermittantur. Multorum enim nomina tantum habemus, praeterea nihil. Sed dabo equidem operam, ut recenseam eos omnes, quos in comitiis creatos esse scriptores ve-

teres testantur. Quodsi qui ex iis cognitionem meam fugerint, veniam mihi facile datum iri spero ab aequis lectoribus, qui meminerint, neque unum omnia legere posse, neque tantam esse cujusquam in enotando et excerpendo diligentiam, ut nihil unquam ab eo praetermittatur.

Tres fuerunt Athenis creandorum magistratuum modi; (liceat autem mihi, magistratuum vocabulo subinde etiam curatores et ministros complecti;) nam aut in comitiis creabantur totius populi suffragiis, aut sorte a Thesmothetis in Thesei templo, aut in tribuum et curiarum (δήμων) conventubus, tribulium et curialium suffragiis[4]). Ac de hoc postremo dicendum erit proximo libro; sortiendi autem magistratus consuetudo aliquanto erat Solonis aetate recentior. Ab hoc enim vetustum magistratuum suffragiis creandi morem non immutatum esse, Aristoteles auctor est[5]); et erat sane is mos convenientissimus tali reipublicae, qualem Solon omnium praestantissimam judicavit, ex Democratia atque Aristocratia mixtae et tempera-

---

4) Nota res vel pueris est ex pervulgatissimis antiquitatum compendiis, non minus quam illud, *χειροτονητούς* esse, qui in comitiis, *κληρωτούς*, qui sorte, *αἱρετούς*, qui a tribulibus aut curialibus creentur. Cf. Sigon. l. l. Petit. Legg. Att. p. 300 — 304.

5) Politic. II. cap. 10. ubi *αἱρετούς* dicit, generali significatione, pro *χειροτονητούς* et *αἵρεσιν* pro *χειροτονίαν*. Huic Plutarchus quoque accedit, compar. Solonis c. Publicola cap. 2. Ait enim, Publicolam imitatum esse illud Solonis institutum ut creandorum magistratuum potestatem populo daret. Etiam Isocrates, Areopagit. p. 342. antiquitus non sorte ductos sed suffragiis creatos esse magistratus docet. Huc pertinet etiam Demosth. in Neaer. p. 1370. de Archonte Rege loquens, quamquam is a Thesei aetate repetit instituta longe recentiora.

tae[6]). Neque omnibus promiscue magistratuum capiendi jus ab eo datum erat, sed trium tantummodo primarum classium civibus; Thetes s. capite censi honoribus exclusi, suffragium tantum in comitiis ferre et judicare in Heliasticis dicasteriis poterant. Post Solonem illud primum novatum, ut nonnulli magistratus, velut novem Archontes, sorte crearentur, relicto tamen illo census et classium discrimine; cujus mutationis quemnam probabilius auctorem statuere possimus, quam Clisthenem[7])? Pertinuit nimirum hoc quoque ad deprimendam patriciorum potentiam, qui in comitiis et populi suffragiis facile vincere poterant plebejos candidatos; in sortitione autem, ubi in fortuna et casu omnia posita erant, nulla re praevalebant. Denique post bellum Persicum secundum Aristides ad omnes fere magistratus, et qui suffragiis et qui sorte capiebantur, omnibus civium classibus aditum dedit[8]). Neque tamen nullum omnino post Aristidem census discrimen in capiendis magistratubus servatum esse puto: nam Quaestores (ταμίαι) quidem nonnisi ex supremae classis civibus sorte ducebantur[9]); et in novem Archontum ἀνακρίσει solennis

6) Sortiri magistratus, democraticum, suffragiis creari, aristocraticum esse, non uno loco Aristoteles docet. Vid. Politic. IV. cap. 9. VI. cap. 2.

7) Bello Persico primo, paucis post Clisthenem annis, Archontes sorte ductos esse patet ex Herodot. VI. cap. 109. ubi Polemarchus dicitur ὁ τῷ κυάμῳ λαχὼν Ἀθηναίων πολεμαρχέειν. Tamen ex Pentacosiomedimnis Archontes fuisse, Demetrius Phalereus testatur ap. Plutarch. Aristid. cap. 1.

8) Plutarch. Aristid. cap. 22. ubi οἱ ἄρχοντες non solum novemviri illi sunt, sed omnino magistratus. Ceterum cf. Boeckh. II. p. 410. Perizon. ad Ael. VIII. 10. Corsin. F. A. Diss. I.

9) Pollux.

erat interrogatio: *εἰ τὸ τίμημά ἐστιν αὐτοῖς*[10]). Etiam Isaei oratoris tempore fuisse oportet nonnullos magistratus, ad quos adipiscendos equester census requireretur. Vituperatur enim apud Pronapes quidam, quod, cum in censu paullulum quiddam rei professus esset, tamen *ὡς ἱππάδα τελῶν ἄρχειν ἠξίου τὰς ἀρχάς*[11]). Qui fuerint isti magistratus, non li-

---

10) Sed, inquies, obsolevit illud institutum et antiquatum est inde ab Aristidis tempore. Neque ego illud confidenter negare audeo. Mirum tamen videri mihi solet, rei tam diu obsoletae, cujus tam longo tempore nullus plane usus in republica fuisset, tamen tam accurate a Polluce, aut ab Aristotele potius, quem ille exscripsit, mentionem factam esse. Apud Lysiam quidem (*π. τ. αδυν.* p. 169. 24) homo quidam debili et mutilo corpore, opificio tenuem victum quaerens, tam pauper, ut stipem de publico accipiat, tamen se, si integro corpore esset, Archontem fieri potuisse dicit. Neque eo igitur tempore in Archontibus sortiendis census ratio habita est. Habita autem est ea oratio post Euclidem. vid. p. 170, 29. Quid igitur, si inde ab Euclide Archonte (Ol. 94. 2.) desitum illud esse statuas? cum praesertim alia permulta eodem tempore in republ. novata esse constet. Neque tamen propterea in illa *ἀνακρίσει*, etiamsi post Aristidem in usu fuit, *τὸ τῶν πεντακοσιομεδίμνων τίμημα* intelligendum est. Thetibus quoque summum magistratum ab Aristide concessum credo; sed non omnibus promiscue. Neque enim omnes Thetes nullum censum habent, sed complectitur ea classis etiam eos omnes, qui minus 150 aut 200 medimnorum ex fundis capiunt. Definitum igitur erat *τίμημα* aliquod, infra *ζευγίσιον*, quod qui haberent, iis aditus ad illum magistratum datus erat; qui autem minus possiderent, excludebantur, ne summi honoris majestas egeni cujusvis et sordidi hominis contagione pollueretur. — Hanc conjecturam non dubito fore qui nimis liberam et audacem reputent, neque tamen supprimendam eam esse duxi. Cf. quae Boeckhius disputat, II. p. 45. sq.

11) Isaeus, de Apollod. hered. p. 67. 32. De Pronape, vid. ib. 65. 17.

quet; verisimile autem est, tales fuisse, qui cum aliqua pecuniae publicae administratione conjuncti essent. Hanc enim consentaneum erat iis tantum committi, quorum bona pro pignore esse reipublicae possent. Atque imperatores quoque eos tantum lex creari jussit, qui fundum intra Atticae fines possiderent[12]); neque causa est, cur eam legem sublatam esse posteris temporibus putes, etiamsi fortasse non semper observabatur.

Sed ex iis magistratubus, quos non sorte ductos, sed populi suffragiis semper creatos esse constat, primi sunt imperatores (*Στρατηγοί*). Hi deni quotannis creabantur, certe a Clisthenis tempore, pro numero tribuum, quae ab eodem ex quatuor decem factae erant; e tribubus enim singulis singuli creari solebant imperatores[13]). Antiquitus autem hi decem omnes una in bellum proficisci imperiumque diurnis vicibus administrare consueverant; atque ex Archontibus is, qui Polemarchus dicebatur, comitatus imperatores, et consilii particeps erat, et in acie dexterum cornu ducebat[14]). Sed posteris temporibus, cum et civitatis opes urbisque magnitudo multum crevissent, et bella longinquiora ac diuturniora esse solerent, Polemarchus in urbe remanebat ad urbana negotia administranda jusque inter peregrinos dicendum, imperatores autem modo cuncti, modo singuli aut bini aut trini emitti solebant, atque aut unus reliquis omnibus praeerat, aut omnes communi consilio rem administrabant, aut alii terra alii mari, aut alii in aliis provinciis imperabant[15]).

---

12) Dinarch. in Demosth. p. 99.

13) Plutarch. Cimon. cap. 8.

14) Herodot. VI. 109. 110. 111.

15) Thucyd. I. 45. 61. II. 58. 70. 79. III, 86. 91. 115. aliis.

Illi interim, qui domi remanserant, negotia quaedam curabant, ea imprimis, quae ad rem militarem bellique usus pertinerent, velut descriptionem classium, secundum quas tributa (εἰσφοραί) conferebantur, ordinationem trierarchiarum, judicia de permutationibus (ἀντιδόσεσιν) et ejusmodi plura, earumque rerum causa etiam comitiorum convocandorum potestatem habebant[16]). Demosthenis autem aetate ut plurimum bini tantum imperatores ad bellum emittebantur ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων sive ὁπλιτῶν et ὁ ἐπὶ τῶν ἱππέων στρατηγός[17]): tertius, ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως, rem pecuniariam procurabat, stipendium militibus numerabat etc[18]); reliquos Demosthenes queritur otiosos domi degere, pompas cum sacrificulis ducentes[19]).

---

que locis quam plurimis, quos omnes enumerare nihil attinet. Cf. Xenophon, Hellen. I. cap. 4. §. 20. ubi Alcibiades dicitur creatus esse ἁπάντων ἡγεμὼν αὐτοκράτωρ; Aristocrates igitur et Adimantus οἱ κατὰ γῆν στρατηγοί (§. 21) ei subjecti erant. Eodem modo intelligi debet, quod Thucyd. dicit, II. 65: Στρατηγὸν εἵλοντο (τὸν Περικλέα) καὶ πάντα τὰ πράγματα ἐπέτρεψαν. cf. Plutarch. Aristid. c. 11. et c. 8. Decem imperatores emissos narrat Xenoph. I. 5. 16. Octo communi consilio rem gerunt. ib. 7. 31. 32. Etiam ad Aegos flumen plures erant imperatores. Ib. II. 1. 16. sq. cf. Plutarch. Alcib. c. 36. — Ceterum nonnunquam imperium extra ordinem etiam privatis datum est. Vid. Thucyd. IV. 2. et 28.

16) Cf. Vales. ad Harpocrat. p. 175. Perizon. ad Aelian. V. 13. Taylor. Lectt. Lysiac. p. 320. Wolf. Prolegg. ad Lept. p. XCIV. CII. Böckh. I. p. 195. — Etiam curiam quandam habebant, τὸ Στρατήγιον, ubi conveniebant deliberandi causa. vid. Kuhn. ad Polluc. IX. 41.

17) Vid. Callisthenis, Demonici et Calliae Psephismata ap. Demosth. de coron. p. 238. et 265. Lysias in Diogit. p. 894. R.

18) Demosth. l. l.

19) Philipp. I. p. 47.

Proximi imperatoribus dignitate erant decem Taxiarchi, ex tribubus et ipsi singulis singuli a populo creati[20]). Hi et in delectu habendo imperatoribus aderant, et indices (καταλόγους) juniorum, quibus adhuc merenda erant stipendia, ex sua quisque tribu, conscriptos in potestate habebant, et in bello tribulibus suis, sed hoplitis tantum, praeerant, ordines instruebant, in proelium ducebant[21]). Nam tribuum illa descriptio non minus militiae quam domi valebat[22]). Sed Demosthenes his quoque a re militari otium fere esse conqueritur. Nimirum in mercenariis copiis, ducibus peregrinis salus tunc atque reipublicae sitae erant[23]).

Equitatui praeerant Hipparchi bini, Phylarchi deni, item a populo creati. Atque Phylarchorum quidem eadem apud equites munera erant, quae Taxiarchorum apud hoplitas[24]).

Sequuntur magistratus in re pecuniaria occupati: primum quaestores, qui *Ταμίαι* apud Athenienses dicebantur. Horum plurimi erant, alii aliis officiis, velut οἱ *Ταμίαι τῆς θεοῦ*, decem numero, totidemque *ταμίαι τῶν θεῶν*, quaestores sacrorum aerariorum Minervae aliorumque Deorum. Sed hi sorte ex Pentacosiomedimnis ducebantur. In comitiis autem

---

20) Demosth. Philipp. l. l. Pollux VIII. 87. Barthelemii errores (Voy. du jeune Anachars. Tom. II. p. 164. et 168. ed. Bipont.) refellere non opus est.

21) Aeschin. de fals. leg. p. 335. Demosth. in Boeot. de nom. p. 999. Pollux VIII. 94 et 115, ibique Jungerm. Lexic. Rhetor. Bekkeri, p. 306. Cf. Lysias. in Alcibiad. p. 144. 37. in Agorat. p. 137. 18. pro Mantith. p. 147. 20.

22) Cf. Taylor. Lectt. Lysiac. p. 256. R.

23) Demosth. l. l.

24) Pollux l. l. cf. Sigon. IV. cap. I. p. 632.

creatos esse constat primum quaestorem populi, Ταμίαν s. ἐπιμελητὴν τῆς κοινῆς προσόδου, etiam ταμίαν τῆς διοικήσεως aut ταμίαν τοῦ δήμου dictum, qui per quadriennium munere fungebatur, dein quaestorem Theoricorum, τὸν ἐπὶ τῶν θεωρικῶν τεταγμένον, qui praeerat istis pecuniis, quae populo ad sacra et spectacula concelebranda distribui solebant, denique quaestores triremium sacrarum, Parali et Salaminiae, de quorum omnium muneribus non libet Boeckhium exscribere, qui de iis eruditissime ac subtilissime exposuit[25]). — Eos quoque, qui tributa (εἰσφοράς) a civibus pendenda exigerent, a populo creatos videri, supra dixi[26]). Hi ἐκλογεῖς dicebantur atque iidem fortasse erant cum iis, quos ἐπιγραφεῖς aut διαγραφεῖς dicebant. Etiam inquisitores, (ζητηταί) magistratus extraordinarii, a populo creabantur, qui aut in debitores aerarii aut in maleficos inquirerent[27]), itemque Syndici, qui de bonis publicatis judicabant, quos post eversam triginta virorum dominationem institutos esse Isaeus apud Harpocrationem testatur[28]). Horum frequentissima est in Lysiae orationibus mentio; sed qui apud Aeschinem atque Demosthenem memorantur Syndici, ab his longe diversi sunt[29]).

---

25) Staatshaush. d. Athen. Tom. I. p. 177. 196. 184.

26) Vid. huj. lib. cap. IX. Sed sunt alii quoque ἐκλογεῖς et ἐπιγραφεῖς, de quibus vid. Boeckh. p. 168. 359.

27) Hudtwalcker. de Diaetet. p. 58. et qui ibi laudantur.

28) Harpocrat. in Σύνδικοι, et ibi Valesius. cf. Sigon. de Rep. Ath. IV. 3. p. 618.

29) Hi enim nihil aliud sunt, quam συνήγοροι, causarum patroni, illi autem judices sunt. Confuderunt utrosque Petitus, Legg. Att. p. 336. 337. et ibi Wesseling.; distinxerunt Sigonius, l. l. et c. 6. p. 633. et Heraldus, Animadv. in Salmas. III. cap. 10. §. 13. et 14.

Fuerunt aliquando etiam *Συλλογεῖς*, magistratus extraordinarii a populo creati, *οἵτινες ἀπεγράφοντο τὰς οὐσίας τῶν ὀλιγαρχικῶν*, ut est apud incertum Lexici rhetorici auctorem [30]). Hos nonnisi semel creatos esse putaverim, post liberatam a triginta tyrannorum dominatione civitatem. Nam qui in Inscriptione quadam, circa Olymp. 112, ut videtur, conscripta, nominantur *συλλογεῖς τοῦ δήμου*, hi in sacris occupati erant et nomen fortassis inde traxerunt, quod ad sacros quosdam conventus populum convocare solebant [31]). — Denique creabantur a populo *Σιτῶναι* ad coemendum publice frumentum et in horreis roponendum, et *Βοῶναι*, qui boves ad sacrificia coemerent [32]).

Curatores operum publicorum aut a tribubus creabantur, aut a populo in comitiis. Ac de illis quidem post videbimus; a populo autem ad procurandum bellicum apparatum Pseudo-Plutarchus [33]) creatum esse scribit Lycurgum, atque in Psephismate apud eundem hic *χειροτονηθείς* dicitur *ἐπὶ τῆς τοῦ πολέμου παρασκευῆς*, in eoque munere arma multa, telorum quinquaginta millia in arcem retulisse, triremes quadringentas ad navigandum instruxisse, navalia [34]) inchoata et armamentarium perfecisse. Thea-

---

30) Bekkeri Anecd. I. p. 304.

31) Inscript. ap. Boeckhium, Tab. II. no. VIII. Cf. Boeckh. II. p. 253. Comitia ab iis habita esse, nullum est vestigium, neque ex appellatione conjici potest.

32) De Sitonis vid. Demosth. de coron. p. 310. cf. Boeckh. I. p. 96; de Boonis, Harpocrat. s. v. et Boeckh. I. p. 232.

33) Vitt. X. Oratt. p. 841. C.

34) *Τοὺς νεωσοίκους*, qui partes sunt navalium, *τῶν νεωρίων*. Vid. Hesych. et Etym. M. s. v. Lex. Rhet. Bekkeri, p. 282. Harpocrat. et Suid. s. v. Navalibus autem qui praee-

trum quoque Dionysiacum, Stadium Panathenaicum Lyceumque Gymnasium, alia praeterea opera multa ab eodem exstructa esse idem Psephisma testatur[35]. Itaque horum quoque curatio ei a populo mandata esse videtur. Atque eodem modo Pericles quoque, cum Parthenonem, Odeum, templum Jovis Olympici aliaque multa aedificari curaret, dubium esse non potest, quin a populo ad horum operum curationem creatus fuerit[36].

Scribarum multus erat in Attica republica usus, ideoque permagnus numerus, neque ullus erat major minorve magistratus, cui non scriba suus adesset, aut custos, aut adjutor aut apparitor, aut publice aut ab ipso privatim constitutus[37]. Sed horum scribarum vile habebatur munus, solebantque ut plurimum aut servi esse publici, aut liberi quidem, sed ex infima plebe[38]. Major autem erat dignatio scribarum Senatus ac populi, eorumque, qui *Ἀντιγραφεῖς* dicebantur *τῆς βουλῆς* aut *τῆς διοικήσεως*,

---

rant, *ἐπιμεληταὶ τῶν νεωρίων* dicebantur, ordinarii haud dubie magistratus. Lex. Rhet. l. 1. cf. Sigon. de Rep. Ath. p. 630. Lycurgus autem, bellico apparatui curando extra ordinem creatus, hujus quoque *ἐπιμελητοῦ* munere simul functus est.

35) L. l. p. 852. C.

36) Plutarch. Pericl. cap. 12. 13.

37) Cf. Boeckh. I. p. 198. Archontum quoque, Logistarum, Undecimvirorum scribae memorantur. Pollux, VIII. 92. 102. Aeschin. in Ctesiphont. p. 403. Et quis nescit, quam saepe in judicialibus orationibus scribae excitentur ad recitandum. Erant autem hi, ut videtur, scribae Archontum. De scribis curatorum emporii v. Wesseling. ad Petit. p. 511.

38) Itaque cum contemtu Aeschini exprobrat Demosth. quod *ὑπεγραμμάτευσε καὶ ὑπηρέτησε τοῖς ἀρχιδίοις*. De coron. p. 314. Cf. de fals. leg. p. 419. 403. Petit. Legg. Att. p. 342.

quos Contrascriptores[39]) latine dixeris. Ex illis unus erat γραμματεὺς κατὰ πρυτανείαν, quaque prytania a Senatoribus sorte ductus, cujus munus Pollux fuisse dicit, ut Psephismata aliasque litteras publicas custodiret, ea nimirum, quae per suam prytaniam scripta essent[40]). Hunc fuisse illum puto, qui oratoribus aderat in conscribendis Psephismatibus[41]), ejusque nomen ante Euclidem Psephismatibus praescribebatur[42]). Alter erat γραμματεὺς τῆς βουλῆς, a Senatoribus non sorte sed porrectis manubus creatus, cui legum custodia mandata fuisse dicitur[43]). An alia praeter hoc munera habuerit, igno-

---

39) Exstat vocabulum in Inscriptione apud Gruterum, p. 579. no. 10.

40) Pollux VIII. 98. Mentio ejus est etiam in Timocratis lege, ap. Demosth. in Timocr. p. 720, ex quo loco apparet, eum τὰς τῆς βουλῆς καταγνώσεις (vid. cap. III. huj. lib.) Themothetis tradere oportuisse, quod munus convenientissimum sine dubio erat ei, qui et has et alias omnes litteras publicas custodiret. Sed Demosthenes de fals. leg. p. 381, tabulas publicas custodiri dicit a servo publico: ἐν τοῖς κοινοῖς τοῖς ὑμετέροις γράμμασιν ἐν τῷ μητρῴῳ ταῦτ' ἐστὶν, ἐφ' οἷς ὁ δημόσιος τέτακται. Verisimile mihi videtur, eas tabulas in Metroum illatas esse aliquo demum post tempore, quam conscriptae essent, certe post exactam Prytaniam. Quod si cui secus videbitur, haec non improbabilis erit sententia, Metroo praefuisse quidem scribam illum Prytaniae, sed praeter hunc alium etiam, servum publicum, huic subjectum, cujus perpetuum esset officium, id quod paene necessarium videtur in ejusmodi munere tabularum plurimarum servandarum, quarum ne mediocris quidem notitia brevi tempore comparari potuit. De Metroo cf. lib. I. cap. XII. in.

41) Vid. lib. I. cap. XI.

42) Vid. lib. I. cap. XII. Cf. Corsin. F. A. Diss. XI. Biag. de Decret. Ath. c. XIII et XXXI. Böckh. II. p. 164.

43) Pollux l. l. Hunc Boeckhius I. p. 201. eum esse putat, qui in Inscriptionibus appellatur γραμματεὺς τῶν βουλευτῶν.

ramus. Tertius denique erat, qui a Thucydide γραμματεὺς τῆς πόλεως[44]), ab aliis γραμματεὺς τοῦ δήμου[45]) aut τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου[46]) aut etiam ὑπογραμματεύς dicitur[47]). Is a populo creabatur, atque hoc imprimis muneris habebat, ut in Senatu et in comitiis recitaret[48]).

E contrascriptoribus unus erat ἀντιγραφεὺς τῆς βουλῆς, qui assidebat Senatui et pecuniarum ab eo acceptarum tabulas, fortassis alia quoque Senatus acta contrascribebat[49]). Idem erat, quem redituum quaque prytania rationes confecisse ac populo proposuisse supra diximus[50]. Hic Aeschinis tempore χειροτονητός erat; post autem, ut Julius Pollux ait, sorte capi solepat[51]). Alter, ἀντιγραφεὺς τῆς διοικήσεως, custos appositus erat quaestori administratio-

---

Mentio ejus est apud Demosth. p. 713. (ex quo loco confirmatur, quod Pollux dicit, munus ejus ad leges custodiendas pertinuisse) itemque de coron. p. 258. Permutavit eum Harpocrat. in γραμματεύς et cum scriba Prytaniae et cum contrascriptore.

44) Thucyd. VII. 10.

45) Psephisma ap. Plutarch. vitt. X. oratt.

46) Corsin. F. A. Diss. XI. no. 11. Böckh. I. p. 201.

47) Demosth. de fals. leg. p. 363. Etiam in Inscriptionibus quibusdam ὑπογραμματέως nomen exstat, ab hoc, ut videtur diversi; (vid. Corsin. et Böckh. l. l.) de quo judicare non possum, quoniam mihi Inscriptiones istas videre non contigit.

48) Pollux VIII. 98. cf. Demosth. de fals. leg. p. 419. Hunc scribam designant Suid. in γραμμ. et Lex. Rhet. Bekk. p. 226., a quibus simpliciter γραμματεύς nominatur, ut et a Demosth. l. l.

49) Harpocrot. in ἀντιγρ. Pollux VIII. 98.

50) Cap. IX. huj. lib. cf. Böckh. I. 202.

51) Aeschin. adv. Ctesiph. p. 417. Pollux. l. l.

nis τῷ ταμίᾳ τῆς διοικήσεως, ad contrascribendas acceptorum et expensorum tabulas[52]). Hic quomodo creatus sit, nemo scriptum reliquit; veri simillimum tamen est, sicut priorem illum, ita hunc quoque a populo creatum esse.

Erant etiam curatores quidam festorum, qui a populo creabantur, velut οἱ ἐπιμεληταὶ τῶν μυστηρίων, qui cum Rege sacrorum Eleusiniis celebrandis praeerant[53]); praeterea praefecti Gymnasiorum, σωφρονισταί, deni quotannis e singulis tribubus singuli creati[54]). Cum his una Hyposophronistae, Cosmetae, Anticosmetae nominari solent in Inscriptionibus, qui quomodo creati sint, legere me non memini.

Patronos publicarum causarum (συνδίκους, συνηγόρους) a populo creatos jam supra commemoravimus. Erant hi aut accusatores publici in causis a populo ad Heliasticum judicium rejectis, aut patroni legum antiquarum apud Nomothetas. Sed erant alii quoque Syndici ad agendam reipublicae causam contra aliam quampiam civitatem apud extraneos judices a populo creati. Ita, cum de templo Apollinis Deliaco controversia inter Athenienses Deliosque orta esset judiciumque Amphictyonico concilio commissum, Aeschines ad defendendam in eo judicio civium suorum causam a populo creatus est[55]). Tales autem Syndici diversi erant a Pylagoris seu ordinariis legatis Amphictyonicis, quos

52) Harpocrat. l. l. et Suid. cf. Böckh. l. l.

53) Lex. Rhet. Bekk. p. 279. Pollux, VIII. 90. Harpocrat. s. v. et ib. Valesius.

54) Lex. Rhet. Bekk. p. 301. Etymol. M. s. v. Corsin. F. A. Diss. XI. 8.

55) Demosth. de coron. p. 271. 272.

et ipsos, sicut ceteros omnes legatos a populo creatos esse jam ante diximus. — Denique legabantur nonnunquam a populo ad explorandum mercenariarum copiarum numerum legati quidam, ἐξετασταὶ τῶν ξένων, ne fraudem reipublicae facere possent imperatores majorem, quam pro vero militum numero stipendii summam postulantes [56]). Hi quoque legati χειροτονητοί erant [57]).

Reliquum est, ut videamus, quomodo illi magistratus a populo creati sint. Primum igitur notum est, comitia magistratuum creandorum ἀρχαιρεσίας dici [58]). Haec etiam extremis temporibus, cum de reliquis omnibus rebus populus in Bacchi theatro congregari soleret, in Pnyce habita esse Grammatici testantur [59]). Ordinariorum magistratuum creationi certa tempora legibus constituta fuisse, verisimillimum est; sed res idoneis testibus caret [60]). Nam quod Grammaticus quidam [61]) tradit, quatuor

56) Vid. qui laudantur a Boeckhio, I. p. 315.

57) Aeschin. in Timarch. p. 131.

58) Xenoph. Memorab. III. 4. 1. Cf. συναγωγὴ λεξ. χρησ. in Bekkeri Anecd. I. p. 449., ubi docemur, quod etiam aliunde non ignotum, pluralem tantum hujus vocabuli numerum ap. Atticos usitatum esse. Singularis exstat ap. Herodot. VI. 58. De forma plurali ἀρχαιρέσια vid. Moeris. Isaei locus, de Apollodor. hered. p. 66. 15. corruptus est.

59) Pollux VIII. 154. Hesych. in Πνύξ, cujus observatio pertinet ad ea tempora, cum sub Romanorum imperio, summus Athenis magistratus esset unus Strategus. Vid. Corsin. F. A. Diss. I. no. 38.

60) De sortitione magistratuum tale quid conjici potest ex Inscriptione ap. Böckh. Tab. II. no. III. Ταμίας δὲ ἀποκυαμεύειν τούτων τῶν χρημάτων, ὅτανπερ τὰς ἄλλας ἀρχάς.

61) Auct. argum. 2. ad Dem. or. in Androt. p. 590., ubi pro δύο ἡμέρας legendum esse τέσσαρας ἡμέρας, jam alii intellexerunt. Vid. Taylor. ad h. l.

postremos anni lunaris dies, a XXVI ad XXIX mensis Scirrhophorionis, ἀρχαιρεσίας dictos esse, quia his diebus magistratus creati sint, id vel propter hanc unam causam cuivis maxime dubium videri oportet, quod etiam ἄναρχον eodem quatriduo civitatem, sine magistratubus, sine Senatu ac Prytanibus fuisse docet. Atqui hoc manifesto falsum esse, jamdudum ab aliis intellectum est[62]). Vide igitur, ne una cum commentitia ista ἀναρχίᾳ etiam ἀρχαιρεσίαι corruant. Nimirum Graeculus noster, cum veteres magistratus quatriduo ante novi anni initium munera sua deposuisse crederet, novos autem in eorum locum non ante anni principium succedere solitos esse accepisset, quid aliud isto suo quatriduo faceret, nisi novos magistratus a populo creari decerneret? Aptissimo sane tempore, quo, secundum Grammaticum nostrum, ne comitia quidem haberi potuerunt. Nullos enim magistratus, nullos Senatores, nullos Prytanes fuisse dicit. Quis igitur convocavit populum, quis praefuit comitiis, quis rogavit magistratus? Archontesne aut Prytanes? Ergo hos adhuc fungi muneribus oportuit, neque ἄναρχος esse civitas potuit. Vide, quam secum ipse pugnet Grammaticus. — Sed, inquit, fefellit bonum virum ratio in eo, quod magistratus eo tempore fuisse negat, qui re vera fuerunt: num propterea statim illud quoque falsum est, quod dicit, novos magistratus eo quatriduo creandos fuisse? Annon hoc saltem ex bono aliquo fonte haustum esse potest, etiamsi illud alterum pro suo ca-

62) Sigon. de Rep. Ath. II. cap. 3. p. 560. Dodwell. de Cyclis, Diss. I. sect. 9. et 10. Corsin. F. A. Diss. II. no. 15. III. no. 28. Ceterum Grammatici commentum ad solos χειροτονητούς referendum putavi, quoniam κληρωτῶν creationem ἀρχαιρεσίας dici non memini.

ptu ipse commentus esse videri debet? — Utrumque, mihi crede, ex eodem fonte manavit, utrumque commentitium est. Nam, ut taceam, nullam esse ejus rei mentionem, nullum vestigium, neque apud veterem quemquam scriptorem, neque apud alios Grammaticos, quis est, qui persuadere sibi possit, tam multos magistratus tam brevi tempore commendari, rogari, creari potuisse? Quid? quod vel ex ipso illo quatriduo dies unus et alter detrahendi sunt? Nam postremus quidem anni dies festus erat; sacra fiebant Jovi Sospitatori, neque fas erat eo die judicia haberi, Lysia teste [63]). Num tu igitur comitia haberi fas fuisse putas? Proximo autem die, qui erat anni penultimus, judicia habita esse, ex ejusdem Lysiae oratione in Euandrum patet [64]). Igitur comitia eo die haberi non poterant. Superest igitur ex quatriduo biduum, Scirrhophorionis d. XXVI et XXVII. Sed vigesimo septimo Scirrhophorionis die comitia habita videmus extraordinaria, in Piraeeo, de navalibus [65]). Neque igitur potuit is dies magistratuum creationi legibus destinatus esse. Quis autem tam stultus est, qui credat, unquam fieri potuisse, ut uno die omnes magistratus χειροτονητοί a populo crearentur? Comitia ista in Piraeeo extraordinaria fuerunt. Vulgo biduum ἀρχαιρεσίαις datum erat. Non magis biduo creari poterant. Quid? cum in judicium δοκιμασίας apud Heliastas designati magistratus vocarentur, id quod

---

63) Orat. in Euandrum, p. 175. 36. Cf. supr. cap. X. huj. libr.

64) Ibid. lin. 38. quem locum in versione perperam expressit Reiskius, quamquam recte a Marcklando explicatum, nisi quod hic Thesmothetam Euandrum creatum esse putat.

65) Demosth. de fals. legat. p. 359. 360. Adhibuit hunc locum etiam Corsinius, l. l. II. 15.

fieri solitum, haec omnia judicia uno die rite institui et peragi poterant? Quid? si reprobati a judicibus essent? Quod tandem tempus supererat novis magistratubus in eorum locum creandis, examinandis, probandis? — Erat aliquando Euander quidam Archon eponymus[66]) creatus, qui, cum δοκιμασίας judicium timeret, impetravit a Thesmothetis[67], ut ne ante penultimum anni diem in judicio sisteretur. Ibi ut commoveret judices, ne se reprobarent, hac quoque usus est ratione, ut diceret, si ipse reprobatus esset, tempus jam non fore alius

66) Errant, qui eum Regem sacrorum creatum esse putant, fortassis eo inducti, quod Lysias ait, p. 176. 20. *Πῶς οἴεσθε τὸ ἄλλο πλῆθος τῶν πολιτῶν διακείσεσθαι, ὅταν αἴσθωνται — — — φόνου δίκας δικάζοντα, ὃν ἔδει αὐτὸν ὑπὸ τῆς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλῆς κρίνεσθαι.* Sed meminisse debebant eorum, quae paullo ante dixerat: *ἀξιοῖ — μετὰ τῆς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλῆς τὸν ἅπαντα χρόνον τῶν μεγίστων κύριος γενέσθαι,* quoniam videlicet omnes novem Archontes post annum finitum Areopagitae fieri solebant. Hoc igitur illo loco Lysias dicit, Euandrum, anno exacto Areopagitam factum, de caede judicaturum esse. Non regem eum, neque Thesmothetam, quod nescio unde collegerit Marklandus, sed Eponymum creatum, ostendunt haec Lysiae verba, lin. 21. *καὶ πρὸς τούτοις ἴδωσιν ἐστεφανωμένον, καὶ ἐπικλήρων καὶ ὀρφανῶν κύριον γεγενημένον.* (Cf. Pollux VIII. 89.) Adde p. 175. 40. *ἔστι δ' ὑμῖν οὐ τοῦτο μόνον σκεπτέον, ἀλλὰ καὶ πότερον εὐσεβέστερον, τὸν βασιλέα καὶ τοὺς συνάρχοντας τὰ ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος ἄρξειν ἱερὰ θῦσαι κ. τ. λ.* Ubi *ὁ μέλλων ἄρξειν*, nemo alius est, nisi *ὁ τὴν ἐπώνυμον ἀρχὴν μέλλων λήξεσθαι, ἐπειδὰν ὁ Εὔανδρος ἀποδοκιμασθῇ.* Hujus igitur loco Archontem Regem, qui proximus est post Eponymum, sacra facere vult. Reiskius, cum Euandrum ipsum Regem factum putaret, haec omnia perperam interpretatus est.

67) Lysias p. 175. 59. *τὴν ἐξιοῦσαν ἀρχὴν πέπεικεν.* Thesmothetae intelligendi sunt, non Eponymus, ut Marklandus voluit. Illorum erat *εἰσάγειν δοκιμασίαν ταῖς ἀρχαῖς.* Pollux VIII. 88.

Archontis creandi; fore igitur, ut sacra patria rite peragi nequirent. Itaque, si ne sorte quidem duci magistratus eo tempore poterat, multo etiam minus in comitiis a populo creari poterat. Et quod in sortitis magistratubus fortassis semel tantum per nefas factum est, ut δοκιμασία in penultimum anni diem differretur, id profecto in χειροτονητοῖς non potuit lege sancitum esse. Sed vereor, ne nimis jam multa dixisse videar de re apertissima.

Quae igitur tempora magistratuum comitiis statuta legibus fuerint, ignorari a nobis fateamur oportet; neque multo minus illud incertum est, qui magistratus his comitiis praefuerint. Strategorum quidem, Taxiarchorum, Hipparchorum et Phylarchorum creationem a novem Archontibus curatam esse legimus apud Pollucem[68]): num igitur eorundem fuit, etiam reliquos magistratus, ordinarios saltem, creare? Equidem, cum praeter illos nulli a Polluce nominentur, reliquorum comitiis non Archontes praefuisse crediderim, sed eosdem, qui vulgo omnia comitia habere solebant, Prytanes cum Proedris. Qui magistratum aliquem ambierunt, σπουδαρχάς dictos esse, notum est[69]), unde ridiculum vocabulum apud Aristophanem, σπουδαρχίδης, de eo, qui cupide magistratus petit[70]). Sed ipsum ambiendi morem non tam multis in Attica, quam in Romana historia exemplis illustrare possumus; quamquam ut rarum et memorabile narratur Phocionis exemplum, qui plurima imperia adeptus sit absens, sine petitione et ambitu. Ἐστρατήγησε, inquit Plutarchus[71]),

---

68) VIII. 87.

69) Xenoph. Sympos. cap. I. §. 4.

70) Acharn. v. 595. Brunck.

71) Vit. Phocion. cap. 8.

πλείστας οὐ μόνον τῶν καθ' ἑαυτὸν, ἀλλὰ καὶ τῶν πρὸ αὑτοῦ στρατηγίας, οὐ παραγγέλλων, οὐδὲ μετιών. Sed ipsum illud verbum παραγγέλλειν apud veteres Atticos hoc sensu non usurpatur; hi aut ἀρχαιρεσιάζειν dixerunt, quod verbum ex Isaeo et Dinarcho notarunt Grammatici[72]), aut σπουδαρχιᾶν, quod apud Suidam exstat[73]). Neque incognitas aut intentatas Atticis petitoribus fuisse captandae popularis aurae vias, vel ex eo intelligi potest, quod verbum illud ἀρχαιρεσιάζειν, quod propriam habet ambiendi et petendi magistratus significationem, etiam adulari plebi et multitudinis favorem venari significat: τὸ πρὸς χάριν τοῖς πολλοῖς ζῆν[74]). Ex his honestissima merito dicenda est liberalitas erga cives, qua Cimon omnibus antecelluisse dicitur, et liturgiarum munificentia, quae Niciae summum populi favorem conciliavit[75]). Sed quam multae etiam inhoneste et per nefas crescendi opportunitates in tali reipublicae forma ambitiosis hominibus oblatae sint, non opus est commemorare. Ambitus et illicitae largitiones non minus in Atheniensium comitiis quam in Romanorum versari saepissime solebant, queriturque Isocrates[76]), suo tempore, ut quis impudentissime

---

72) Harpocrat. et Suid. s. v. Συναγ. λεξ. χρησιμ. p. 449. Pollux VIII. 82.

73) Apud Xenophontem petitores simpliciter dicuntur αἱρεθῆναι ἐπιμελούμενοι. Memorab. III. cap. I. §. 3.

74) Hesych. in ἀρχαιρεσιάζειν. cf. Bekker. Anecdot. I. p. 449. 28.

75) Plutarch. Cimon. cap. 10. Nic. cap. 3. — Cf. Lys. de Aristoph. bon. p. 157. 9. εἰσὶ δέ τινες οἱ προαναλίσκοντες (εἰς λειτουργίας), οὐ μόνον τούτου ἕνεκεν, ἀλλ' ἵνα ἄρχειν ὑφ' ὑμῶν ἀξιωθέντες, διπλάσια κομίσωνται.

76) Social. p. 400. Οὕτως ὀλίγον αὐτῶν (τῶν νόμων) φροντίζομεν, ὥστε θανάτου τῆς ζημίας ἐπικειμένης, ἥν τις ἁλῷ δεκά-

largitus sit, ita maxime imperatorem creari, et quo quis plures cives corruperit, eo ampliores magistratus adipisci, quamquam capitali supplicio illud crimen, δεκασμόν Athenienses dicunt, leges vindicari jubeant[77].

Ab illis autem, quos praefuisse magistratuum comitiis diximus, Archontibus aut Prytanibus, eorum, qui professi erant, nomina ad populum ferebantur, isque rogabatur, quem ex iis magistratum fieri juberet. Id προβάλλεσθαι dixerunt Athenienses, remque ipsam προβολήν[78]. Populus voluntatem suam porrectis manubus declarabat, eratque is legitimus in istis comitiis suffragii ferendi modus; nunquam in iis calculis aut tabellis, πινακίοις, utebantur, quorum in sortitione magistratuum usus

ζων, τοὺς τοῦτο φανερώτατα ποιοῦντας στρατηγοὺς χειροτονοῦμεν, καὶ τὸν πλείστους τῶν πολιτῶν διαφθεῖραι δυνηθέντα, τοῦτον ἐπὶ τὰ μέγιστα τῶν πραγμάτων καθίσταμεν.

77) Omisit hanc legem Petitus. Συνδεκάζειν τὴν ἐκκλησίαν legitur ap. Aeschinem in Timarch. p. 109. De corruptela Senatus et judiciorum vid. Petit. p. 427. Quid differat δώρων γραφή et γρ. δεκασμοῦ, vid. ap. Polluc. VIII. 42.

78) Demosth. de coron. p. 277. Aeschin. de fals. legat. p. 202. qui se legatum προβληθῆναι dicit a Nausicle, Demosthenem autem a Philocrate, quorum uterque et ipse legatus erat, neuter, ut puto, Prytanis. Et sane in iis muneribus, quae peti a candidatis et ambiri non poterant, quo ex genere sunt legationes, consentaneum erat, non a Prytanibus solum, sed a quocunque alio hunc vel illum populo commendari, id quod etiam tunc factum sit necesse est, si cui sine petitione ordinarius magistratus datus est, quemadmodum Phocioni saepissime. — Ceterum nomen προβολή eo, quem indicavi, sensu frequens est apud Platonem in sexto de legibus, veluti p. 765. B. Cavendum autem est, ne hanc vocabuli significationem confundamus cum illa, de qua dixi cap. V. hujus libri.

erat[79]). Sed haec ad comitia non pertinebat: nam quod Petitus autumavit, populi suffragiis designari oportuisse eos, inter quos sortiri liceret, jam dudum ab aliis refutatum est[80]).

Liberum erat iis qui creati erant, munus sibi mandatum recusare et ejurare propter morbum aliasve causas sonticas, quod dicebatur: ἐξόμνυσθαι τὴν ἀρχήν aut τὴν χειροτονίαν[81]). Ceterum omnibus, antequam magistratum auspicarentur, subeundum erat δοκιμασίας judicium, licebatque cuivis eos aut propter vitae turpitudinem commissaque flagitia, aut propter malum in rempublicam animum, aut propter aliam quamcunque causam indignos esse honoribus arguere. Exercebantur autem ejusmodi judicia a Thesmothetis[82]). Qui reprobati erant a judicibus, quod ἀποδοκιμασθῆναι dicitur, non solum non accipiebant magistratum, sed etiam ἀτιμίᾳ quadam afficiebantur, si fides habenda est auctori primae in Aristogitonem orationis. Is enim eos dicendi in comitiis jure privatos esse dicit[83]).

---

79) Demosth. in Boeot. de nom. p. 998. cf. Petit. Legg. Att. p. 303.

80) Petit. l. l. p. 302. Perizon. ad Aelian. VIII. 10. Sed uterque verba: ἄρχειν ἐφιέμενοι, ap. Harpocrat. in ἐπιλαχών, ita accepit, quasi indicarentur ii, quibus permissum esset, magistratus capere, cum ii potius designentur, qui petant magistratum, qui cupiant magistratum capere. Haec enim verbi ἐφίεσθαι vis cui ignota est?

81) Aeschin. de falsa leg. p. 271. Demosth. d. f. l. p. 379. Cf. Harpocration. in ἐξωμοσία et ibi Vales. Polluc. VIII. 55.

82) Petit. Legg. Att. p. 306. sq.

83) Orat. in Aristogit. I. p. 779. — εἴ τις εἴποι — ἐξεῖναι λέγειν — τοῖς ἀποδεδοκιμασμένοις, ἄρχειν λαχοῦσιν, ubi illud λαχοῦσιν non urgendum est. Sunt enim οἱ λαχόντες omnes, quibus magistratus obtigerit, sive populi suffragiis, sive sorte

Sed iis etiam, qui probati in judicio magistratum ingressi erant, indentidem in comitiis civium censura subeunda erat. In prima enim cujusque Prytaniae ecclesia Archontum erat officium, interrogare populum, numqui ex magistratubus in muneribus suis administrandis tam graviter deliquisse viderentur, ut removendi a republica essent. Ibi cuivis, etiam privato, facultas data erat, de magistratuum injuriis ac delictis querelas aut delationes ad populum deferendi, quae si justae et graves populo visae essent, illi muneribus abire coacti etiam ultro in judicium vocari poterant. Sed haec jam ante, capite quinto ad necessitudinem rei satis explicata sunt[84]. Non mirum autem hoc institutum videri debet in tali republica, in qua, cum omnibus promiscue ad summos quosque honores aditus pateret, fieri non poterat, quin ii saepe ad homines impuros, et qui potestate sua male abuterentur, pervenirent.

χειροτονητοί et κληρωτοί. Neque enim ulla probabilis causa excogitari potest, cur in sortitis magistratubus id valuerit, in creatis non item.

84) Exempla magistratuum muneribus a populo privatorum, (ἀποχειροτονηθέντων) exstant ap. Demosth. in Timoth. p. 1187, in Theocrin. p. 1330. Dinarch. in Philocl. p. 110. lin. 11. Atque huc pertinet etiam Demosth. in Aristocrat. p. 669. ubi dicit ἀστράτηγον ποιεῖν, pro ἀποχειροτονεῖν, et Plutarch. Pericl. cap. 35. quamquam aliena ibi est ψήφων mentio. Nam non calculis sed χειροτονίᾳ populum de magistratubus removendis sententiam tulisse, vel ipsa vocabula ἐπιχειροτονία, ἀποχειροτονεῖν satis demonstrant.

CAPUT XII.

De aliis quibusdam rebus in comitiis tractari solitis.

Restant pauca quaedam rerum genera, de quibus in comitiis cum populo agi solebat, quae breviter hoc capite tractanda nobis sunt. Ac primum quidem tradit Harpocratio, vel potius Aristoteles, quem ille auctorem sequitur, in prima Prytaniae ecclesia etiam de agri Attici custodia et praesidiis cum populo actum esse [1]). Erat enim Attica omnis passim castellis quibusdam munita, quae φυλακτήρια aut περιπόλια dicebantur [2]), in quibus et praesidium agebant juniores cives, et circum regionem inde discurrebant, agrorum tuendorum furtorumque coercendorum causa. Et apud Xenophontem [3]) Socrates a futuro oratore publico, consiliis civitatem adjuturo, hoc quoque requirit, ut cognita habeat, quae ad agri custodiam pertineant, quae praesidia opportuna sint atque necessaria, quae contra, quique custodum numerus ubique sufficiat aut non sufficiat, ut de iis aut augendis aut diminuendis consulere utiliter populo possit. Erant autem costodes isti cives juniores, tirones, ἔφηβοι, nuper in curialium tabulas inscripti [4]), dicebanturque περίπολοι, circuitores, quoniam agros circuibant. Moris autem erat, ut alternis annis, concione in theatro convo-

---

1) Harpocrat. in κυρία ἐκκλησία.

2) Harpocrat. in περίπολοι. Jul. Pollux IX. 16., et ib. Kühn. et Jungermann. Cf. Duck. ad Thucyd. VI. 45.

3) Memorabb. III. 6. 10.

4) Qua aetate inscribi consueverint, dixi supra, lib. I. cap. 6.

cata, producerentur illi tirones, hastaque et scuto publice donarentur[5]), inde in Aglauri fanum[6]) pergerent et solenne ibi juramentum jurarent, cujus formula, secundum Joann. Stobaeum[7]), haec erat: *Non dehonestabo sacra haec arma, neque deseram in acie locum. Dimicabo pro aris et focis, et solus et cum aliis. Patriam non minorem sed majorem et potentiorem posteris relinquam. Obtemperabo iis, qui jus dicent prudenter. Legibus parebo, et quae nunc obtinent, et quae populus in posterum sanciet. Si quis leges evertet aut migrabit, non patiar, sed vindicabo et solus et cum omnibus. Sacra patria colam. Testes Dii sunto, Aglaurus, Enyalius, Mars, Iupiter, Thallo, Auxe, Hegemone.* Inde aut annum aut biennium, externae militiae immunes, circuitorum munere fungebantur[8]). Atque de his hactenus.

Porro si qui essent, qui supplices aliqua de re cum populo agere vellent, iis in secunda Prytaniae ecclesia aditum datum esse Julius Pollux scribit[9]). Supplices autem, cum ramis oleae, alba lana revinctis, considere in aris solebant aut Matris Deorum aut Misericordiae, quae erant in foro, aut in ara

---

5) Harpocrat. in περίπολοι, et ib. Maussac. Vales. ad Maussac. p. 318. sq.

6) Unum hujus deae fanum in foro, prope aedem Castoris et Pollucis, memoratur a Pausania, Att. XVIII. 2., alterum in arce, ab Herodoto, VIII. cap. 53.

7) Stob. serm. XLI. N. 141. Cf. Jul. Pollux, VIII. 105. sq. et ib. Interpretes. Petit. Legg. Att. p. 231. sqq. et ibi Wessel. Taylor. ad Lycurg. in Leocrat. p. 189. R.

8) Harpocr. et Pollux l. l. cum Inttpp. Schol. Thucyd. IV. 67. et ib. Wass. et Duck.

9) VIII. 96.

quadam Munychiae aliisve locis sacris[10]), donec in Senatum aut concionem productis venia daretur, impune, quae vellent, eloquendi. Ita, ut exemplis res clarior fiat, apud Aeschinem[11]) legimus, expugnata a Philippo Olynthiorum urbe, cum simul cives quidam Attici, Olynthi tunc forte degentes, a Macedonibus capti essent, horum propinquos supplices in concionem prodiisse, populumque orasse, ut illorum, qui capti essent, salutem curae sibi haberet. Hoc quoque haud raro factum est, ut Trierarchi, qui muneri explendo impares essent, oneris levationem, aut debitores aerarii, qui insolvendo essent, debiti remissionem a populo peterent[12]). Et Pittalacum quendam servum publicum Aeschines narrat[13]), cum ab Hegesandro et Timarcho gravissimis contumeliis affectus esset, supplicem in ara Matris Deorum consedisse, ut videlicet querelam ad populum deferret, ejusque beneficio ulcisceretur homines potentes, quos in judicio persequi neque facile sibi neque tutum existumabat. His addi possunt Menonis et Agorati exempla, quae jam antea attigimus[14]). Uterque, cum indicia quaedam ad populum delaturus esset,

---

10 De ramis supplicum, ἱκετηρίαις, vid. Spanhem. ad Aristoph. Plut. v. 383. Duck. et Wessel. ad Petit. Legg. Att. p. 106. — De ara Matris Deorum, Aeschin. in Timarch. p. 84. De ara Misericordiae, Schol. ad Aeschin. de f. l. p. 200. cf. Pausan. Att. XVII. 1. De ara Munychia, Lys. in Agorat. p. 132. 5. Demosth. de coron. p. 262.

11) Or. de falsa legat. p. 200.

12) Demosth. de coron. p. 262. in Timocrat. p. 716.

13) In Timarch. p. 84.

14) Plutarch. Pericl. cap. 31. Lysias in Agorat. p. 132. cf. supr. cap. 4. huj. lib.

supplex in ara consedit, veniam sibi et impunitatem quaerens.

Sed duplex statui potest illorum supplicum genus: alterum eorum, qui beneficium aliquod aut auxilium a populo petunt; alterum eorum, qui, maleficium aliquod delaturi, cujus ipsi affines sunt, impunitatem a populo poscunt. Utrisque ἀδείᾳ opus est: illis, ut liceat, verba in comitiis facere de rebus non propositis a Prytanibus; his autem, ἀδεία est ipsa, quam petunt, maleficiorum impunitas[15]). Atque hoc est, quod Julius Pollux dicit: ἡ δευτέρα ἐκκλησία ἀνεῖται τοῖς βουλομένοις, ἱκετηρίαν θεμένοις, λέγειν ἀδεῶς (i. e. ἐπὶ ἀδείᾳ) περί τε τῶν ἰδίων καὶ τῶν δημοσίων. Denique praemia quoque et honores civibus aut peregrinis bene de republica meritis, aut civitatibus etiam exteris habendi, in comitiis a populo decernebantur. Sed de his non est, quod fusius hoc loco disputem; tractata res et ab aliis est, et nuper copiosissime a Koehlero[16]), quem neque compilare libet, neque, quae ei adhuc dicenda restant, occupare. Itaque capita tantum attigisse satis habebo. — Vulgatissimum Aeschinis atque Demosthenis aetate genus praemiorum erant coronae, oleaginae aut aureae, quas primi omnium Athenienses dare instituerunt; accepisse autem primus oleaginam coronam Pericles dicitur[17]). Sed

---

15) De universa vocabuli significatione cf. Boeckh. Staatshaushalt. d. Athen. II. p. 184.

16) *Etwas zur Beantwortung der Frage: gab es bei den Alten Belohnungen des Verdienstes um den Staat, welche den Ritterorden neuer Zeit ähnlich waren?* In Morgensternii: *Dörptische Beyträge für Freunde der Philosophie, Litteratur und Kunst. Ann.* 1813. P. II. 1814. P. I.

17) Valer. Maxim. II. 6. 5.

principio rarus admodum erat is honor; post etiam mediocrium meritorum vulgare praemium, non a populo solum in comitiis, aut a Senatu quingentorum, sed etiam a tribubus et curiis singulis saepissime datum. Honorificentissimae tamen erant coronae, aut a Senatu aut in comitiis decretae, (neque hae ipsae absque Senatus auctoritate a populo decerni poterant)[18]); has enim solas aut in theatro, per ludorum solennia, aut in comitiis renuntiari a praecone licebat; reliquas non item[19]). Nisi si qui civis Atticus ab extera quapiam civitate coronae honore dignatus esset, hanc quoque in theatro renuntiari populus, legatione rogatus, concedere solebat, dummodo ille se dignum tali honore probasset[20]).

Reliqua praemia, quorum passim apud scriptores mentio fit, haec fere sunt. Primum ἀτέλεια, immunitas, aut privatis, aut civitatibus regibusve data. Atque in privatis quidem, civibus et peregrinis, ἀτέλεια significare solet tributorum et liturgiarum, praeterquam trierarchiae, vocationem[21]); quamquam fuerunt etiam alia immunitatum genera[22]). Civitates autem aut reges ἀτελείας beneficio a portoriis et vectigalibus in commercio immunes fiebant[23]). — Porro σίτησις ἐν πρυτανείῳ, quotidianus in Prytaneo victus, qui mos cuivis vel e Socratis

18) De forma talium decretorum cf. Hemsterhus. ad Lucian. Timon. cap. 50.

19) Cf. qui a Koehlero laudantur, lib. III. p. 22. sq.

20) Aeschin. in Ctesiphont. p. 437. 639. 641.

21) Wolf. Prolegg. ad Lept. p. LXXI. Cf. Böckh. I. p. 93. II. 5. 82.

22) Böckh. I. p. 93. Cf. Theophrast. Charact. XXIII. 3. Hemsterhus. ad Polluc. VIII. 140.

23) Wolf. l. l.

historia notus est. Sed qui in perpetuum illo praemio ornati erant, ἀείσιτοι dicebantur[24]); alii honoris causa semel ad coenam in Prytaneo invitabantur, velut legati, post administratam legationem domum reversi[25]). — Προεδρία, sedes in theatro aliisque publicis conventubus primaria[26]). — Εἰκών, statua aut picta imago, in publico posita[27]), et ἐπιγράμματα, tituli atque inscriptiones honorificae in publicis monumentis[28]), nomen εὐεργέτου[29]), aliaque ejusmodi. Atque hi omnium honorum summi reputabantur. — Alia erant, quibus excellentium virorum etiam post mortem memoria colebatur, funus publico sumtu, liberorum educatio, filiarum dotatio, victus posteris publice praebitus, agri aliaque dona data, quae omnia Aristidi ejusque posteris contigisse Plutarchus scribit[30]). — Alia praemia peregrinorum propria erant ἰσοτελεία, de qua jam supra dictum est[31]), et προξενία, publicum cum civitate Attica hospitium[32]). Ἐπιγαμίαν quoque, jus connubiorum, exteris civitatibus aliquando datam

24) Pollux IX. 40. Hesych. s. v.

25) Pollux l. l. Cf. cap. 8. huj. libr.

26) Casaub. ad Theophrast. Charact. cap. 5. 3. p. 70. ed. Fischer. Hemsterhus. ad Polluc. VIII. 133.

27) Petit. Legg. Att. p. 377. Meurs. Ceram. gem. cap. 16. Dinarch. in Demosth. p. 95. 34. Nep. Miltiad. c. 6. Pausan. Att. c. 15. §. 4. cf. Lys. fraffm. 64. ibiq. Taylor. p. 18. R.

28) Wolf. ad Leptin. p. 288. 331.

29) Wolf. l. l. p. 282. cf. Lys. pr. Polystrato, p. 159, 39. Steph.

30) Plutarch. Aristid. cap. 27.

31) Vid. lib. I. cap. 6.

32) Spanhem. ad Aristoph. Ran. v. 461. Valcken. Anim. ad Ammon. p. 201. sq. Wolf. ad Lept. 355.

esse legimus[33]); quin etiam civitatis jus nonnunquam universis peregrinarum urbium ac rerumpublicarum civibus impertitum est, ut omnes qui inde in Atticam commigrassent, eo ipso cives Attici fierent[34]). Sed hoc admodum raro factum; neque singulis quidem hominibus antiquitus frequenter is honor, etiam pro insignibus meritis, tribui solebat, quippe qui longe praeclarissimus et omnibus meritis major haberetur[35]). Post autem, labente paullatim disciplina, imminutaque vetere reipublicae majestate, viliore pretio civitatem suam aestimare coeperunt, adeo ut Isocrates queratur, facilius nobilitatem suam Athenienses quam ignobilitatem suam Triballos aut Lucanos extraneis quibusvis hominibus impertiri solere[36]). Tamen vernas, *τοὺς φύσει δούλους*, in civitatem recipi leges vetabant[37]); neque omnino alios ullos cives fieri Solon voluerat, nisi eos, qui aut in perpetuum exilium patria sua pulsi essent, aut artis factitandae causa suam suorumque omnium sedem Athenis fixissent[38]). Sed ab hac quidem lege posterior aetas

---

33) Cf. Lysias in fragm. *περὶ τοῦ μὴ καταλῦσαι τὴν πατρ. πολιτ.* p. 920. Reisk. (e Dionys. Halic. vit. Lys. p. 93. Sylb.) Isocrat. Plataic. p. 728. Spanhem. Orb. Rom. Exercit. II. cap. 22. p. 359. sq. (ed. Heinecc. Hal. et Lips. 1728.)

34) Isocrat. Plat. p. 723. Demosth. in Neaer. p. 1386. Cf. Spanhem. Orb. Rom. Exerc. I. cap. 4. p. 18 sq.

35) Orat. *περὶ συντάξ.* inter Demosthenicas, p. 173.

36) Isocrat. Social. p. 400. *Σεμυνόμεθα μὲν καὶ μέγα φρονοῦμεν ἐπὶ τῷ βέλτιον γεγονέναι τῶν ἄλλων· ῥᾷον δὲ μεταδίδομεν τοῖς βουλομένοις ταύτης τῆς εὐγενείας, ἢ Τριβαλλοὶ καὶ Λευκανοὶ τῆς αὑτῶν δυσγενείας.* Similes querelae sunt ap. Demosth. in Aristocrat. p. 687.

37) Dio Chrysost. Or. XV. p. 239. D. Petit. Legg. Att. p. 204.

38) Plutarch. Solon. cap. 24.

saepenumero recessit, multisque honoris causa civitas data est exterarum et longinquarum civitatum principibus regibusque, quorum plerique ne viderant quidem Athenas, nedum sedem ibi collocassent[39]). Ceterum de roganda decernendaque in comitiis civitate hasce legum praescriptiones e Demosthene, vel quisquis est, qui orationem in Neaeram scripsit, cognoscimus[40]).

Primum non licuit civem fieri nisi eum, qui virtute et meritis in rempublicam dignum se civitate praestitisset. Itaque in Psephismatibus indicari solebat, qua quisque causa civitatem commeruisset, et, si indigno data esset, impugnari Psephisma a quovis cive poterat, et γραφὴ παρανόμων institui. Porro in binis comitiis rogari populum de civitate danda oportuit; neque, si in prioribus data esset, ratum propterea erat decretum, nisi in posterioribus sex mille haud minus cives suffragiis suis comprobassent. Suffragia autem erant calculorum, ferebanturque occulte, antequam septis vel cratibus, quibus occlusi erant comitii aditus, remotis atque sublatis, peregrini quoque, si qui agere cum populo vellent, intromitterentur[41]).

Qui hoc modo in civitatem recepti erant, dicebantur δημοποιητοί et aequo erant cum indigenis civibus jure, praeterquam quod tribubus quidem et curiis, non autem phratriis et gentibus adscribebantur, neque Archontes fieri aut sacerdotia capere po-

---

39) Perdiccae Macedonum, Cotyi Thracum regibus, Menoni Pharsalio, Charidemo, Sitalci, Sadoci, Teri, Cersobleptae, Leuconi, Dionysio Syracusano, Euagorae Cyprio aliisque. Vid. qui laudantur a Spanhemio l. l. p. 9.

40) Orat. in Neaer. p. 1375.

41) Cf. lib. I. cap. 4.

terant. Sed liberi eorum, ex Attica cive legitimo matrimonio procreati, hac quoque parte reliquis civibus aequabantur[42]).

Haec fuerunt, quae de comitiorum potestate rerumque in iis tractatarum generibus dicenda habui. Jam facile pro se quisque ex his omnibus colligere poterit, et quam late Athenis patuerit civium jus atque libertas, et quantum inde aut commodorum aut magis etiam incommodorum in rempublicam redundare oportuerit. Neque enim profecto absque illa libertate Athenae unquam, tantae, quantae fuerunt, factae essent, Hellas in Hellade, lumen Graeciae ac praesidium, *αἴτε λιπαραὶ*, ut Pindarus canit, *καὶ ἀοίδιμοι Ἑλλάδος ἔρεισμ᾽ Ἀθᾶναι.* Neque miraremus nunc nos tam multa tamque praeclara et nunquam satis memoranda facinora; non Marathonium illud tropaeum, non fugatas a pauculis Graecorum navigiis mille barbarorum naves; non Plataeae praedicarentur neque gemina ad Eurymedontem victoria. — Quid tot illa egregria artium opera memorem, quarum etiam nunc mutilas reliquias satis admirari non possumus? Ubi vero, nisi Athenis divinum illud Demosthenis eloquium formari potuit, ubi ludere Gratiarum deliciae, Aristophanes? quid? Socrates, nisi liberis Athenis, aut non exstitisset, aut alius exstitisset. Rursus absque immodica illa libertate neque bella forent tam multa tam leviter suscepta, neque concussum immoderata imperii cupidine Graeciae robur, neque Cleonis aut Cleophontis impudentia populi favore floruisset, neque egregia Miltiadis virtus, Aristidis justitia,

---

42) Or. in Neaer. p. 1377.

Themistoclis prudentia, Socratis sapientia, ingratum atque malignum vulgi animum expertae essent. Neque tam cito corruptus licentia populus, ex strenuo ignavus, ex forti imbellis, ex parco et modesto avidus et luxuriosus, traditam a patribus gloriam et majestatem cum dedecore et servitute commutasset. Sed haec aliaque his similia nunc disserere nolo; neque enim obscura sunt, et ab aliis saepe decantata. Itaque tertium jam librum exordiar.

DE

COMITIIS ATHENIENSIUM

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

De divisione populi Attici in tribus et curias.

Res postulare videtur, cum de tribuum curiarumque[1]) conventubus hoc libro dicturi simus, de hac populi Attici divisione paucis ante exponere. Ac tametsi antiquiora Clisthenis temporibus instituta ad eam, quam tractamus, materiam non ma-

---

1) Quamquam δήμους Atheniensium a curiis Romanorum diversissimos esse scio, tamen, cum neque aliud Latinae linguae vocabulum Graeco satis ex omni parte respondere videatur, malui, ipsorum Latinorum quorundam exemplo, δήμους curias dicere, quam cum quibusdam recentioribus populos aut pagos. Pagi enim a δήμοις non minus differunt, quam curiae; populi autem vocabulum hoc sensu apud Latinos inauditum est. Cicero δημότας *curiales* dicit, de Offic. II. 18. et Plautus δήμαρχον *magistrum curiae*, Aulular. I. 2. 29. Nam Demarchum ibi designari dubium non est, cum et Athenis res agi fingatur, et de dividendis theoricis pecuniis sermo sit, quae dividebantur curiatim. — Tamen, ubi δῆμος non aliquam populi partem, sed, ut saepe apud Atticos, locum in agro Attico designat, minus aptum est *curiae* nomen. Tunc itaque aut *oppidum* aut *pagus*, pro cujusque loci contextu, dicendus erit δῆμος. Ac magnopere doleo, quod non in prioribus quoque libris eandem rationem constanter secutus sum. Sed nunc, missis jam illis ad typographum, mederi huic malo non amplius licet.

gnopere pertinent, tamen, cum de his nuper a clarissimis viris subtilissime disputatum sit, non ingratum lectoribus fore confido, si, quae ab illis haud recte mihi videntur statuta esse, breviter refutavero, meamque ipsius sententiam, argumentis, quantum hoc loco fieri potest, confirmatam, proposuero.

Primum igitur hoc satis inter omnes constat, inde ab antiquissimis temporibus in quatuor tribus descriptos Athenienses fuisse, donec multiplicato a Clisthene numero decem e quatuor factae sint. Sed quae de Cecropis, Cranai et Erichthonii circa hanc rem institutis traduntur, dubitari non potest, quin, sicut omnia, quae de tam longinqua aetate narrari a veteribus solent, non certis et incorruptis rerum gestarum monumentis ad posteritatis memoriam propagata, sed a recentioribus scriptoribus, qui e poëtarum fabulis antiquas populorum historias eruere studuerunt, in medium prolata videri debeant. Neque fore arbitror quemquam, qui a me dissentiat, aut rationes sibi omnes singulatim subduci et demonstrari postulet, si eos, qui has fabulas tanquam historias tractarunt, a vero aberrasse et operam perdidisse contendam.

Certum est, terram Atticam ipso situ ac soli natura in tres aut quatuor partes divisam esse. Nam a Megaride Atticam intranti regio est patentioribus quam reliqua campis, montibusque minoribus et paucioribus interrupta, quae ad Boeotiae confinia montesque Parnethem, Brilessum, Pentelicum et Hymettum porrigitur. Haec igitur a re ipsa *Πεδίον* dicitur[2]). Sed ejus maritima pars saepenumero pe-

---

2) Harpocrat. et Suid. in *Πεδιακά*. Cf. Kuster. ad Suid. et Albert. ad Hesych. Tom. II. p. 898. Exstat illud nomen

culiari nomine *Ἀκτή* vocari solet, qua in parte sitae sunt ipsae Athenae[3]). A Parnethe autem ad Brauronem oppidum, aut paullo fortassis infra, ad Hymettum montem promontoriumque Cynosuram, regio dicebatur *Διακρία*, nomine a montibus usque quaque intersitis derivato[4]). Sunt enim in hac parte Parnes, Brilessus, Pentelicus; oppida autem Rhamnus, Tricorythus, Marathon, Brauron. Meridionalis autem Atticae pars, infra montem Hymettum promontoriaque Zosterem et Cynosuram, ad

---

etiam apud Thucydidem, II. 55. et 56., ubi opponuntur sibi *Πεδίον* et *Πάραλος γῆ*, apud Isaeum de Dicaeogen. hered. p. 53, 5. Steph. et apud Demosthenem in Timoth. p. 1187. — Operae pretium est, etiam Whelerum consulere, Itinerar. p. 387. vers. Gallic., qui, quamquam veterum scriptorum testimonia afferre supersedit, tamen, cum de Atticae situ ac solo ex oculata, ut ita dicam, cognitione referat, haud parvi aestimandus est.

3) Itaque Aegeus, cui in regni divisione Athenae et circum eas loca obvenerunt, *Ἀκτήν* accepisse dicitur a Sophocle, cujus versus paullo infra adscribentur. Ceterum cf. Harpocrat. et Suid. in *Ἀκτή*, Stephan. Byzant. p. 55. ed. Pined., et Holstenii not. ad h. l. p. 21. Fallitur itaque Platnerus, de gentt. Atticis earumque cum tribubus nexu (Marburg. 1811). p. 8., qui totum illum tractum littoralem a Sunio usque ad Isthmum *Παραλίαν* dictum esse putat. Atque sicubi hoc quoque circum urbem littus *παραλία* dicitur, ut a Strabone IX. p. 400 et alibi, nomen illud commune est et appellativum, non hujus littoris proprium.

4) Hesych. in *Διακρεῖς* et ibi Alberti, Tom. I. p. 947. Ceterum ex Herodoto, I. c. 59, conjicias, Diacriae incolas, qui vulgo Diacrii dicebantur, etiam *Ὑπερακρίους* dictos esse; nimirum quia reliquis, Paralis et Pediaeis, trans montes incolebant. Palmerii enim explicatio horum nominum, *ἀπὸ ταῖν δυεῖν ἄκραιν* (Sunio et Cynosura) et *ἀπὸ τοῦ ὑπὲρ τὴν ἄκραν* (Sunium) *οἰκεῖν* cum veterum de Diacria et Paralia testimoniis conciliari non potest.

Sunium usque in ligulae formam porrecta, quae utrimque mari adluitur, *Πάραλος* aut *Παραλία* dicebatur, in qua erant Lampra, Laurium, Thoricus, Potamus, Prasiae[5]). Ad hanc soli Attici divisionem accommodata est illa poëtarum narratio de regno inter Pandionis filios diviso; qua de re Sophocles Aegeum haec facit dicentem[6]):

Πατὴρ δ' ἀπελθεῖν ὥρισ' εἰς Ἀκτὴν ἐμοί,
πρεσβεῖα νείμας τῆσδε γῆς· τῷ δ' αὖ Λύκῳ
τὸν ἀντίπλευρον κῆπον Εὐβοίας νέμων,
Νίσῳ δὲ τὴν ἀνόμαλον ἐξαιρεῖ χθόνα
Σκείρωνος ἀκτῆς· τῆς δὲ γῆς τὸ πρὸς νότον
ὁ σκληρὸς οὗτος καὶ γίγαντας ἐκτρέφων
εἴληχε Πάλλας.

Harum partium una, quae Niso obtigit, est Megaris, quam aliquando, ante Doriensium migrationem, Atticae accensam fuisse, constans est fama. E reliquis tribus, quae pars Pallanti data esse dicitur, est Paralia; quae Lyco, Diacria; haec enim tota e regione Euboeae porrigitur. Aegeo autem campestris regio obvenit, cujus maritima pars, in qua Athenae sitae erant, *Ἀκτή*, mediterranea autem *Πεδίον* vocabatur, quemadmodum supra demonstratum est. Sed totam suam sortem Aegeus ab ea parte, quae urbem, summi imperii sedem, habebat, *Ἀκτήν* vocat[7]).

---

5) Stephan. Byzant. p. 527. Suid. in *Πάραλοι* et *Παράλων*, Hesych. in *Λαμπρά*. Cf. Thucyd. II. 55. qui aperte distinguit inter sinistram Paraliae partem, in qua erat Laurium, et dextram, quae Euboeam et Andrum insulas spectat.

6) Vid. Sophocl. fragm. apud Strabonem, IX. p. 592.

7) Hanc veterum quoque de ista divisione sententiam fuisse, patet ex iis, quae habet Schol. ad Aristoph. Vesp. v. 1218. *Τὴν δὲ χώραν τὴν Διακρίαν Πανδίονα φασί, τοῖς υἱοῖς*

Haec praemittenda fuerunt, quo reliqua facilius intelligi possint. Namque inter ea nomina, quae ante Ionis tempora tribubus fuisse dicuntur, quatuor sunt, quae facile agnoscas eadem esse, quibus serior quoque aetas utebatur ad partes Atticae designandas. Sunt autem illa nomina: Cecropis, Autochthon, Actaea, Paralia, quae a Cecrope, — Cranais, Atthis, Mesogaea, Diacris, quae a Cranao tribubus indita esse dicuntur[8]). Mesogaeam autem, h. e. mediterraneam, eandem esse atque Pediaeam, non opus est monere[9]). Atque illos scriptores, qui tribuum haec nomina fuisse tradiderunt, ad illas terrae partes respexisse, et cum sedium diversitate tribuum quoque divisionem conjunctam voluisse, et per se ipsum satis apertum est, et probari potest Stephani Byzantii loco, qui ad illam Pandionidarum historiam respiciens, Diacriam, quae Pallanti obvenerit, *φυλὴν τῆς Ἀττικῆς* fuisse dicit[10]).

διανείμαντα τὴν ἀρχὴν, Λύκῳ δοῦναι, Αἰγεῖ δὲ τὴν περὶ τὸ ἄστυ, Πάλλαντι δὲ τὴν Παραλίαν, Νίσῳ δὲ τὴν Μεγαρίδα.

8) Jul. Pollux, VIII. 109. Cf. Stephan. Byzant. p. 55., et Eustath. ad Dionys. ap. Meursium, Regn. Attic. Lib. I. cap. 7. Ceterum cum Actaeum etiam veterem Atticae regem fuisse velint, dubium esse potest, utrum ab hoc an ab *Ἀκτῇ* potius tribus Actaeae nomen derivatum putaverint ii auctores, quorum fide Pollux ceterique hanc tribuum divisionem retulerunt.

9) Et fortassis haec tribus Mesogaea ab aliis *Πεδιάς* dicta est. Apud Stephanum Byzantium enim p. 538., legitur: *Ἔστι δὲ καὶ Πεδιὰς φυλὴ τῆς Ἀττικῆς.*

10) Stephan. Byzant. in *Διακρία*, p. 235. Ceterum is, quem Stephanus auctorem secutus est, in eo a Sophocle dissensit, quod Diacriam Pallanti tribuit, quam hic Lyco datam esse dicit. Sed omnino hae fabulae ab aliis aliter tradebantur, id quod Strabo quoque testatur, IX. p. 392. Illud quoque

Itaque Diacrii, Paralii, Mesogaei qui fuisse crediti sint, sua quisque sponte intelligit; neque Actaeorum nomen a sedibus in Ἀκτῇ derivatum esse dubito, licet regem quoque Actaeum fuisse perhibeant. Cecropidis autem, Cranaidis et Atthidis nomina a Cecrope et Cranao ejusque filia Atthide haud dubie derivarunt. Sed hic jure offendas in tam mira denominandi ratione. Quid enim? Eodemne tempore duas tribus, Paraliam et Actaeam, a sedibus, reliquas autem, Autochtonem et Cecropidem, ab origine aut a duce, similique modo postea Diacriam et Mesogaeam a sedibus, Cranaidem et Atthidem a rege regisque filia nominatas esse? Ita ex illis quatuor prioribus Autochthon et Cecropis nullos alios, nisi Mesogaeos et Diacrios, e posterioribus autem Cranais et Atthis nullos nisi Actaeos et Paralios designare potuerunt; ut miro plane modo in contrarium mutata nominandi ratione, eos, qui ante ab origine aut a ducibus denominati essent, post, abolitis prioribus nominibus, a solo, quod incolebant, qui autem ante a sedibus, post a regum nominibus appellatos esse oporteat; cujus rei causam rationemque probabilem exputare nemo poterit. Huc accedit, quod, cum Cecrops urbem in Ἀκτῇ condiderit, consentaneum fuit, hujus Ἀκτῆς potius quam Diacriae aut mediterraneae regionis incolas ab eo denominari. Omitto alia; neque enim in hujusmodi rebus nimis diligentem esse oportet.

Persuasum autem mihi habeo, omnia, quae de Cecropis, Cranai et Erechthei tribubus narrantur,

---

notarem, quod oblitus est, illa aetate non jam istam tribuum descriptionem, sed longe aliam, ab Ione institutam, valuisse; nisi ineptum putarem, in fabularum scriptoribus chronologicas rationes diligenter excutere.

non vetere aliqua rerum illis temporibus gestarum fama niti, sed eorum acumini deberi, qui postea poëtarum fabulas pro suo captu aut praejudicatis opinionibus tractabant et interpretabantur. Magna enim olim erat fabularum Atticarum multitudo, populi originem, reipublicae primordia, artium legumque inventionem celebrantium. Sed longe majorem earum partem jamdudum obruit oblivio; neque illas ipsas, quae vetustatem tulerunt, e poëtarum carminibus, sed maximam partem e Mythographorum libris cognoscimus, qui plerumque eas tantum delegisse videntur, quae majoris alicujus poëtae cantu nobilitatae essent, omissis iis, quae a minoris famae poëtis profectae, minus viderentur relatu cognituque dignae. Et multae sine dubio fuerunt fabulae pervetustae, quarum auctores a posteris prorsus ignorabantur, et quae scripto nunquam consignatae neque a multis cognitae, aliquamdiu in pauciorum hominum ore vivebant, donec paullatim interierunt; quo ex genere illa fuisse arbitror, quae de Porphyrione, Colaeno aliisque regibus Cecrope antiquioribus olim narrata esse scimus[11]). Sed in iis, quae hodieque supersunt, fabulis nullum reperitur vestigium, ex quo conjici possit, de ista tribuum divisione ab antiquis poëtis traditum quidquam esse. Possit igitur aliquis suspicari, manasse hanc narrationem e deperditis quibuspiam fabulis, quae Cecropis Cranaique res gestas et instituta celebrarint; atque ego ipse aliquando ab hac sententia non abhorrui. Postea tamen eam abjiciendam esse duxi, cum reputarem, hoc ab omnibus summo consensu tradi, ab Atthidis, Cecropis, Cranai quin Actaei quoque nomini-

---

11) Pausan. Attic. cap. 14. §. 6., et cap. 31. §. 3.

bus non aliquas terrae aut populi Attici partes, sed universam Atticam totumque populum olim appellatum fuisse[12]); quod cum dicunt, nihil aliud dicunt, nisi poëtas his nominibus ita usos esse. Atque Cranai quidem nomen, cum revera adjectivum sit, a poëtis proprii nominis loco adhiberi coepit, ac tum demum rex quidam fingebatur, a quo illud derivaretur. Eodem modo cum *'Ακτή* proprie certam quandam Atticae partem designaret, tamen etiam universa terra, quippe tota littoralis, *'Ακταία* vocata est, atque inde a poëtis Actaeus rex fictus, a cujus nomine terram dictam esse docuerunt[13]). Cecrops autem et Atthis etiamsi nulli unquam vixerunt, nomina tamen a poëtis sic temere nullaque ratione conficta atque commenta esse non possunt, quin aliquam veterem famam sequerentur, quae Athenienses olim Cecropes aut Cecropios, Atticam autem Atthidem appellatam esse testaretur[14]). Neque causam esse video, cur de hujus famae veritate dubitemus. Eo autem minus veri simile videri debet, poëtam aliquem veterem ea nomina, quae reliqui omnes, hanc famam secuti, universae Atticae totique populo tribuerent, pro suo arbitratu ad singulas partes retulisse, tam mira praesertim denominandi ratione, de qua paullo ante dixi. Itaque haec veri similior videtur sententia, totam hanc de istis tribubus narrationem ab aliquo eorum

---

12) Vid. scriptores a Meursio laudatos, Regn. Attic. Lib. I. capp. 6. 7. 13. 14.

13) Verissime de his fabulosis heroibus jam Philochorus sensit, Eusebio teste: *Τὸν γὰρ μετὰ Ὤγυγον 'Ακταῖον ἢ τὰ πλασσόμενα ὀνομάτων οὐδὲ γενέσθαι φησὶ Φιλόχορος.* Vid. Heyn. ad Appollodor. obss. p. 320.

14) De Atthide non dubia res est; de Cecrope conf. Buttmann. Lexilog. p. 67.

scriptorum profectam esse, qui e poëticis fabulis populi Attici antiquitates contexuerunt, quorum haud pauci passim, a Grammaticis praecipue, laudari solent[15]. Horum igitur scriptorum aliquis, cum eas, quae ad Clisthenem usque permanserunt, tribus non ante Ionem instituta esse sciret, quaerens, quaenam ante illud tempus populi divisio fuisset, cum passim in carminibus, quae de Cecrope Cranaoque agerent, Autochthones, Cecropidas, Cranaos, Actaeos, itemque Mesogaeam, Paraliam, Diacriam Atthidem nominari videret, in hac nominum diversitate, eam, quam quaerebat, populi divisionem tribuumque descriptionem sibi deprehendere visus est.

Eodem modo etiam de iis tribuum nominibus statuendum est, quae ab Erichthonio inventa esse dicuntur, *Διάς*, *Ἀθηναΐς*, *Ποσειδωνιάς*, *Ἡφαιστιάς*, a Iove, quem Graeci *Δία*, Minerva, quam *Ἀθηνᾶν*, Neptuno, quem *Ποσειδῶνα*, Vulcano, quem *Ἥφαιστον* vocant. A Minervae nomine universum Atheniensium populum appellatum esse sciunt omnes. Sed a Neptuno etiam, apud poëtas certe, Atticam vocatam esse *Ποσειδωνίαν* Strabo testatur[16]; neque difficile est, hujus cognomenti rationes ex fabulis perspicere. Et majore etiam jure a Vulcano Athenienses cognominari poterant, quippe qui se Autochthones esse gloriarentur. Autochthones enim Vulcani e Tellure filii haberi solent, ut Cecrops et Erichthonius[17]; ideoque etiam apud Aeschylum

15) Cf. Heyn. l. l. p. 319.

16) Lib. IX. p. 397.

17) De Cecrope vid. Hygin. fab. 158., cf. fab. 48., ap. Meursium, de Regn. Attic. I. cap. 6. Cf. Eustath. ad Iliad. B. v. 547 p. 214. Basil. De iis, qui eum Aegyptium faciunt, vid. praeter Meursium *l. l.* imprimis Hemsterhus. ad Ari-

Athenienses παῖδες Ἡφαίστου vocari videntur[18]). De Iove paullo obscurior res est. Neque enim in superstitibus hodie fabulis ratio apparet, cur ab hoc deo Athenienses in poëtarum carminibus appellatos esse credamus, id quod non nisi propter peculiarem aliquam conjunctionem fieri potuisse videtur, qualem, quod quidem ego sciam, fabulae non agnoscunt. Nisi fortassis huc trahi possit, quod apud Grammaticum quendam legitur, Iovem, posteaquam in Arcadia, aut, ut alii tradunt, in Creta adoleverit, primum Athenas adiisse, ibique ab Atheniensibus omnium primis divinos honores nactum, Πατρῴου Διός nomine coli coepisse[19]). Potuit sane aliquis poëta, hanc narrationem secutus, Athenienses Iovis populum vocare; sed possunt aliae quoque narrationes in deperditis fabulis fuisse, propter quas illi hoc cognomine ornarentur.

Sed jam omissis istis commentis ad veram illam et certam tribuum descriptionem nos convertamus, quam inde ab antiquissimis temporibus ad

---

stoph. Plut. Schol. v. 773. p. 262. ed. Lips. De Erichthonio vid. Meurs. l. l. II. c. 1., et Harpocrat. in Αὐτόχθονες. In universum conferendus est Plato in Timaeo, p. 23. E.

18) Eumenid. v. 13. Alii aliter hunc locum interpretantur; sed illa verior mihi videtur explicatio.

19) Schol. ad Aristoph. Nubb. v. 1470. Πατρῷος Ζεὺς καὶ Ἀπόλλων ἐν Ἀθήναις τιμῶνται, ὁ Ζεὺς μὲν μετὰ τὴν ἐν Ἀρκαδίᾳ, ἢ, ὡς ἕτεροι, μετὰ τὴν ἐν Κρήτῃ ἀνατροφήν, ὅτε πρῶτον ταῖς Ἀθήναις ἐπέστη καὶ ἐφάνη τοῖς πατράσιν αὐτῶν, οἵτινες ταύτῃ τῇ προσηγορίᾳ τετιμήκασιν αὐτόν. Et aliud Schol.: Οὕτω τιμᾶται παρ' Ἀθηναίοις Ζεὺς πατρῷος καὶ Ἀπόλλων, διὰ τὸ πρώτους ὑποδέξασθαι τὼ θεὼ εἰς τὴν χώραν, καὶ θυσίας συντελέσαι κατὰ φρήτρας καὶ δήμους καὶ συγγενείας μόνους τῶν Ἑλλήνων. Sed conf. inttpp. recentt. ad Aristoph. locum, et Albert. ad Hesych. Tom. II. p. 894.

Clisthenem usque, quamquam immutata paullatim ratione, perdurasse et per colonias ex Attica etiam in Asiam translatam esse scimus. Harum tribuum nomina fuerunt *Γελέοντες* (quamqam alii *Γεδέοντες* scribunt aut *Τελέοντες*), *Ὅπλητες*, *Ἀργαδεῖς*, *Αἰγικορεῖς*. De nominum forma et significatione et de universa harum tribuum ratione neque veteres inter se consentiunt, et recentiorum diversae sunt sententiae; sed ipsam tribuum descriptionem ab Ione omnes repetunt, ut nullus de eo fabularum dissensus fuisse videatur. Sed cum Ionem ejus auctorem fuisse dicunt, detractis fabularum involucris, nihil aliud dicunt, nisi hoc: ortam eam esse illo tempore, cum post Hellenum e Thessalia in Atticam adventum eorumque cum veteribus incolis conjunctionem populus Atticus Ionum, terra autem Ioniae nomine appellata sit. Haec quamquam varie a poëtis tradita erant, ea tamen constans inter omnes fama fuisse videtur, Hellenes istos non hostili impetu in Atticam irrupisse, neque devictis priscis incolis omnem terram suae ditionis fecisse, sed patria sua exsules ab illis benigne receptos mutuisque connubiis cum iis mistos esse, atque inde conflatum e duabus gentibus populum novo Ionum nomine appellari coepisse. Narrant enim [20]), Xuthum, Hellenis filium, ob navatam in bello contra Euboeenses operam ab Erechtheo regno receptum e Creusa, regia filia, Ionem procreasse. Post autem, nimirum aucta hominum multitudine, coloniam Xutho, aut, ut plures tradunt, Ione duce in Aegialeam concessisse, quam et ipsam

---

20) Vid. imprimis Eurip. Ion. v. 1 — 75., cf. v. 1571 — 1594. Strab. VIII. p. 383. Apollod. I. 7. 3. Pausan. Achaic. c. 7. Cf. Meursii Regn. Att. II. cap. 8. 10. 13. 14. Heyn. ad Apollod. obss. p. 40. et 340. Hülsemann. de myth. Attic. ante Eurip. Ionem ab eo editum, p. 31. sq.

inde Ioniam vocatam esse[21]). Denique ex Aegialea ab Achaeis exactos Iones illos ad cognatos suos in Atticam rediisse, ibique aliquamdiu commoratos tandem Asiae minoris oram maritimam occupasse, cui deinceps Ioniae nomen proprium permansit. Nam Athenienses ipsos post haec tempora illo nomine, quamquam apud se orto, non amplius usos esse, nemo ignorat, et puduisse eos quodammodo ita appellari Herodotus censet[22]), propterea, puto, quod indignum videbatur genti indigenae, quae *αὐτοχθονίᾳ* sua et nobilitate tantopere superbiebat, commune nomen esse cum populo adventicio multumque circumvagato. — Non igitur probabilem puto eorum sententiam, qui ab Ionibus (aut Hellenibus potius, cum illud nomen non ante horum cum veteribus Atticis conjunctionem ortum sit), Atticam per vim occupatam veteresque incolas ad tributum ipsis pendendum coactos esse arbitrantur, unde *Τελεόντων* tribus appellata sit, *ἀπὸ τοῦ τελεῖν.*

---

21) Sed hos non longo post tempore, cum Eleusiniorum bello Athenienses premerentur, revocatos, hac occasione usos Atticam sibi subjecisse Hüllmannus dicit, ex eoque tempore Athenienses a victorum nomine Iones vocari coepisse. Vid. ej. origg. Graec. (Anfänge d. Griech. Gesch.) p. 120. Testes citat Herodot. VIII. 44. Strab. VIII. 583. (383) Pausan. VII. 1. Sed primum Herodotus nil nisi *στρατάρχην* Athenn. Ionem fuisse dicit, ab eoque illos Iones vocatos; qua autem occasione et quo tempore id factum sit, non definit. Strabo autem non dicit, ab bellum Eleusinium Iones ex Aegialea revocatos, sed post illud bellum feliciter confectum coloniam ex Attica in Aegialeam missam esse, propter hominum multitudinem. Pausanias quidem Ionem ex Aegialea reversum et in Attica diem obiisse narrat; non dicit, hoc demum tempore Atticos Ionum nomen accepisse, neque ab Ionibus subactos esse.

22) Lib. I. cap. 143.

Ac perdurasse hanc victoris populi dominationem volunt usque ad Solonis legislationem[23]). Profecto, si verum illi dicerent, mirari satis non possemus, nullam ejus rei mentionem apud ullum veterem scriptorem inveniri, neque suspicatum quemquam ex iis quidquam esse de tali indigenarum servitute, advenarum dominatione. Neque enim, si perdurasset ea rerum conditio usque ad Solonis tempora, fieri potuisse arbitror, ut omnis ejus memoria insequentibus temporibus tantopere corrumperetur et oblitteraretur. Ad hoc ne illud quidem negligendum est, quod vetus Erechthidarum stirps regni possessionem, quam ante Hellenum adventum habuerat, etiam postea usque ad Melanthum Messenium retinuisse dicitur[24]), cum dubium esse nequeat, quin Hellenes, si per vim Attica potiti veteres possessores dominationi suae subjecissent, regnum quoque veteribus regibus ereptum ad suam gentem tracturi fuissent.

Sed jam eo, unde digressi sumus, revertamur. Dixi autem, de tribuum post Hellenum cum priscis incolis conjunctionem institutarum nominibus et universa ratione veterum ipsorum diversas esse sententias. Nam primum *Γελέοντες* ab aliis *Γεδέ-*

---

23) Comprobari hanc sententiam volunt Plutarchi loco, in Solon. c. 13., quo loco neque Hellenum in Atticam adventus neque tribuum descriptio et nomina ne verbo quidem memorantur. Pauperes Solonis tempore divitibus obnoxii fuisse dicuntur: *ἢ γὰρ*, inquit, *ἐγεώργουν ἐκείνοις, ἕκτα τῶν γενομένων τελοῦντες, ἢ χρέα λαμβάνοντες ἐπὶ τοῖς σώμασιν, ἀγώγιμοι τοῖς δανείζουσιν ἦσαν κ. τ. λ.* Sed quid hoc ad Hellenes aut Iones? quid ad tribuum rationem?

24) Ii quoque, qui Xuthum et Ionem regnasse in Attica dicunt, tamen neque hos per vim regno potitos, neque Erechthidas in posterum quoque exclusos esse volunt. Vid. Heyn. ad Apollod. p. 340. Plerique autem Xuthum et Ionem reges non agnoscunt.

οντες ab aliis autem Τελέοντες dicuntur[25]), quae omnia nomina totidem sunt simillimarum inter se litterarum, ut cuivis appareat, quam facile inter se permutari potuerint, et quam veteribus ipsis proclive fuerit, in errorem induci, posteaquam ea nomina Athenis abolita essent, et tribuum veterum ratio jamdudum apud plerosque in oblivionem ire coepisset. Nos autem de vera et genuina illius nominis forma dubitare non sinit marmoris Cyziceni auctoritas[26]), in quo non semel distincte scriptum exstat *ΓΕΛΕΟΝΤΕΣ*, quod apud Herodotum quoque, scriptorem antiquissimum, codices, duobus aut tribus exceptis, offerunt omnes. Quis enim credet, Cyzicenorum civitatem vera et antiqua tribuum suarum nomina aut ignorasse, aut temere et arbitrario mutasse, et ita mutasse, ut pro vero ac vetere nomine novum, nulla analogia effictum et significationis non minus obscurae adoptarent? Quod nobis persuadere volunt ii, qui Τελέοντας verum et antiquum nomen fuisse contendunt, Γελεόντων autem nomen recentius inclinatum esse a Γέλεως, hoc autem a Γεώλεως, h. e. λεὼς γεωργικός; cujus vocabulorum formationis nullum equidem novi exemplum. — In eodem autem marmore scriptum est Αἰγικορεύς et plurale Αἰγικορεῖς, pro quo apud Euripidem legitur Attica forma Αἰγικορῆς; porro Ἀργάδεις, non Ἐργάδεις, ut apud Plutarchum; denique Ὅπλητες, non Ὁπλῖται, quod idem Plutarchus habet[27]).

---

25) Γελέοντες ap. Herodot. V. c. 66. Γεδέοντες ap. Plutarch. Solon. c. 23. Τελέοντες apud Eurip. Ion. v. 1579., Jul. Pollux VIII. 111., Steph. Byzant. in Αἰγικορεῖς, ubi tamen nonnulli libri habent Γελέοντες.

26) Caylus Recueil d' Antiquitées, T. II. tab. 59., 60., 61., 62.

27) Herodotus l. l. Ionis filios nominans, a quibus haec no-

De significatione autem horum nominum non minor est dissensio. Illud quidem facile quivis intelligit, haec tria: Ὅπλητες, Αἰγικορεῖς, Ἀργαδεῖς, a vitae generibus indita tribubus esse. Sed neque hoc postremum, Ἀργαδεῖς, satis perspicuum definitumque est, et quartum nomen, Γελέοντες, vix explicari posse videtur. Plutarchus quidem Ὁπλίτας esse dicit τὸ μάχιμον, Ἐργάδεις τὸ ἐργατικόν, Αἰγικορεῖς τοὺς ἐπὶ νομαῖς καὶ προβατείαις διατρίβοντας, denique Γεδέοντας (ita enim apud eum scriptum est) τοὺς γεωργούς. Strabo autem e vitae generibus Athenienses distributos esse ait in saserdotes (ἱεροποιούς), milites (φύλακας), agricolas (γεωργούς), opifices et mercenarios (δημιουργούς)[28]. Pastorum igitur nullam tribum agnoscit, sed pro iis sacerdotes nominat, qui apud Plutarchum nulli sunt. Quid igitur? Putabimusne eum Αἰγικορεῖς pro sacerdotibus ha-

---

mina derivari solebant, genitivos habet Αἰγικόρεος et Ἀργάδεω, quorum nominativi sunt Αἰγικόρης tertiae et Ἀργάδης primae declinationis. Ita igitur hi in fabulis appellabantur. Non tamen inde consequitur, tribuum quoque vetera nomina fuisse Αἰγικόρεις et Ἀργάδαι, multo minus Ἀργάδεις, quod quidam putarunt. Ἀργαδῆς est ap. Euripidem, unde patet, in marmore Ἀργαδεῖς legendum esse.

28) Sunt tamen, qui Strabonem vitae genera et tribus distinxisse arbitrantur, neque perspexisse, quo nihil potest apertius esse, tria saltem ex illis nominibus nihil aliud nisi vitae genera designare; qui quidem injuriam facere videntur scriptori diligentissimo et prudentissimo. Strabonis verba haec sunt: Ὁ δὲ (Ἴων) πρῶτον μὲν εἰς τέσσαρας φυλὰς διεῖλε τὸ πλῆθος, εἶτα εἰς τέσσαρας βίους κ. τ. λ., quae verba, meo quidem judicio, nihil aliud dicunt, nisi hoc, Ionem primum in quatuor tribus populum divisisse, deinde suum cuique vitae genus attribuisse, uni sacerdotia, alteri militiam, tertiae agriculturam, quartae opificia et omnem quaestum mercenarium.

fuisse, quod nonnullis in mentem venit[29])? Sane hoc absurdum est. Neque vero Ὁπλήτων aut Ἀργαδέων nomen sacerdotibus convenit. Nihil igitur restat, nisi ut statuamus, Strabonis sententia Γελέοντας fuisse sacerdotes, quae sententia mihi quidem longe quam Plutarchi probabilior esse videtur. Plutarchum enim, aut eos, quos ille auctores habuit, de tribuum vitis e nominum significatione conjecturam fecisse apparet. Itaque de reliquis aliter statuere non potuerunt, atque eos statuisse videmus; Γεδεόντων autem aut Γελεόντων nomen a γέα fortasse derivandum rati, (quis enim nescit etymologicas Graecorum argutias?) agricolarum hanc tribum fuisse putarunt, cum praesertim agricolis respublica carere non posse videretur, reliquis autem tribubus jam aliae vitae attributae essent. Strabo autem, cum et Αἰγικορεῖς, contra propriam vocabuli significationem, agricolas faciat, (Ἀργαδεῖς enim ei δημιουργούς, Ὅπλητας autem φύλακας esse apparet) et Γελέοντας sacerdotes dicat, quam significationem neque ex vulgari loquendi usu, qui illud vocabulum non agnoscit, neque ex etymologica ratione petere potuit; dubium non est, quin aliquam veterem memoriam ac traditionem secutus sit, quae Αἰγικορεῖς non pastores solum, quos nomen designat, sed etiam agricolas, Γελέοντας autem sacerdotes fuisse testaretur[30]).

---

29) Musgravio ad Eurip. Ion. v. 1577, qui rectius etiam in hoc Strabonem quam Plutarchum sensisse judicat, et Euripidem quoque illi explicationi favere arbitratur. Nimirum Euripides Αἰγικορεῖς dictos esse vult ἀπὸ τῆς αἰγίδος, a Minervae clypeo.

30) Γελεόντων nomen, nusquam alias obvium, etiamsi explicari non posset, tamen propterea fidem Straboni non denegarem. Sed non video, cur non acquiescamus summi Hem-

Omnino autem verum eos vidisse arbitror, qui omnes Graeciae civitates antiquitus sub sacerdotali imperio fuisse volunt. Neque dubitare nos sinunt tam multa veterum ipsorum testimonia, quin omnia cultioris vitae initia, Deorum cultus atque religiones, agricultura aliaeque artes plurimae, juris denique legumque omnisque civilis societatis principia a peregrinis ex Asia aut Aegypto advenis ad priscos Graeciae incolas perlata sint. Atque ita Atticae quoque eum regem, qui primus ferum adhuc populum Deorum numen vereri, legitima matrimonia contrahere familiarumque jura observare, denique civilem quandam societatem coire et in oppidis pagisque conjuncta domicilia habere docuerit, ex Aegypto advenisse, vetus est et admodum probabilis fama. Consentaneum igitur est, tales advenas apud rudes incolas in maximo honore ac dignatione habitos esse, penes eos regna fuisse et sacerdotia, quae erat regiae proxima dignitas; templa passim in omni regione condita; circum ea conjunctis plurium domiciliis pagos paullatim et oppida enata; agrorum bonam partem aut Dis consecratam aut a sacerdotibus possessam esse; e reliqua autem multitudine plerosque illorum agros coluisse, clientelae quodam nexu sacerdotibus obstrictos; atque etiamsi non deessent, qui proprios fundos posside-

sterhusii judicio, qui *Γελέοντας* interpretatur *splendidos, illustres*, ab obsoleto verbo *γελεῖν*, quod Hesych. Tom. II. p. 811. Albert. explicat: *λάμπειν, ἀνθεῖν.* Hemsterhusii sententiam et alii probarunt, et nuper vir eximius, Creuzerus, Mytholog. Tom. III. p. 62. Et Wesselingius quoque, cum initio scripturam *Τελέοντες* veriorem judicasset, postea tamen, marmoris Cyziceni auctoritate commotus, sententiam suam mutavit et Hemsterhusio adsensus est. Vid. ej. Dissertt. Herodott. p. 164., et ad Herod. V. 66.

rent, omnes tamen nullo fuisse numero et honore, sed sacerdotum auctoritati in omnibus rebus subjectos atque obnoxios.

Huic rerum statui in Attica intervenerunt Hellenes, bellicosa gens, patria exsul novasque sedes quaerens. Hi cum utilissimam regi Attico contra Euboeenses operam praebuissent, loca ad habitandum iis concessa sunt, in quibus condiderunt quatuor oppida, Oenoën, Marathonem, Probalinthum, Tricorythum[31]). Inde, ut paullatim cum veteribus incolis misceri et in unum populum coalescere coeperunt, fieri non potuit, quin pristinus reipublicae status multis modis immutaretur. Inter Hellenes quoque non pauci fuerunt principes viri, summaque apud suos dignitate, qui indigne ferentes, si deteriore conditione in nova patria vivendum et ab excelso quondam loco ad humilem plebem recidendum esset, aliquam imperii partem, quod adhuc omne penes sacerdotum ordinem fuerat, ad se trahere conabantur. Sacerdotes autem, aut negare non ausi, quod per vim retineri posse desperarent, aut necessitate coacti, potestatem suam ita cum illis partiti sunt, ut regnum quidem et sacerdotia sibi suisque propria relinquerentur, bellorum autem imperia et omnis res militaris ad illos pertinerent[32]);

---

31) Strab. VIII. p. 383.

32) Cum propter auxilium in bello contra Euboeenses Erechtheo latum, Xuthus cum comitibus in Atticam receptus sit, ejusque filius Ion item belli contra Thraces Eleusinios dux fuisse dicatur, (Strab. l. l. Herod. VIII. 44.) nihil verisimilius est, quam Hellenes Ὁπλῆτας factos esse. Sacerdotalem autem dignitatem statim cum iis communicatam esse, nemo putabit. Atque si Platonem quoque testem adhibere licet, quandoquidem eum nonnulli, et recte, meo judicio, non omnia, quae de antiqua Athenarum historia narrat, pro

in reliquis aequo utrique jure essent. Ita duo sunt principum genera facta, *Γελέοντες* et *Ὅπλητες*. In totidem genera etiam reliqua multitudo divisa est. Alii, imprimis ex Hellenicis illis advenis, plebeji quidem et ignobiles, sed tamen liberi et propriorum fundorum possessores, partim agricolae, partim, et plures fortasse, in montosis praesertim locis, rei pecuariae magis quam agriculturae dediti, in *Αἰγικορέων* tribu censebantur. Reliqui omnes, *Γελεόντων* et *Ὁπλήτων* coloni et clientes, *Ἀργαδέων* tribu comprehendebantur[33]).

Erat sane haec tribuum descriptio orientalium quorundam populorum Castis haud absimilis; ut hic quoque verum invenias illud Thucydidis dictum, antiquitus Graecorum mores et instituta a barbaris non magnopere abhorruisse[34]). Sed non diu Graecorum ingenium, ad libertatem natum, talibus se vinculis constringi passum est. Igitur, contractis praesertim mutuis inter diversas tribus connubiis, vetera vitarum discrimina paullatim negligi coeperunt, factumque ita est, ut v. c. qui ge-

---

arbitratu suo finxisse, sed in plerisque veterem famam secutum esse volunt; Plato igitur in Timaeo, p. 24. A. B. apud vetustissimos Atticos itidem ut apud Aegyptios sacerdotum *γένος* a militibus discretum fuisse dicit.

33) Haec de quatuor tribuum origine et ratione sententia et rei ipsi ac naturae satis videtur consentanea, neque deficiunt eam veterum scriptorum auctoritates, quibus carent, quae nuper a duobus viris doctissimis eadem de re disputata sunt. Non autem opus esse arbitror his singulatim refellendis immorari; sufficient, quae hic a me dicta sunt, quae si lectores cum illorum dictis contulerint et cujusque nostrum argumenta examinarint, facile, pro se quisque, inter nos dijudicare poterunt.

34) Thucyd. I. c. 6.

nere quidem ex Hopletum tribu esset, tamen, cum plurimis inter Geleontes cognatus esset, etiam ad sacerdotia admitteretur; eodemque modo e Geleontum quoque tribu multi militarem vitam amplecterentur. Ita etiam ex Argadeis nonnulli, majores facultates nacti, e clientela in libertatem se adseruerunt, aut e mercenariis possessores facti sunt. Alii contra ex *Αἰγικορέων* tribu, aut aere alieno aut potentiorum injuriis oppressi, in clientelam sese nobilibus dicarunt. Atque ab his initiis orta tribuum permixtio paullatim longius serpsit, eoque tandem processit, ut nobiles et plebeji, liberi fundorum possessores et potentiorum clientes atque mercenarii non suis quique tribubus discreti, sed in omnibus permisti essent. Itaque confusis vitae generibus, nomina quidem vetera tribubus relicta sunt, sed amissa significationis veritate. Atque inde nova quaedam ordinum descriptio enata est, cujus auctorem fabulae Theseum nominant. Primus ordo erat *Εὐπατριδῶν*, nobilium seu patriciorum, qui eodem fere jure ac loco erant, quo, ante tribuum permixtionem, Geleontes atque Hopletes fuerant. Alter ordo erat *Γεωμόρων*, qui erant fundorum possessores, successerantque quodammodo in *Αἰγικορέων* locum; tertius *Δημιουργῶν*, in quo ordine censebantur omnes mercenarii atque clientes[35]).

Secundum hanc trium ordinum descriptionem singulae tribus in tres partes divisae erant, quae aut *ἔθνη*, aut *τριττύες*, frequentissime autem *φρατρίαι* dici solent[36]). Singularum itaque tribuum singulae

35) Vid. qui in prooemio laudati sunt, p. V.

36) Pollux, VIII. 111. *Ὅτε μέντοι τέσσαρες ἦσαν αἱ φυλαί, εἰς τρία μέρη ἑκάστη διῄρητο· καὶ τὸ μέρος τοῦτο ἐκαλεῖτο*

erant Εὐπατριδῶν, singulae Γεωμόρων, singulae denique Δημιουργῶν phratriae. Phratriarum porro gentes (γένη) erant tricenae; harum rursus familiae totidem fuisse dicuntur [37]). Atque hoc ipsum, quod certus phratriarum, gentium familiarumque numerus definitus erat, apertissime demonstrat, hanc omnem descriptionem non solum e natura ductam, sed jure legibusque ordinatam esse, id quod de gentibus quidem veteres ipsi disertim testantur, cum gentiles, (γεννῆτας aut ὁμογάλακτας) fuisse dicant γένει μὲν οὐ προσήκοντας, ἐκ δὲ τῆς συνόδου οὕτω προσαγορευομένους.

τριττὺς, καὶ ἔθνος, καὶ φρατρία. — — — τρία δὲ ἦν τὰ ἔθνη πάλαι, Εὐπατρίδαι, Γεωμόροι, Δημιουργοί. Harpocrat. in Τριττύς: τριττύς ἐστι τὸ τρίτον μέρος τῆς φυλῆς· αὕτη γὰρ διῄρηται εἰς τρία μέρη, τριττῦς (ita scrib.) καὶ ἔθνη καὶ φρατρίας, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ. Suid. in φράτορες: φασὶ δὲ τὸ αὐτὸ ἔθνος εἶναι ἢ τριττὺν, ἤτοι φρατρίαν. Sane hunc sensum et Pollucis et Harpocrationis, seu potius Aristotelis verba habent, et nihil agit Salmasius, Obss. ad I. A. et R. p. 112. sq. dum ea aliter explicare conatur. Cf. Harpocrat. in γεννῆται. Aeschinis quidem et Demosthenis aetate τριττύες erant a phratriis longe diversae, numero triginta, quae ad trierarchiam pertinebant. vid. Dem. or. de Symmor. p. 184. Aeschin. adv. Ctesiphont. p. 425. Sed quid hoc ad ea, de quibus nos agimus, tempora?

37) Pollux, l. l. ἑκάστου δὲ ἔθνους γένη τριάκοντα, ἐξ ἀνδρῶν τοσούτων, ἃ ἐκαλεῖτο τριακάδες. Cf. Harpocr. et Suid. in γεννῆται. Ἄνδρας autem ap. Pollucem esse patres familiarum, dubium esse non potest. — Ceterum in primam et naturalem harum divisionum originem inquirere longum est hoc loco, neque necessarium; neque umquam perspici poterit, quantum natura, quantum jure ac legibus factum sit. Itaque consulto praetermisi quae apud Stephanum Byzantium e Dicaearcho excerpta leguntur, quae non docent, quid factum sit, sed quid Dicaearchus factum esse putaverit. Ad hoc non de Attica civitate singulatim, sed de omnibus in universum Dicaearchus egerat.

Permansit autem haec populi in tribus, phratrias gentesque descriptio etiam post Solonis legislationem; sed ordinum antiqua ratio et conditio ab eo mutata est, et jura civibus aequabilius distributa. Solon enim primum in libertatem asseruit eos omnes, qui antea, sive ex antiquissimi temporis instituto, sive potentiorum vi et injuriis oppressi, in eorum clientela fuerant, et patronorum agros parva mercede colere debuerant, quorum permagna erat illo tempore multitudo[58]); alios, qui, cum solvendo non essent, a creditoribus nexi aut serviebant iis, aut etiam peregre venum dabantur, novarum tabularum beneficio in liberum statum restituit; postremo summam reipublicae potestatem, quae antea penes solos Eupatridas fuerat, cum reliquis quoque civibus ita communicavit, ut jam

---

58) Plutarch. Solon. c. 13. Ἅπας μὲν γὰρ ὁ δῆμος ἦν ὑπόχρεως τῶν πλουσίων. Ἢ γὰρ ἐγεώργουν ἐκείνοις ἕκτα τῶν γινομένων τελοῦντες, ἑκτημόριοι προσαγορευόμενοι καὶ θῆτες. κ. τ. λ. Sed de ἑκτημορίοις errasse puto Plutarchum et, qui Plutarchum secutus videtur, Hesychium in Ἐπίμορτος, Tom. II. p. 1369. Sane, si sextam tantummodo fructuum partem patronis reddiderunt, quinque retinuerunt, nullo modo dura videri potuit eorum conditio, ne tum quidem, si instrumenta rustica aliaque ad agros colendos necessaria ipsis comparanda fuerunt, quae est Schaeferi sententia, ap. Platnerum, de gentt. Att. p. 8. Haec enim semel comparata, ad longum tempus durant et filiis quoque hereditaria relinquuntur; neque ita magno sumtu opus est ad ea reficienda et servanda. Itaque veriorem puto eorum sententiam, qui ἑκτημορίους dixerunt quinque partes reddidisse, sextam tantum retinuisse. Hanc enim nonnullorum fuisse sententiam patet ex Hesych. I. p. 1152. Ἑκτήμοροι: οἱ (ἐπὶ) ἕκτῳ μέρει τὴν γῆν γεωργοῦντες, et ex Eustath. ad Odyss. XIX. v. 28. p. 680, 49. Basil. 1854. Rom. ἐθνικὴ δὲ λέξις καὶ ἡ μορτὴ, τὸ ἕκτον φασὶ μέρος τῶν καρπῶν, ὃ ἐδίδοτο τοῖς ἑκτημορίοις, ὡς ἐν ἀνωνύμῳ κεῖται λεξικῷ ῥητορικῷ.

non ex generis nobilitate, sed e census magnitudine jura cuique sua et officia definirentur. Ita classibus e censu institutis, ordinum discrimen abolitum est, et nomina quoque ipsa paullatim usurpari desierunt.

Neque tamen sic existumari oportet, post latas a Solone leges plenum statim libertatis jus a populo usurpatum, omnemque Eupatridarum potentiam penitus sublatam esse. Etenim quae tam longi temporis usu inveterarunt in republica, ea solent, etiam mutatis legibus, more tamen et consuetudine aliquamdiu retineri et observari. Atque vel ipsa tribuum descriptio, quam Solon intactam reliquerat, facultatem nobilibus dabat, cum per leges reliquis civibus aequati essent, gratia tamen et factionibus praevalendi. Idcirco, quadragesimo post Solonem anno, Clisthenes, ipse quidem patricius, sed popularis partis fautor, cum nobilitatem deprimere atque in ordinem cogere studeret, primum omnium veterem illam descriptionem abolevit, novamque et plane diversam instituit, quippe nulla re magis frangi Eupatridarum vires posse intelligens. Hanc enim mutationis ab eo factae causam Aristoteles indicat[39]), veriorem sane, quam Herodotus[40]), qui propterea novatam populi descriptionem esse putat, quod dedignati sint Athenienses iisdem atque Ionicae civitates tribuum nominibus et numero uti. Clisthenes igitur primum omnem agrum Atticum in centum partes divisit, quas δήμους dixit[41]). Has

---

39) Politic. VI. cap. 4.

40) Lib. V. cap. 69.

41) *Δήμων* nomen haud dubie longe fuit Clisthene antiquius, eoque appellatae sunt agri Attici partes, quia olim

autem centum partes in decem tribus aequabiliter distribuit, ut ex denis unaquaeque δήμοις constaret, eodem fere modo, ut olim quatuor illis antiquis tribubus phratriae trinae, aut apud Romanos vetustissimis Romuli tribubus denae curiae subjectae erant. Nomina autem tribubus indidit, oraculi, ut ajunt, Delphici monitu, a veteribus heroibus, Cecrope, Erechtheo, Pandione, Aegeo, Hippothoonte, Oeneo, Acamante, Antiocho, Leonte et Ajace. Δῆμοι autem alii ab oppidis vicisque denominati sunt, qui in iis erant, ut Marathon, Lampra, Icaria, Thoricus, Decelea, Oenoë, Eleusis, Rhamnus, alii a gentibus, quae ibi inhabitabant, ut Daedalidae,

---

separatae ac discretae fuerant respublicae. Hoc sensu Plutarchus δήμους vocat in Thesei vita, cap. 24: Ἐπιὼν οὖν ἀνέπειθε κατὰ δήμους καὶ κατὰ γένη κ. τ. λ. Sed nulla talis fuit certa atque legitima δήμων descriptio, qualis nunc a Clisthene instituta est. Exstat quidem lex Attica, quam Soloni Gajus tribuit (vid. infr. cap. 2. not. 1), in qua cum aliis collegiis atque corporibus etiam δῆμοι nominantur; sed Solonis hanc legem esse, equidem non credo. Quod autem Demetrius Phalereus, ap. Schol. ad Aristoph. Nub. v. 37. Δημάρχους a Solone institutos dixit, errasse eum testatur Aristoteles in Ath. rep., qui ap. eund. Schol. et ap. Photium in Ναυκραρία Clisthenem hoc fecisse tradit. Sed ante hunc Naucrari multa curasse dicuntur, quae postea Demarchis imposita sunt, qua de re vid. Boeckh. Staatshaushalt. d. Ath. Tom. I. p. 169. 328. II. 47. Ideo comparari inter se solent, ut et Naucrariae, quiqus illi praeerant, cum Δήμοις. Erant enim Naucrariae quoque tribuum partes. Ναυκραρία ἦν τέως (i. e. ante Clisth.) φυλῆς δυοκαιδέκατον μέρος· καὶ δώδεκα ναύκραροι ἦσαν, τέσσαρες κατὰ τριττὺν ἑκάστην. Pollux, VIII. 108. Nomen inde traxerunt, quod singulae singulas naves reipublicae praebebant. Sed etiam post Clisthenem permanserunt Naucrariae, aucto tamen numero. Factae enim sunt quinquaginta. Quae de iis a veteribus traduntur, congessit Boeckhius l. l. passim. Sed tota res longe est obscurissima, ita ut ne conjecturis quidem materia suppetat.

Ionidae, Semachidae, Paeonidae, Philaidae, Scambonidae, Cothocidae aliique multi; nam omnia ista nomina enumerare longum est et supervacaneum, cum e multis pervulgatisque libris facile a quovis cognosci possint.

Sed permutata in hunc modum tribuum descriptione, phratorum tamen gentiliumque vetera collegia non simul cum antiquis tribubus dissolvenda Clisthenes putavit, religione potissimum commotus, ne sacra eorum communia interirent. Ad hoc, cum sacerdotia plurima et augustissima certis quibusdam gentibus attributa antiquitus essent, neque ab aliis nisi gentilibus rite capi possent[42]), gentium discrimine sublato ipsae deorum religiones perturbatae et violatae forent. Itaque relictae sunt a Clisthene gentes et phratriae, et postea quoque per omnes reipublicae vicissitudines in extrema tempora perdurarunt. Erat autem earum ratio a novis tribubus curiisque prorsus decreta atque sejuncta, ita ut qui gentiles inter se ideoque etiam phratores essent, curiarum tamen et tribuum diversarum esse possent[43]). Porro autem, cum omnes omnino cives Atticos, adscripticios non minus quam genuinos, in una aliqua tribu et curia censeri oporteret, phratorum gentiliumque collegiis ii tantum recipiebantur, qui genuina stirpe Attica oriundi essent[44]), quamobrem saepissime ab oratoribus phratorum indices adhibentur ad probandam *εὐγένειαν* et natalium sinceritatem.

---

42) Vid. Taylor. ad Lycurg. p. 123. Oratt. Gr. Tom. VIII. Reisk.

43) Cf. Niebuhr. Hist. Rom. Tom. I. p. 229.

44) Aristoph. Ran. 420. Av. 765, cum inttpp. cf. Niebuhr. l. l.

Tribuum autem curiarumque ratio ita erat ab initio descripta, ut qui iisdem locis habitarent et fundos suos possiderent, hi curiis quoque iisdem et tribubus accenserentur, ut v. c. qui Marathone habitaret, curialis quoque Marathonius esset, aut Acharnensium curiae nemo adscriptus esset, nisi qui in pago Acharnensi sedem suam haberet. Sed hanc rationem necesse erat, paullatim nonnihil immutari. Nam cum filii patrum curiis adscriberentur, fieri autem non posset, quin suam fortunarumque suarum sedem nonnunquam in aliam Atticae partem transferrent, haud raro evenisse oportet, ut qui Marathone, verbi causa, habitaret, non in Marathoniorum curia censeretur, sed fortassis in Acharnensium, quibus ab initio familia ejus inscripta esset[45]. Neque habuit haec res quidquam incommodi aut molestiae, cum omnes curialium tribuliumque conventus omnisque rerum communium administratio non in istis oppidis pagisque sed Athenis tantum peragerentur.

Numerus autem curiarum non idem omni tempore permansit, sed tantum non duplicatus est. Nam cum a Clisthene centum institutae essent, Strabonis tempore fuerunt centum septuaginta quatuor. Cujus rei causas fuisse arbitror cum auctam hominum in Attica multitudinem, pagosque novos conditos, tum autem additas duas tribus, Antigonidem et Demetriadem, quae post, mutatis nominibus, Ptolemais et Attalis dictae sunt. Quid enim verisimilius, quam tunc ex antiquis curiis nonnullas, quae majores essent, in plures minores divisas

---

45) Taylor. Lectt. Lysiac. p. 252. Non omnes in suo δήμῳ habitasse patet e Demosth. adv. Eubulid. p. 1302, ac multos in alienis δήμοις fundos habuisse, ex eod. in Polycl. p. 1208. Cf. Aristot. Oecon. II. 2. 5.

ex iisque novas curias novis tribubus additas esse[46]). Sed e veteribus quoque curiis non paucae his tribubus additae sunt, velut Hagnusii, qui prius fuerant tribus Acamantidis, post Demetriadi, et, quae in ejus locum successit, Attalidi subjectae erant; eodemque modo Agryle ex Erechtheide, Atene ex Antiochide in Attalidem, Themacus ex Erechtheide, Conthyle e Pandionide in Ptolemaidem transierant[47]). — Sed haec hactenus.

CAPUT II.

De tribuum conventubus.

Hae omnes populi partes, quamquam universae civitati, ut membra corpori, subjectae erant, nihilo tamen minus et ipsae peculiarium corporum atque universitatum numero habendae sunt. Nam et antistites suos ac praefectos habebant, et de suis quaeque negotiis in commune consulebant ac statuebant, quibus rebus omnis universitatis vis atque natura continetur. Exstat autem hodieque vetus lex Attica, quae ipsi Soloni a Gajo tribuitur, quae potestatem facit illis corporibus, pactiones, quas velint, sibi ferre, dum ne eae publicis, hoc est universae civitatis legibus contrariae sint[1]).

---

46) Ejusmodi novam curiam fuisse arbitror Berenicidas, tribus Ptolemaidis, et fortassis etiam Apollonienses, tribus Attalidis. Vid. Meurs. de popp. Att. his. vocc.

47) Vid. Meurs. l. l. his vocc.

1) L. IV. D. De collegiis. Notissimum est, quantas lites hujus legis explicatio excitaverit inter duumviros, Philologorum ac Iurisconsultorum suae aetatis principes, Salmasium

Necesse igitur erat, conventus subinde ab iis haberi, in quibus de rebus suis consulerent et universitatis suae negotia tractarent; atque hi sunt, de quibus nunc dicere instituimus. Nam illi quidem, qui sacrorum communium causa ab iis celebrari solebant, diversi sunt generis et consilio nostro aliena. Sed phratriarum gentiumque conventus non fere nisi sacrorum causa habiti; minora autem collegia, veluti mercatorum, nautarum, opificum, etiamsi aliis de causis conventus agere solebant, hi tamen minus ad rempublicam pertinebant; quapropter hos quoque hoc loco praetermittendos duximus. Restant igitur tribus et curiae, in quarum conventubus non sacra solum fiebant, sed negotia quoque communia tractabantur, neque ea solum negotia, quae ad singulas peculiariter tribus et curias spectarent, sed multa etiam, quae cum universa republica conjuncta essent. De utrisque igitur, quantum compertum nobis est, exponemus.

Primum igitur tribuum antistites atque curatores a suis quique tribulibus creabantur. Atque antiquissimis quidem temporibus, ante mutatam a Clisthene tribuum descriptionem, quatuor erant *Φυλοβασιλεῖς*, ex Eupatridis creati[2]), qui sacrorum im-

---

et Heraldum. Vid. Salmas. de mod. usur. cap. 3. Herald. Obss. et Emendd. cap. 42., in Euerard. Ottonis Thesaur. J. R. Tom. II. p. 1364. Salmas. Obss. ad J. A. et R. cap. 4. Herald. Animadv. lib. II. cap. 1 — 3. Dijudicata haec controversia partim ab aliis est, partim a Bynkershoekio, in Obss. J. R. lib. I. cap. 16., ad quem nunc mihi lector ablegandus est. Tractavit hanc legem etiam Petitus, Legg. Att. p. 524, ubi cf. Wesseling. Ceterum non Solonis eam mihi esse videri, dixi supra.

2) Pollux, VIII. 111. Hesych. in *Φυλοβασιλεῖς*. Photius in *Ναυκραρία*.

primis curationem habuisse et judicia quaedam exercuisse dicuntur[3]). Sed horum omnem fere memoriam obscuravit vetustas, et nullo, quod sciam, Φυλοβασιλέων mentio est apud veteres Atticos. Neque id mirum; dudum enim creari desierant, cum illi res suas litteris mandare coeperunt. Absque Grammaticis ne hanc quidem quamvis tenuem eorum notitiam haberemus.

Nec multo melius de curatoribus, ἐπιμεληταῖς, actum est, qui a tribubus creari solebant. Nominantur illi quidem ab Antiphonte et Demosthene; sed de muneribus eorum perpauca sunt, quae isti oratores nos docent. Hoc tamen constat, curationem eorum etiam ad solennia illa munera ludosque pertinuisse, musicos, gymnicos, scenicos et, liceat enim verbo paullo insolentiore uti, saltatorios, quos certis quibusdam festis, Dionysiis, Panathenaeis, Thargeliis aliisque a tribubus earumque Choragis ac Gymnasiarchis edi moris erat. Ac primum quidem e Demosthenis Midiana[4]) colligi potest, eorum fuisse officium, ut Choragos et Gymnasiarchos a tribubus suis nominari curarent; porro ex Antiphontis oratione de saltatore probabile mihi videtur, eos providere oportuisse, in saltatoriis quidem ludis, ut suppeterent Chorago ex tribulium liberis, quos doceri curaret, et in scenam ad saltandum produceret[5]). Denique in omni ludorum apparatione

3) Pollux l. l. et 120. Praeerant judiciis in Prytaneo, quae tamen magis pro ritu quodam vetustae religionis, quam pro veris judiciis habendi sunt. Vid. qui laudantur a Matthiae, de Judic. Athen. p. 152.

4) P. 518. 519. Cf. Sigon. de Rep. Athen. IV. cap. 2. p. 606.

5) Antiph. de salt. p. 142, 44. 143. init. ed. Steph. Narrat is, cui scripta est oratio, se Choragum Erechtheidis et Cecro-

multa cum editoribus una videntur administrasse[6]), pecunias fortasse, quae a tribulibus in ludos collata essent, dispensasse[7]), et omnino vidisse, ut Choragi atque Gymnasiarchi muneribus suis recte fungerentur. Suidas autem hoc quoque officium iis tribuit, ut viderent, ne chori in theatro immodeste et petulanter se gererent[8]). Ceterum cum plures essent singularum tribuum curatores, verisimile est, aliis aliorum ludorum procurationem mandari solitam esse; quae opinio confirmari posse videtur Demosthenis loco, ubi Midiam petiisse ait a tribulibus, ut ipsum crearent *ἐπιμελητὴν εἰς τὰ Διονύσια*, curatorem eorum ludorum, qui Dionysiorum festo committerentur. Neque enim hos nominatim designasset, si omnium *ἐπιμελητῶν* curatio ad omnes ludos pertineret.

Sed si quaeris, quaenam alia negotia a curatoribus tribuum administrata sint, id me ignorare fateor. Sunt quidem, qui tribulium conventus ab iis habitos, tribuumque res communes et imprimis ae-

---

pidis constitutum, cum propter alia negotia chorum instruendum et exercendum ipse curare non posset, suo loco hanc curam mandasse duobus viris, Amyniae, *ὃν αὐτοὶ οἱ φυλέται (οἱ τῆς Ἐρεχθηΐδος) ἐψηφίσαντο συλλέγειν* (intell. *τὸν χορόν*) *καὶ ἐπιμελεῖσθαι τῆς φυλῆς ἑκάστοτε, δοκοῦντα χρηστὸν εἶναι*, et alteri, quem non nominat, e Cecropide, *ὅσπερ ἑκάστοτε εἴωθε ταύτην τὴν φυλὴν συλλέγειν*, i. e. *τὸν τῆς φυλῆς χορόν*, ut dixerat ante, p. 142, 34.

6) Idcirco Midias, ap. Demosth. p. 519, *ἐπιμελητὴς* fieri cupit, ut videlicet Demostheni in apparandis ludis quam molestissimus esse posset; quod non fecisset, nisi *ἐπιμελητῶν* officium etiam ad hanc apparationem pertinuisset.

7) Neque enim omnes sumtus a solis Gymnasiarchis aut Choragis praebebantur. Vid. Demosth. Philipp. I. p. 55.

8) Suid. in *Ἐπιμεληταί*: *ἐπιμεληταὶ ἐχειροτονοῦντο τῶν χορῶν, ὡς μὴ ἀτακτεῖν τοὺς χορευτὰς ἐν τοῖς θεάτροις.*

rarium procurata esse velint; neque ego iis contradico, de conventubus saltem; hos enim ab aliquo praeside habitos esse oportet, neque alios novi, praeter ἐπιμελητάς nostros, quibus id munus vindicari possit; sed testimonium veteris alicujus scriptoris nullum afferri potest. Nam qui a Sigonio[9]) affertur Antiphontis locus, eum huc non pertinere, jam Valesius monuit[10]). De aerarii autem curatione citat quidem Sigonius testem Demosthenem, vel quisquis est, qui orationem in Theocrinem scripsit; hanc enim ille indicat. Sed narrat is quidem[11]), Theocrinem tribulium suorum res communes (τὰ κοινά) administrasse, atque postea in judicio peculatus damnatum esse; sed ἐπιμελητὴν τῆς φυλῆς eum fuisse, id vero non orator ipse dicit, sed Grammaticus nescio quis, qui orationis argumentum composuit, cujus auctoritas mihi quidem levissima esse videtur. Sed ut fuerit ἐπιμελητής Theocrines, multis modis τὰ κοινά administrare poterat, neque tamen arcae communi praefectum eum fuisse necesse est. Habebant enim tribus *Ταμίαι* suos ab ἐπιμεληταῖς diversos, quibus arcae communis curam demandatam fuisse, nomen ipsum ostendit, ut hoc quidem officium ἐπιμεληταῖς imponere non opus sit. Ceterum de *Ταμίαις* istis nihil praeter nomen habemus, atque id ipsum, quantum equidem sciam, semel memoratur. Sed creatos eos a tribulibus esse, dubitari non potest.

Fuerunt praeterea ex magistratubus plures, quos ex tribubus quidem singulis singulos creatos aut sortitos esse constat, non autem a tribulibus: ex

---

9) De Rep. Ath. l. 1.

10) Ad Harpocrat. p. 70.

11) Orat. in Theocrin. p. 1326.

quo genere fuerunt Strategi, Taxiarchi, Phylarchi, Apodectae, Poletae, alii[12]). De quibusdam incerta res est, velut de iis, qui undecimviri dicebantur, cum revera decem essent, sed quibus undecimus adnumerabatur scriba[13]). Hos enim e recentioribus nonnulli a tribulibus quosque suis sorte ductos esse credunt[14]). Mihi tamen haec vera videtur sententia, eos tantum magistratus aut curatores a tribulibus suis constitui solitos esse, quorum munera ad ipsarum tribuum res atque negotia pertinerent, reliquos non item. Quamquam hoc quidem facile mihi persuaderi patiar, etiam in illorum magistratuum sortitionibus hoc juris tribubus fuisse, ut ferrent e suo corpore candidatos, inter quos sors duceretur. Neque illud hoc loco praetereundum est, quod Corsinius[15]) suspicatur, Senatorum quoque sortitionem in tribuum conventubus a curatoribus peractam esse.

Sed qui ad tribuum negotia administranda a tribulibus creati erant, hi ab iisdem etiam ad rationem referendam vocabantur. Ita Theocrinem, sive is ἐπιμελητής sive ταμίας tribus suae fuerit, a tribulibus peculatus damnatum esse legimus[16]); judici-

---

12) De Strategis, Taxiarchis, Phylarchis vid. lib. II. cap. 11. De Apodectis, Harpocr. h. v. Pollux, VIII. 97. Lex. Rhet. Bekker. p. 198. De Poletis, Harpocr. h. v. Pollux, VIII. 99. Lex. Rhet. Bekk. p. 291. Quod autem Ubbo Emmius, Descript. Reip. Att. p. 75. ed. Elzevir., putat, Phylarchos jam ante Clisthenem quaternos fuisse, eosque, cum nomen eorum ad rem militarem postea translatum sit, dictos deinde ἐπιμελητὰς φυλῶν, mera est hariolatio. Veteres ipsi non alios φυλάρχους agnoscunt, quam hos militares.

13) Jul. Pollux, VIII. 102. Lex. Rhet. Bekk. p. 250.

14) Postellus de Rep. Ath. cap. 10. (in Gronov. Thesaur. Tom. V. p. 1532.)

15) Fast. Att. Diss. VI. n. 4. p. 265.

16) Orat. in Theocrin. p. 1326.

umque illud in Leontidarum, (ejus enim tribus erat), conventu, non apud Logistas et Euthynos, qui de reipublicae magistratubus illa judicia exercere solebant[17]), peractum esse, cum ex universo orationis contextu patet, tum imprimis ex commemoratione Psephismatis, quod, cum satisdaret tribulibus Theocrines, a Scironide quodam ea de re conscriptum esse dicitur ἐν τοῖς φυλέταις, in tribulium conventu[18]).

Porro ad tribuum conventus pertinebat rerum communium administratio. Habebant enim omnes et fundos suos, et arcam communem ex fundorum maxime reditubus, cui praefectus, ut supra diximus, *Ταμίας* erat[19]). Fundi autem illi elocari a tribubus solebant, et superest hodieque inter inscriptiones, a Fourmontio a. 1729 Athenis repertas, tribus cujusdam (nomen enim deletum est), Psephi-

17) Cf. Boeckh. Staatshaushalt. d. Athen. Tom. I. p. 204 — 207.

18) In Theocr. p. 1327.

19) Omisi supra, cum de *ταμίαις* loquerer, eum locum laudare, in quo uno, ni fallor, eorum mentio occurrit. Est is in inscriptione ap. Boeckhium, Staatsh. d. Ath. Tab. VII. no. XVIII. In eadem inscriptione, vers. 10, legitur etiam vocabulum *ΓΕΙΜΕΝΙΤΑΙΣ*, cujus loco Boeckhius, Tom. II. p. 339, legendum censet *ΤΕΜΕΝΙΤΑΙΣ*. *Τεμενίτας* autem esse putat sacrorum fundorum, *τεμενῶν*, curatores. Statuendum itaque esset, ex tribuum fundis nonnullos Dis consecratos fuisse. Sed possit aliquis *ΕΠΙΜΕΛΗΤΑΙΣ* scriptum fuisse suspicari, quae conjectura minus audax est, quam primo adspectu videtur. Deleta enim litterae *Π* posteriore linea perpendiculari, exsistit *Γ*; transpositis autem a Fourmontio litteris (ex hujus enim schedis descripta est inscriptio), ex *ΕΓΙ* factum est *ΓΕΙ*. Porro litterarum *ΛΗ* et *ΝΙ*, si ex *Η* lineam intermediam deleveris, iidem fere sunt ductus. Nominantur autem *ἐπιμεληταί* in eadem inscriptione etiam vers. 13.

sma[20]), vel potius Psephismatis fragmentum, conditiones ac leges talis fundorum locationis continens.

Etiam curatores operum publicorum, veluti *τειχοποιοί*, *ταφροποιοί*, *τριηροποιοί* a tribubus populi jussu creari solebant[21]). Pecuniae, quae operibus illis reficiendis aut exstruendis usui forent, ex reipublicae aerario adsignabantur[22]); quaestores autem, *ταμίαι*, qui ex iis quantum quoque tempore opus esset, curatoribus illis numerarent, rationemque expensorum una cum iis conficerent, non populus creabat, sed tribules. Res ex Aeschinis oratione in Ctesiphontem satis nota est[23]). — Neque illud cuiquam ignotum esse arbitror, ordinariorum munerum editores a tribubus nominatos esse. De Gymnasiarchis, Choragis iisque, qui *ἑστιάτορες* vocabantur, (latine haud incommode epulones dixeris), diserta exstant veterum scriptorum testimonia[24]). Erant autem praeter hos etiam Architheori atque alii, quorum munus *ἀῤῥηφορία* dicitur[25]). Illorum

20) Est hoc illud ipsum, de quo in proxima nota locutus sum. Nomen tribus exstabat sine dubio vers. 13., ubi legitur: — — — *ΤΟΙΣ ΕΠΙΜΕΛΗΤΑΙΣ ΤΗΣΔΙ*...... Sed cum nullius tribus nomen a litteris *ΔΙ* incipiat, suspicor, a Fourmontio *Λ* et *Δ* permutata esse, scriptumque fuisse aut *ΑΙΓΗΙΔΟΣ* aut *ΑΙΑΝΤΙΔΟΣ*.

21) Aeschin. in Ctesiphont. p. 421. 422. 425.

22) *ἐκ τῆς διοικήσεως*. Aeschin. p. 426. cf. p. 415.

23) P. 422. Cf. Boeckh. I. p. 185. 217. 218.

24) Demosth. in Mid. p. 518. 519. In Boeot. de nom. p. 996., ubi notandae locutiones *χορηγόν*, *γυμνασίαρχον*, *ἑστιάτορα φέρειν*. Cf. Wolf. Prolegg. ad Demosth. Leptin. p. LXXXVII. not. 60. Boeckh. I. p. 481 — 499.

25) Vid. qui laudantur a Wolfio l. l. p. XC., not. 65. Cf. Duck. ad Thucyd. V. 16. Spanhem. ad Callimach. hymn. in Del. v. 314.

erat, solennes illas legationes ducere, quas Delum et ad sacra certamina, Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea publice mitti moris erat; horum autem munus ad pompas sacras pertinebat, et, si ex nomine conjecturam capere licet, imprimis ad virgines illas, ἀῤῥηφόρους dictas, et in quibusdam pompis procedere solitas[26]), quibus illi fortassis et ornatum, et quae ad texendum sacrum Minervae peplum opus erant, praebere debebant. Sed hos quoque non minus quam illos priores a tribulibus suis nominatos esse, non equidem video, cur dubitemus, cum praesertim Demosthenes, ubi de Choragis, Gymnasiarchis et Epulonibus loquitur, etiam alios quosdam esse indicet, quamquam non nominatim designet, qui a tribubus edi soleant[27]). Ceterum curatorum officium fuisse, videre, ut illae nominationes a tribubus recte atque ordine fierent, jam supra diximus.

Denique coronae quoque nonnunquam viris de tribuum universitate bene meritis, a tribulibus decernebantur[27]); ac tales coronas in ipsis tribulium conventubus, non in theatro, leges renuntiari jusserunt.

---

26) Vid. Meursii Lectt. Att. IV. 19. Graec. feriat. in Ἀῤῥηφορία.

27) In Boeot. l. l. ἂν χορηγὸν, ἢ γυμνασίαρχον, ἢ ἑστιάτορα, ἢ ἄλλο τι τῶν ἄλλων φέρωσι.

28) Aeschin. in Ctesiphont. p. 432. 434. Exstat hodieque vetus tribus Pandionidis Psephisma, quo Niciae cuidam corona decernitur, ap. Chandler. Inscr. Ant. P. II. t. VI. p. 48. (laud. a Koehlero: Dörptische Beiträge, a. 1814. P. I. p. 28.)

CAPUT III.

De curiarum conventubus.

Curiae quoque non minus quam tribus, quarum ipsae partes erant, magistratus suos habebant, res et arcam communes, et in peculiaribus conventubus de rebus suis consulendi ac scita, quae et ipsa ψηφίσματα dicuntur[1]), faciendi jus ac potestatem. — Magistratus autem curiarum vocabantur δήμαρχοι, quorum cum alia munera, tum hoc imprimis erat, ut, si usus esset, curialium conventus convocaret, res consultandas proponeret, in suffragium curiales mitteret[2]). Conventus autem curialium haberi solebant multis de causis. Primum enim fundos suos curiae habebant, eosque elocare tribuum exemplo solebant; neque dubium esse potest, quin de ejusmodi locationibus earumque legibus ac conditionibus, quemadmodum tribules, de quibus ante dictum est, ita curiales quoque in conventubus suis consultarint ac statuerint[3]). Deinde collationes quoque

---

1) Demosth. adv. Eubulid. p. 1301. 1318.

2) Harpocrat. et Suid. in δήμαρχος. In universum de Demarchorum muneribus conferendi sunt Inttpp. ad Jul. Polluc. VIII. 108. Schol. Aristoph. Nubb. v. 37. Sigon. de Rep. Ath. IV. 2. p. 606. Add. Boeckh. Staatshaush. d. Ath. 1. 169. II. 47. Petit. Legg. Att. p. 626.

3) Duae, quantum scio, exstant Inscriptiones, quae huc pertineant. Altera ap. Chandler. II. 109, de locatione theatri Piraeensis, cujus mentionem facit Boeckhius l. l. I. p. 330. II. 338., de qua, cum Chandlerum in his terris nancisci mihi non contigerit, nihil amplius dicere possum; altera post Chandlerum nuper a Boeckhio publicata, Tab. VII. n. XVII. de littore (παραλίᾳ), salinis (ἁλυρίοις), et agris quibusdam sacris a Piraeensium curia elocandis, ejusque locationis conditionibus. Hujus praescriptio est: Ἐπὶ Ἀρχίππου ἄρχοντος,

nonnunquam a curiis factas esse legimus, v. c. in Inscriptione, quae conditiones continet, locandorum a Piraeensium curia fundorum quorundam: *ἐπὶ τοῖςδε μισθοῦσιν ἀνεπιτίμητα καὶ ἀτελῆ· ἐὰν δέ τις εἰσφορὰ γίνηται ἀπὸ τῶν χωρίων τοῦ τιμήματος, τοὺς δημότας εἰσφέρειν.* Et Julius Pollux [4]) de Demarchis loquens, *τὰς εἰσφοράς*, inquit, *τὰς κατὰ δήμους διεχείριζον* [5]) *οὗτοι, καὶ τὰ ἐξ αὐτῶν ἀναλώματα.* Sed illae, quae in Inscriptione commemorantur, *εἰσφοραί*, tributa esse videntur, belli tempore ad supplendum aerarium publicum exacta, qualia a singulis civibus pendi solita superiore libro vidimus: neque credibile est, universitates illas, tribus et curias, quae et ipsae fundos aliaque bona communia possiderent, ab iis immunes fuisse. Has autem, quas, ut Pollux ait, Demarchi administrabant sumtusque ex iis faciendos procurabant, collationes esse arbitror ad sacra celebranda [6]) aliasque fortassis necessitates, quae plurimae incidere poterant, a curialibus subinde factas, si quando arca communis illis sumtibus non suffi-

---

Φρυνίωνος δημάρχου (i. e. Olymp. 114. 4. aut 115. 3.); extrema parte mutilata est. Quamquam autem in ea, quae superest, parte nulla est conventus Piraeensium mentio, neque aliud indicium, ex quo manifestum fiat, de conditionibus illis a curialibus in conventu scitum (*ψήφισμα*) factum esse, tamen id ita esse et per se ipsum satis patet, et tribulium illo Psephismate, de quo superiore capite diximus, confirmatur.

4) VIII. 108.

5) Ita pro vulgato *διεχειροτόνουν* legendum esse quivis, puto, cum Hemsterhusio consentiet, cum praesertim Codex Falckenburg. habeat: *ἐχείριζον.*

6) *Ἱερὰ δημοτικά*, a quibus differunt *ἱερὰ δημοτελῆ*. vid. Harpocrat. s. v. cf. Pollux, VIII. 107. Lex. Rhet. Bekk. p. 240.

ceret. Sed de his rebus Demarchos ad curialium conventum referre oportuisse, etiam sine veterum scriptorum auctoritate confidenter affirmare posse mihi videor. Ceterum reliqua rei pecuniariae administratio non ad Demarchos sed ad *ταμίας* curiarum pertinuisse videtur, qui in Inscriptione quadam memorantur[7]).

Porro hos, quos nominavi, magistratus, Demarchos et arcae communis praefectos (*ταμίας*), in curialium conventubus creatos esse curialium suffragiis, vel propterea verisimillimum videri debet, quod eodem modo et a tribulibus curatores tribuum (*ἐπιμελητάς*), et a Phratriis Phratriarchos creatos esse constat[8]); neque sane ullum apud quemquam scriptorem exstat vestigium, ex quo, cum Heraldo[9]), Demarchos non suffragio creatos sed sorte ductos esse colligas. — Praeterea sacerdotia quaedam erant, de quibus, quamquam sortito dabantur, tamen eam potestatem curiae habebant, ut ex suo corpore viros aliquot genere praecipuos eligerent ac nominarent, quibus sortiri liceret. Ita apud Demosthenem[10]) Euxius: *ὑπ' αὐτῶν τούτων (τῶν δημοτῶν) προεκρίθην ἐν τοῖς εὐγενεστάτοις κληροῦσθαι τῆς ἱερωσύνης τῷ Ἡρακλεῖ.* Parasitos quoque, (erat et hoc sacerdotii genus), e curiis electos esse constat[11]), quamquam de hujus electionis ritu modoque nihil nobis compertum est.

---

7) Apud. Chandler. II. 109. (laud. a Boeckhio, I. p. 172).

8) De tribuum curatoribus vid. cap. 2. huj. libr.; de Phratriarchis: Demosthen. adv. Eubulid. p. 1305. *εἵλοντό με φρατρίαρχον.*

9) Animadv. ad I. A. et R. II. 3. §. 6. p. 94. Laudat Heraldus Demosth. adv. Eubulid. p. 1306. *ἔτι τοίνυν ἀρχὰς ἔλαχε καὶ ἦρξε δοκιμασθείς.* Sed inter illas *ἀρχάς* Demarchiam quoque fuisse, id nusquam dicit Demosthenes.

10) Adv. Eubulid. p. 1313. cf. Herald, l. l. p. 93.

11) Petit. Legg. Att, p. 159. sqq.

Sed duae sunt res, omnium, quae in his conventubus agi solebant, facile gravissimae: novorum civium in lexiarchicas tabulas inscriptio, et eorum, qui inscripti erant, recognitio. Omnes enim cives Atticos, et ingenuos et adscripticios, uni alicui curiae accensos ejusque indici inscriptos esse oportebat. Vocabantur autem illi curialium indices ληξιαρχικὰ γραμματεῖα, propterea, quod posteaquam iis inscripti erant, et hereditates adire poterant, et patrimoniorum domini fiebant, utpote virorum jam ac civium numero recepti. Adire autem hereditatem Atheniensibus dicitur λαγχάνειν κλῆρον: inde ipsa patrimonia λήξεις vocantur, et patrimonii dominum esse, τῆς λήξεως ἄρχειν[12]), Has igitur tabulas lexiarchicas Demarchi custodiebant, nominaque inscribebant aut expungebant; neutrum tamen sine curialium consensu facere poterant. Itaque si quis aut filium pater aut pupillum tutor[13]) inter cives recipi vellet, curialium, si non omnium, at eorum certe, quibus aliqua cum illo affinitas aut notitia intercederet, conventum convocari juvenemque ibi produci oportebat, Tum pater aut tutor juvenis

---

12) Harpocrat. in ληξιαρχικὸν γραμματεῖον. cf. Suid. et Hesych. in λῆξις et ληξιαρχεῖον ibiq. Intpp. Pollux, VIII. 104.

13) Pupillos tamen ante in judicio δοκιμασθῆναι oportuit, de qua δοκιμασίᾳ dixi lib. I. cap. 6. Sed quod ibi a me positum est, videri eam δοκιμασίαν nonnisi ad pupillos seu orbos pertinere, confirmatur Lexici Rhetorici auctoritate, in Bekkeri Anecd. I. p. 235. δοκιμάζονται δὲ καὶ οἱ ἐφ' ἡλικίας ὀρφανοὶ, εἰ δύνανται τὰ πατρῷα παρὰ τῶν ἐπιτρόπων ἀπολαμβάνειν. Et sane apud oratores, ubicunque epheborum δοκιμασία memoratur, semper de orbis, qui a tutoribus patrimonium recipiunt, sermo est, v. c. in Demosthenis ἐπιτροπικοῖς. cf. Isaeus, de Astyphili hered. p. 77. 35. et alibi passim.

nomen profitebatur, et legitimo eum matrimonio[14]) procreatum esse, jurejurando, ut puto, interposito, affirmabat. Curiales item jurati in suffragium ibant. Liberum autem cuivis erat, juvenem illum aut non ejus, cujus diceretur, filium, aut non legitime procreatum, aut alia quacunque de causa inter cives non inscribendum esse arguere. Ad disceptationem tunc res revocanda erat. Sed si major curialium pars patris aut tutoris professionem suffragio suo comprobasset, nomen juvenis in lexiarchicam tabulam a Demarcho inscribebatur[15]). Exin ille curiae atque civitatis pars, juriumque civilium ac rerum omnium communium et publicarum particeps erat. — Ceterum simili modo inter curiales recipiendi erant, si qui adoptione aut adrogatione e sua curia in aliam transirent[16]).

Sed evenit saepenumero, ut curiae aut curiarum praefecti, pretio aut gratia corrupti, multos in tabulas lexiarchicas inscriberent peregrinos aut illicitis matrimoniis procreatos, quos civium numero haberi leges vetuerant, erantque eo nomine Potamii, e tribu Leontide, maxime infames, quod insitivi cives facile apud eos reciperentur[17]). Institutum quidem a veteribus legislatoribus erat, ut cuivis eum, qui civium tabulis per nefas irrepsisset, et

---

14) Hoc est, patre et matre civibus; inter civem enim et peregrinam non erant legitima matrimonia, neque legitimi eorum liberi habebantur, sed nothi, certe post Eucliaem, et jam ante eum subinde, quamquam antiquiores hac de re leges Solonis et Periclis brevi obsoleverant. Vid. Petit. Legg. Att. p. 215. sq. et quae a nobis dicta sunt lib. I. cap. 6.

15) Vid. imprimis Demosth. adv. Eubulid. p. 1318.

16) Demosth. in Leochar. p. 1091. Isaeus de Apollodor. hered. p. 66, 17.

17) Harpocrat. in Ποταμός.

civilia jura sibi non debita usurpasset, reum facere, quin, si forte primo judicio damnationem pretio et largitionibus redemisse videretur, iterum in judicium vocare liceret; quae accusationes ξενίας et δωροξενίας γραφαί dicebantur[18]). Sed cum ne sic quidem ab omni illorum hominum fraude satis caveri posset, alia quoque ratio inita est, ut ipsis curialibus de insitivis civibus judicium committeretur. Auctorem hujus instituti Demophilum quendam fuisse tradunt, Archia, ut videtur, archonte, hoc est, Olymp. XC. 2[19]). Erat autem ejusmodi. Si quando suspicio incidisset, esse quosdam in lexiarchicis tabulis cives insitivos (παρεγγράπτους Attici dicunt), populiscito[20]) jubebantur curiae, tabularum suarum recognitionem instituere, et eos, qui injuria inscripti essent, ejicere. Constituto igitur die singulae curiae, e suo quaeque pago, in urbem conveniebant[21]). Cuique conventui praeerat Demarchus[22]), et una fortassis cum Demarcho Senator aliquis, qui ejusdem curiae esset. Apud Demosthe-

18) Harpocrat. et Suid. in δωροξενία. Lex. Rhet. Bekk. p. 240. Pollux, VIII. 40.

19) Schol. ad Aeschin. or. in Timarch. p. 108., et Taylor. ad h. l. — Scholiastae illius auctoritas parvi pendenda esset, nisi Aeschines ipse ei fidem faceret, cum dicat: ἐπειδὴ δὲ ἐμνήσθην τῶν διαψηφίσεων (ita enim illa curialium judicia vocabantur,) καὶ τῶν τοῦ Δημοφίλου πολιτευμάτων. De tempore vid. Harpocrat. in διαψήφισις: ἐντελέστατα δὲ διειλέκται περὶ τῶν διαψηφίσεων, ὡς γεγόνασιν ἐπὶ Ἀρχίου ἄρχοντος, Ἀνδροτίων ἐν τῇ Ἀτθίδι καὶ Φιλόχορος ἐν ἕκτῳ τῆς Ἀτθίδος. Cf. Anonym. (i. e. Scaliger.) in Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ, Meurs. Lectt. Attic. III. 10. et Taylor ad Aeschin. l. l.

20) Demosth. adv. Eubulid. p. 1303.

21) Demosth. adv. Eubulid. p. 1302.

22) Hujus enim fuisse ait Harpocratio συνάγειν τοὺς δήμους, ὁπότε δεήσειεν, καὶ ψῆφον αὐτοῖς διδόναι.

nem certe[23]) Eubulides, cúm Senator esset, omne *διαψηφίσεως* negotium in sua curia administrasse dicitur. Poterat sane idem vir et Senator esse et Demarchus; et Demarchum Eubulidem fuisse Valesius arbitratus est[24]). Demosthenes tamen id nusquam ne verbo quidem significat, sed ita loquitur, ut, mea quidem sententia, nihil aliud ex ejus verbis colligi possit, quam Eubulidem, quia Senator esset, propterea curialium conventui praefuisse, eatenus certe, ut et jusjurandum ab iis acciperet, et lexiarchicam tabulam in sua potestate haberet[25]). Et sane alibi quoque Senatores cum Demarchis in negotiis quibusdam administrandis conjungi videmus[26]); quo minus mirum videri potest, eos hoc quoque negotium una administrasse.

Sed postquam convenerant curiales, primum omnium jusjurandum eos dare oportebat, se juste atque ex animi sententia, nec gratiae aut inimicitiae obsequentes, suffragium laturos esse[27]). Tunc apertis tabulis omnium, qui inscripti erant, nomina recitabantur. Curiales de singulis interrogabantur, verosne eos et legitimós an insitivos cives es-

---

23) Adv. Eubulid. p. 1301.

24) Ad Harpocrat. p. 40. cf. Petit. Legg. Att. p. 210.

25) Verba Demosthenis l. l. haec sunt: *Καὶ βουλεύων (ὁ Εὐβουλίδης) ὦ ἄνδρες δικασταὶ, καὶ κύριος ὢν τοῦ θ' ὅρκου καὶ τῶν γραμματείων, ἐξ ὧν ἀνεκάλει τοὺς δημότας, τί ποιεῖ; κ. τ. λ.*

26) Demosth. in Polyclem, p. 1208. *ἐψηφίσασθε — — τοὺς βουλευτὰς καὶ τοὺς δημάρχους καταλόγους ποιεῖσθαι τῶν δημοτῶν, καὶ ἀποφέρειν ναύτας.*

27) Hanc jurisjurandi partem, quam ab Eubulide deletam esse Euxitheus, cui illa oratio scripta est, criminatur, e Demosthene cognoscimus, p. 1318. ad fin. Reliqua, quae Eubulides reliquerat, nobis perierunt. Cf. p. 1307. 1301.

se censerent. Licuit cuivis, surgere et insitivum aliquem esse arguere. Criminationem sequebatur defensio, cum probationibus et testimoniis ab utraque parte[28]). Denique in suffragium curiales mittebantur, aut, si tempus non suppeteret, res in posterum diem differebatur[29]). Suffragia autem in hac *διαψηφίσει* non calculorum sed foliorum fuisse Grammatici dicunt[30]). Qui ejecti erant, quod *ἀποψηφισθῆναι* Attici dixerunt[31]), hi, si acquiescerent curialium judicio, nihil amplius mulctabantur, nisi quod civitate privati, in inquilinorum statum redibant. Sed si qui se putarent injuste a curialibus ejectos esse, ad aliud judicium provocare poterant, ita tamen, ut, si hic quoque condemnati essent, servi fierent ac venum darentur[32]).

---

28) Demosth. adv. Eubulid. p. 1302. Cf. Aeschin. d. fals. leg. p. 345.

29) Demosth. l. l. p. 1302. 1303.

30) Pollux, VIII. 18. Auctorem nullum citat. Demosthenes autem in or. adv. Eubulid. *ψήφους* nominat.

31) *Ὠνομάζετο δὲ ταὐτὸν τοῦτο ἀποψηφίσασθαι, καὶ ἀπεψηφισμένον ὑπεναντίως τῷ παρὰ τοῖς δικασταῖς. ἐκεῖ γὰρ τὸ ἀποψηφίσασθαι τὸ ἀφεῖναί ἐστιν· ἐν δὲ τοῖς κατὰ δήμους δικαστηρίοις ἀντὶ τοῦ καταψηφίσασθαι τάττεται.* Pollux, VIII. 19. Exempla afferre, ineptum esset. Cf. Taylor. praef. ad Dem. or. Eubul. p. 962.

32) Auctor argum. ad Dem. or. adv. Eubulidem, (quem Taylorus Didymum esse putat), p. 1298. De provocatione (*ἐφέσει*) in his causis cf. Dionys. Halicarn. de Isaeo, p. 109. extr. ed. Sylb., ubi sat magna pars orationis Isaei adscripta est, in simili argumento versantis, atque Eubulidea Demosthenis, quae una hodie ex hoc genere superest. — Ceterum de omni hoc curialium judicio ac *διαψηφίσει* cf. Petit. Legg. Att. p. 209. sqq. Sed qui ab eo affertur Hesychii locus (in *κυαμοτρώξ*), *ἐν ταῖς διαψηφίσεσι κυάμοις ἐχρῶντο*, is huc nihil pertinet.

Sed alia quoque διαψηφίσεως instituendae causa erat. Nimirum si quando lexiarchica alicujus curiae tabula perierat, in nova conficienda diligenter providebatur, ne qui inscriberentur, nisi ii, quorum civitas reliquorum curialium suffragio comprobata esset. Hujus quoque διαψηφίσεων generis Demosthenes mentionem facit in oratione adversus Eubulidem[33]), ex qua oratione omnis fere harum rerum notitia repetenda est.

Denique, ut a tribubus, ita a curiis quoque coronae aliique honores decerni poterant[34]). Atque de his quoque leges caverant, ne alibi quam in ipsis curiarum conventubus renuntiarentur; quamquam non semper eae leges religiose observari solebant. Superest enim Piraeensium Psephisma, quo Callidamanti cuidam corona oleagina decernitur, in theatro renuntianda[35]).

33) Pag. 1306.

34) Demosth. adv. Eubulid. p. 1318. extr. 1319. Cf. de coron. p. 267. Aeschin. in Ctesiph. p. 434. Boeckh. I. p. 331.

35) Apud Chandler. Inscr. Gr. P. II. t. CVIII. p. 72. (laud. a Koehlero p. 26).

INDEX RERUM

ET

LOCUTIONUM PRAECIPUARUM,

QUAE QUIBUS LOCIS EXPLICATAE SINT, EX CAPITUM INDICE NON PATET.

U.

Υ.

X.

Z.

Addenda et Corrigenda.

Pag. XVI. lin. 20. leg. Senatum. XVIII., 14. Collyttensis. Alibi quoque in hujus nominis scriptura peccatum est. Sed de veris formis *Κυλλιτός* et *Κολλυτεύς* vid. Spon. in Gronov. Thesaur. IV. p. 733. Scribendum igitur: Collytensis, non Colyttensis, multo minus Collyttensis, quae forma typothetae debetur. Sed de Ecclesiastici auctore vid. quae lib. I. cap. 5. accuratius disputata sunt. — Pag. 32, 27 pro 6 leg. 2. 62, 22. Ceterum. 81 F, 4. sive. 83 F, 11. ante *Ulpiani* exciderunt verba: *Libanii aut* 85 F, 20. *Πρυτανέων*. Rectius scribitur *Πρυτάνεων*; sed in talibus secutus sum editiones, ex quibus quaeque loca exscripsi, nimia fortassis religione.

Pag. 81 G, 21. Pro *Ξυπεταίων* scrib. *Ξυπετεών* aut *Ξυπεταιών*, et lin. seq. Xypeteones aut Xypetaeones. Vid. Meurs. de popp. Att. in Gron. Thes. IV. 762. — Pag. 100, 5. Del. *dicendo*. 102, 8. quia. 128, 7. *diribitorum* pro *divibitorum*. 154, not. 20, 2 a fin. Perithoedas. 136, not. lin. 2. *Οἰνοαῖος*. 157. n. 29, 6. post *liberatae* inser. *urbes*, et l. 8. scrib. CIX. — 155, 5. *talem* pro *tamen*. 160, 3. *ὑπωμοσίαν* et l. 4. *ὑπομόσασθαι*. 164, n. 12 extr. Scrib. comma post *κριθῆναι*. 169, 14. magis magisque. 172, 3. post *erat* add. arbitrium. 173, 3 a fin. del. *statu* et pro *civi* scrib. *cive*. 182, 11. ad quos. 189, 6. videatur. 196, n. 81, 4 pro *παρανόμων* scrib. *παραπρεσβείας* 199, 13 a fin. utrique 208, n. 111, 6. *κλεψύδραν*. 223, 10. condemnatus est. 230, n. 7, 10. scrib. *ὁ συμβουλεύω*. 233, n. 14. Verba: *κατέγνωτε*, *id quoque* collocanda sunt lin. seq. post *συκοφαντίας*. 254, n. 13, 2. Del. colon post *ἐκτιθέτω*. 255, 5. damnas. 256, 2. publice. 273, n. 51, 5. *τριτολογίαν*, 277, 8. Tanta cum. 280, 1. annui 287, 10. post *Romanos* insere *quae*. 293, 8. post *conjunctam* ins. *habuissent*, et lin. seq. ante *rationem* ins. *tempore*. 300, n. 10, 3 a fin. *sed* pro *vel*. 305, 7. putandae. 306 extr. add. p. 400. — 311. extr. add. VIII. 97. 312, 4. apud eum. 315, 13. atque opes. 322, 6. Del. comma post *majorem*. 330, n. 84, 5. *ἀποστράτηγον*. 335, 21. vacationem.

339, 14. ἔρεισμ'. ib. miraremur. 354, 9 a fin. Ἀργαδεις sine accentu. 364, 10 a fin. quibus. 365, 19. discreta. 369, 3. nulla. 371, 14 a fin. Ταμίας. 376, 8. convocarent. ib. 9. proponerent. et l. 10. mitterent.

In accentubus saepenumero peccatum est, velut pag. 30, 17. οἱ pro οἳ, 81, 19. διαιτῆται pro διαιτηταί, 60. περιιόντες pro περιϊόντες, 95, 11. δίδοχθαι pro δεδόχθαι, 291, διαγράμμα pro διάγραμμα, 295, 10. ἀποδίδοναι pro ἀποδιδόναι, 326 σπουδαρχαί pro σπουδάρχαι, 334 ἀδεία pro ἄδεια et ejusmodi plura. Etiam gravis et acutus saepe permutati sunt. Sed talia vitia, et si qua praeterea in interpunctionibus aliisque minutiis orthographicis commissa sunt, caveri a me non potuerunt, qui amplius 60 milliarium spatio a typographo habito. Neque igitur mihi ea imputabunt aequi lectores.

